Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/ouresiphoiteshel02sche

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

Sive

ITINERA

Per

HELVETIÆ ALPINAS REGIONES

Facta

ANNIS

MDCCII. MDCCIII. MDCCIV. MDCCV. MDCCVI. MDCCVII. MDCCIX. MDCCX. MDCCXI.

Plurimis Tabulis æneis illuſtrata

à

JOHANNE JACOBO SCHEUCHZERO,

Tigurino, Med. D. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolinæ & Socc. Regg. Anglicæ ac Pruſſicæ Membro.

TOMUS TERTIUS,

Nunc primum Editus, & comprehendens

ITINERA ANNORUM MDCCVI. MDCCVII. MDCCIX.



LUGDUNI BATAVORUM,

Typis ac Sumptibus PETRI VANDER Aa,

M DCC XXIII.

JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,

Tigurin. Med. Doct. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolin. & Socc. Regg. Anglic. ac Pruſſic. Membr.

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

S I V E

ITINERIS ALPINI

Deſcriptio Quinta,

ANNI MDCCVI.

Nunc primum Edita.

ITER ALPINUM QUINTUM,

ANNI MDCCVI.

Ea eſt Studiorum præcipuè Hiſtorico-Naturalium jucunda conditio, ut quo plus ſunt potæ, plus ſitiantur Aquæ, quo tractentur plus, eo major progrediendi plus ultra accreſcat lubido. Vivum ego jucundæ progreſſionis appetitus, ſeu Arithmeticam illam nuncupemus, ſeu Geometricam, in me ipſo reddere poſſum Teſtimonium. Tria ferè ſunt Annorum Luſtra, ex quo propoſui mihi ſtudia Naturalia Hiſtorica tractare applicativè ad Helvetiam. Montoſa hæc eſt Regio, ſi quæ, & curioſitatibus equìdem referta, ſed talibus, quæ non comparantur parvi, ſudoribus conſtant, Laboribus, Impenſis, Periculis, ut hæc facile abſterrere poſſint ab inquiſitione ulteriore quemvis, qui non firmiſſimo ſtat talo. Poſſem & ego varias quietis, cui me dederem, obtendere cauſas, Negotia Practica, cauſas domeſticas, ut nullo jure ῥίψασπις dici merear. Aſt prævalet adhuc ſemper curioſum Helvetiæ magis & magis perquirendæ deſiderium, deſiderium inquam, quod ſolum meretur certum quendam æſtimii gradum, etiamſi voto non ſuccedat eventus, Lignum in Alchimico hoc negotio conſumatur & Carbones, oleum perdatur & opera, nec ad finem ullum perveniendi ulla mihi appareat ſpes, ob exigua, quæ aliunde mihi adveniunt, ſubſidia, ob difficultatem rei, amplitudinem

& longas diſtantias rerum viſendarum, ut in magnis voluiſſe ſat ſit. Specimen meorum conatuum novum ſit præſens, cui me nunc accingo, Iter.

Dies 17. Junii.


Horâ quartâ matutinâ, poſtquam Mercurium in Barometro obſervavi 23″. 8‴. & porro, quæ circa hoc Inſtrumentum me abſente obſervari debeant, diſpoſui, *Lacu Tigurino* vectus appuli *Horgam*, *Horgen*, indeque conſcendi Montem, *den Horgerberg*, petiturus *Valterſuilam*, *Walterſchweil*, ubi Balneum eſt dulce, Minerale, deſcriptum latius in *Excurſione* facta A. 1705. ut & ſub initium *Relationum Hiſtorico-Naturalium* Helvetici Agri, Idiomate vernaculo impreſſarum A. 1706. Hîc pranſi ſumus, honorificè excepti à Rev. Patre *Göldino*, è Patritiâ Familiâ Lucernenſi pronato, qui curam Domus & Balnei cum prædiis eò pertinentibus habet. In hoc Valterſuilano Hoſpitio fuit hora 2. pomeridiana Mercurii altitudo 23″. $6\frac{1}{2}$‴., poſt lapſam modicam pluviam, ut hinc ex eadem, ſuppoſitâ Tiguri altitudine, quam hodie mane habuimus domi, & veſperi quoque, Valterſuila altior ſit Tiguro $1\frac{1}{2}$‴. ſeu 120′. pedibus. Cœlo rurſus ſereniore facto Iter noſtrum proſecuti venimus *Tugium*, ubi veſperi lapſa eſt larga pluvia, qua effuſa hora 6. Mercurii altitudo fuit 23″. $9\frac{1}{2}$‴, ex qua collata cum altitudine Tiguri obſervata 23″. 8‴. nihil concludo de reſpectivo ſitu harum urbium, quoniam Tugienſis Atmoſphæra à particulis aqueis liberata facile potuit ob majorem ſibi redditam elaſticitatem $1\frac{1}{2}$‴. altius ſuſtinere Mercurium, quam Tigurina vaporibus adhuc fœta, uti nec ex ſequentis diei matutina obſervatione, qua Mercurius aſcendit Tugii ad 23″. 9‴; Tiguri vero ad 23″. 8‴. Conſtat mihi namque ex aliis alio tempore inſtitutis Experimentis, ejuſdem præter propter Horizontis eſſe Urbem Tigurinam cum Lacu ejuſdem nominis, & Tugium cum lacu cognomine. * Tu-

* *Notandum heic, Barometri altitudinem non præciſe ſumi à ſuperficie Mercurii, & uni lineæ ſimpliciter adſcribi 82. pedes Tigurinos, abſque reſpectu habito ad graduationem Mariottianam, Caſſinianam, aliamve, in ſequentibus Itineribus obſervando.*



Vuë du Bain de WALTERSWYL,
au Canton de ZUG.

1 La Chapelle.
2 La Maiſon principale.
3 Le Bain.
4 La fontaine du Bain.
5 La Source et le cours de l'eau.


La Ville de ZUG, en Suiſſe.
1. La grande égliſe de St. Oswald.
2. Égliſe Paroiſſiale de St. Michel.
3. Capucins.
4. Religieuſes.
Der Zuger
Zee.



Dies 18. Junii.

Tugio, quod VII$^{um.}$ ordine conſtituit Helvetiæ Pagum, ſoluti concredidimus nos *Lacui Tugino*, dicto *Zugerſee* ab oppido Pagoque adſito, è quo *Lorezia prope Chamum emanat*; *Wagneri* hæc eſt integra Lacus hujus deſcriptio, reperiunda in ejus *Hiſt. Nat. Helv.* p. 56. *emanat*, inquam ea loquendi ratione, qua venæ dicuntur emanare ex Cordis ventriculo dextro, in quem potius intrant, ac penum ſanguinis à nutritione reſiduum, & à peripheria corporis refluum effundunt. Scripſerim ego potius, *Lorezam* amnem, *die Lorez*, qui *Barenſi* Territorio, quod ante ſuum effluxum perluit, haud leve ſubinde adfert nocumentum, exundatione ſcil. ſua ex Alveo, altiori paſſim, quam ipſa ſunt pinguia prata, quæ præterfluit, in Lacum Tuginum influere. Lacui huic adjacent poſt Oppidum ipſum *Tugium*, à ſiniſtro latere *Oberweil*, *Walkweil*, S. *Adrian*, ubi ſacellum Divo huic ſacrum, Suitenſi Ditioni conterminum; ex dextro poſt *Chamam*, *Cham*, *Kham*, Nobilium ejus nominis ſedem, cujus rudera duntaxat ſuperſunt, *Buchenas*, *Ryſch*, *Böſchenrott*, *Im Kiemen*, quod ultimum Lacus Tugienſis promontorium Lucernenſi Territorio eſt innexum, Lignorum ferax, quæ Tugienſibus veniunt uſui; tandem Suitenſium Dominio ſubſunt ad Reginae Montium Radices ſita *Arta*, *Art*, vicus perpulcher, Roſmarini cultu & Ciſternâ Fontanâ ex uno ſaxo excíſa, alibi deſcripta, nobilis, & *Immenſea*, *Immenſee*, *Immiſee*, ubi celebris eſt Navium ſtatio.

In Lacu hoc Tugienſi, & circa eum, ſequentia ſunt Phyſici conſideratione digna.

Portu antequam ſolvimur Tugienſi, locus oſtenditur ad Ripam, ubi A. 1435. 4. die Martii hora 5. pomeridiana in Lacum ſubmerſæ fuerunt duæ Ædium ſeries & 60. interiere homines, teſtibus noſtris Chronicis, *Stumphii* quidem *Lib.* VI. *Cap.* 31. p. m. 515. *Sprengeri Chronico Tigurino*, ad h. a. Aliud hujus generis Infortunium Tugienſibus accidit A. 1594. quo teſte *Hallero Chronici* Lib. LIV. C. 4. quatuor domus in Lacu fuere abſorptæ. . . . . . Ruinæ hujus cauſam perhibent unanimi ferè Ore Incolæ fuiſſe *Carpiones* Piſces,

qui ſuffodiendo ſenſim Ædium fundamina, & ipſam Ripam caſui ſpontaneo Domuum propria gravitate ruentium occaſionem dederint; quam eandem cauſam præparantem tum in *Carpiones*, tum in Truttas majores referunt vulgò ſubmerſionis aliquot ædificiorum, quam paſſa eſt *Gottlieba*, oppidum ad *Lacum Bodamicum*, *Conſtantia* haud longe diſſitum, A. 1692. d. $\frac{24.\ \text{Febr.}}{5.\ \text{Mart.}}$ hora meridiana. Commodum eſt hic loci referre, quod à Tugienſibus inaudivimus, & copiae piſcium in lacu hoc viventium ſimul, & magnitudini eorum declarandæ inſervit, *Carpiones* capi à 50. ad 90. libras, *Lucios* 50. Librarum, *Cyprinorum latorum*, quos *Brachſmann* noſtri vocant, cepiſſe aliquando unica vice Piſcatorem 40. Centenarios.

Ad oram Lacus, præcipuè ſiniſtram, copioſæ creſcunt *Caſtaneæ*, quæ accolis pingue dant in vicina loca Commercium. Arboribus his conſita ſunt juga ex ripa ſiniſtra altiora, *Geiſsboden*, *Walkweiler alp*, *Roſsberg*, ſupra pagum *Oberweil* & *Rötelberg*, poſteriora præcipuè, quæ verſus Artam ſeſe protendunt, à Promontorio Lacus medio, ubi *Eyerlen*, & *Lauterſchweil*, villæ monadicæ.

Ultimum ex modo recenſitis Jugis, *der Rötelberg*, nomen habet à piſce, quem *Rötelen*, *Röteli* vulgò, Geſnerus p. 1201. & Aldrovand. Lib. V. C. 47. Umblam minorem. Torgochwalli, Weſtmorlandi *The Redcharre* Lacus Winandermere appellant, Teſte *Willougby Ichthyologia*, p. 196. qui Tab. N. 1. Iconem hujus piſcis ſiſtit. Hanc Truttæ perraram & delicatiſſimam ſpeciem etiam quidem fert *Egrenſis Lacus* Suitenſium, *der Egriſee*, excellentiores tamen longè & ſapidiores Lacus *Tugienſis*, ſpeciatim vero ad Radices hujus montis, *Rötelberg*, in certo quodam tractu inter montem jam nominatum, & locum oppoſitæ ripæ, *im Kiemen* dictum, cujus probe notari debet diſpoſitio, ſi rationem reddere velimus, cur hîc, nec alibi in eodem Lacu umblæ hæ capiantur. ſunt ripæ lacus inferiores terreæ, ſuperiores autem ſaxeæ, in ſtrata ad Lacum ipſum utrinque inclinata diſpoſitæ, ut nullum ſit dubium, quin hæc ſtrata in media Lacus profunditate, quam maximam ibi dicunt, concurrant,

rant, & Angulum conſtituant vel rectum, vel acutum. In hoc angulato fluidi lacus concavo degunt Umblae, Piſces Truttacei ſaxatiles facilius longè quam ad ripas terreas, vel uliginoſas, quales imprimis ſunt ad *Chamam*, & degunt quidem tanto libentius, ſi ex ipſis ſaxorum fiſſuris vivi ſcaturiant in ipſum Lacum ſtatim ſe mergentes Fontes, quos prætendunt Piſcatores, imo paſſim ex imo lacu ad ſummam ſuperficiem aſcendere demonſtrant ex eo, quod ibi, ubi vivæ ſunt ſcaturigines, actuale ſentiatur à Natatoribus in media æſtate Frigus, & hæc loca hyeme fluida linquantur, ſeu non congelata; de modo capiendi hos piſces ita *Willougby*. l. c. *Nec retibus, nec ulla eſca capi poſſe ajunt, ſed per illud tempus ſolum piſcatio inſtituitur, cum ad loca vadoſa, & minus profunda pariendi cauſa ſe conferunt: Retia,* Trammels *Anglicè dicta, Aquis immiſſa, &, ut par eſt, eſcis inſtructa totos dies noctesque ibi relinquuntur, in quæ Piſces ſpontè ſe recipiunt.* Apud nos, per ultimos ferè menſes piſcationi horum piſcium incumbunt Inſidiatores, alliciuntur autem & capiuntur Umblæ nec retibus, nec eſca, ſed hamo ſolo, in profundum lacum demiſſo. Plerique horum piſcium ſpithamæi ſunt, vel ſesquidodrantales: maximus & rariſſimus quoad pondus, qui in Lacu Tugienſi unquam fuit captus, 6. fuit librarum communium, D. D. *Müllero*, Medicæ Arti addicto, ante paucos annos allatus.

In Lacu Tugienſi eadem, quæ in Tigurino obſervant accolæ, ſpumoſa flavi coloris excrementa, ſulphuris floribus ferè ſimilia, Aquæ Majo menſe innatantia, quod phænomenon vocant communiter *Den See blühet*, quaſi dicas *Florem Lacus*. De Cauſa hujus rei non idem judicant omnes. Sunt qui exiſtimant aſcendere ex imo Lacus hæc Terræ ipſius purgamenta, quibus Terraqueum globum hic ibi quotannis mundari volunt, veluti excretionibus variis ipſa tempore verno depurari ſolet ſanguinea maſſa. Alii perhibent, eſſe hos flores Potumogeitων, aliarumve herbarum aquaticarum, vel pulviſculos apicibus ſtaminum excuſſos; Alii denique in ſcenam producunt Abietum, pinuumve, ſulphureos, ſubtileſve floſculos, ventorum ductu per Aërem ferri ſolitos, qui

paſſim

paſſim quoque ſulphureæ pluviæ formam mentiantur; Cui poſtremæ ſententiæ probabili maxime ſubſcribit *Erhard Eſcher. Beſchreibung der Zurichſee*, p. 153.

Ex ventis, qui in hoc Lacu maxime ſæviunt, & nautis metum incutiunt, memorandi veniunt *Auſter* & *Aus-* Occidens (SW), quem propterea *den Wetterſön* vocant, quod ſævas cieat tempeſtates. Nos dum navigabamus in hoc Lacu, binos habuimus ventos oppoſitos, in ima Aëris Regione Boream, in ſuperiore Auſtrum, qui nobis lætam promiſerant ſerenitatem, non obſtantibus nebulis craſſis & albidis, *Reginæ montium* circumfuſis.

Pergimus *Immenſea Kuſnacum*, ab una ſtatione navium ad alteram, à Lacu Tugienſi ad Lacum Lucernenſem, ſeu IV. Civitatum Sylveſtrium, per Iſthmum dimidiæ ferè Leucæ Germanicæ. Aſcenditur hic primum clivo parum & gradualiter acclivi, rurſumque deſcenditur per viam obſcuram, Arboribus utrinque ſtipatam, *Die Hole Gaſs* dictam. Hujus tacita umbroſitas percommoda fuit exequendo Heroico illi Actui, quo *Guilielmus Tellius* ſtrenuus ille Libertatis Helveticæ vindex A. 1307. ſagittâ catapultâ excuſſâ interfecit Præfectum Tyrannum illum, qui juxta cum aliis violentis Jurium Auſtriacorum Exactoribus cauſam impulſivam & occaſionalem Majoribus noſtris dedit, ut Jugum, quo preſſi erant, intolerabile excutere, & ſeſe in priſtinam Libertatem reſtituere potuerint. Ipſe autem Tellius

Brutus erat nobis, Uro Guilielmus in Arvo
Aſſertor Patriæ, Vindex, Ultorque Tyrannûm,

quod Teſtimonium ipſi dat Inſcriptio Sacelli, ad viam mediam, quam nunc pertranſimus, in monumentum Facti æternum exſtructi.

Cecidit hîc Tyrannus, Hammanni inſtar alterius, in foveam, quam Tellio paravit ipſi, juſſu præfecti deducendo in Arcem *Kuſnacum*, *Kuſnacht*, quæ haud diſtabat procul à vico Suitenſium non incelebri neque ineleganti cognomine, quem nunc pertranſimus, *Lucernam* navi petituri.

In hoc Lacu, quem *Lucernenſem* vulgò, vel *IV. Civitatum Sylveſtrium*, Den *Lucerner* oder *IV. Waldſtätten See* vo-

onis *Lucernenſis* fuerunt hoſpites, dicam an Incolæ; Accedit recentiſſima Draconis ante paucas hebdomadas prope *Villiſoviam* viſi Hiſtoria, quam infrà recenſebo, licet nugivendulæ Plebis ſit merum commentum, ne quis in poſterum Fabulam hanc inter Hiſtorias referat, & Inſignia Draconum Lucernenſium monumenta, unum in Templo Cathedrali *Draconis*, in Toga Miſſatica depicti, alterum *Draconitæ*, ad cujus deſcriptionem prius me accingo, quam ad Draconum Hiſtoriam ipſam.

Quod ſi juxta Veriverbium commune *rara* ſunt *præclara*, & *præclara rara*, uti ſanè rariſſima quæque ſunt Monadica, vel ſui non multa habent paria, ad majorem proin perfectionis, pretiique gradum evecta, præferendus ſane omnibus omnium Muſeorum curioſis eſt *Lucernenſis Draconita*, in prænobili familia *Cloſiana* depoſitus, quoniam ſui nil habet ſimile in Regum, Principum, Privatorumque Muſeis. Excuſabit me ipſa Materiæ ſingularitas, ſi prolixior paulò ſum in deſcriptione hujus Lapidis, qui *Dracontita*, Δρακοντίτις, Δρακόντειος ſc. Gemma, *Dracontitis*, *Dracontia*, *Draconites*, nuncupatur. Hujus ſequens extat deſcriptio apud *Plinium Hiſt. Nat. Lib.* XXXVII. Cap. 10. *Draconites ſive Dracontia è Cerebro fit Draconum, ſed niſi viventibus abſciſſo nunquam gemmeſcit, invidia Animalis mori ſe ſentientis. Igitur dormientibus amputant. Sotacus, qui viſam eam Gemmam ſibi apud Regem ſcripſit, bigis vehi quærentes tradit; & viſo Dracone ſpargere ſomnifica medicamenta, atque præcidere. Eſſe autem Candore translucido, nec poſtea poliri, aut artem admittere:* Cui ſubjungo ſequentem *Solini Polyhiſt.* Cap. 30. *Exciditur è Cerebro Draconum Dracontias Lapis, ſed Lapis non eſt, niſi detrahatur viventibus, nam ſi obeat prius ſerpens, cum anima ſimul evaneſcit, duritie ſoluta. Uſu ejus Orientis Reges præcipuè gloriantur, quanquam nullum lenocinium artis admittat ſoliditate, & quicquid in eo nobile eſt, non manus faciant, nec alterius, quam Naturæ candor ſit, quo reluceat. Auctor Sotacus Gemmam hanc etiam viſam ſibi ſcribit, &,*

Draconita Lucernenſis.

Aaa *qui-*

quibus intercipiatur modis, edocet. Præſtantiſſimi audacia viri explorant Anguium foveas, & receptus, inde præſtolari ad paſtum exeuntes, prætervectique percitis curſibus objiciunt gramina medicata, quantum poteſt ad incitandum ſoporem, ita ſomno obſopitis è capitibus exſecant Lapides, & de manubiis præcipitis auſi prædam revehunt temeritatis. Et Philoſtratus ſcribit, in *Draconum Montanorum* Indiæ Capite reperiri *Gemmam ſpecie, aſpectuque floridam, potentiâ mirabilem.* Inde à Plinii temporibus fuere plures, qui pretioſam hanc Gemmam quæſivere omni ſtudio, aſt qui invenerint, pauci vel nulli. Marſilius Ficinus, *ſe hunc Lapidem Florentiæ ex India allatum vidiſſe, aſſerit, Lupini magnitudine, ſtellis quam plurimis naturaliter inſignitum, qui aceto impoſitus in rectum & obliquum ferebatur, donec aceti vapor exhalaret. Sed deceptus fuit Ficinus*, ſtellarem lapidem Dracontiam *eſſe putans, qui fortaſſis ſuo tempore adhuc ignotus fuit.* Hæc *B. de Boot Hiſt. Gemm. & Lapidum*, Lib. II. c. 172. quibus ſubſcribo. *Andreas Cæſalpinus* Lib. II. *de Metallicis*, Cap. 41. teſtatur, hunc Lapidem ſe poſſidere, ejuſque deſcriptionem tradit ſequentem: *Albertus teſtatur, ſe hunc vidiſſe colore nigro, figura Pyramidis abſciſſæ non pellucidum, in circuitu colore pallido, in quo pulcherrimus Serpens eſt deſcriptus, inventum in Suevia in Capite Serpentis magni. Apud me hic Lapis eſt effigie Corniculi, abſciſſa cuſpide, colore partim nigro, partim flaveſcente ſplendido, non pellucido, ad cujus baſim linea nigra circumdat ſpecie ſerpentis. Qui mihi tradidit, affirmavit, Linguam eſſe Serpentis cujuſdam magni in Germania, ac ictum inferre lethalem*; ſed fides ſit penes Poſſeſſorem. Ipſe B. de Boot Lithophilus alias expertiſſimus ingenue fatetur, *Dracontiam Lapidem ſibi nondum viſum eſſe.* Eſt, quod non diffiteor, Plinii Authoritas ſubleſtæ fidei, ut qui narratiunculas quasvis fabuloſas Hiſtoriæ ſuæ inſeruerit, eamque illis contaminaverit. Nec abnuo, Scriptis Celeberrimi hujus & de Re Hiſtorica naturali meritiſſimi Viri plura ineſſe Commen-

menta, nata potius ex nimio Relationes undequaque conquiſitas publico impertiendi, quam eidem imponendi, deſiderio. Sed paſſim quoque extant Plinianæ Hiſtoriæ, quas pro anilibus Nugis hactenus habuere, quotquot in eum ſunt commentati, nunc autem è numero non Entium liberavit poſtrema Ætas. In præſenti Draconitæ deſcriptione Fabulam redolet, quod de modo Gemmam hanc è Cerebro Draconum eximendi tradit, quamvis *Sotaci* Authoritate ſuffultus, imo & *Philoſtrati*, cujus hæc ſunt verba, Lib. III. *Pallium coccineum, Literis aureis ſuperintextum, ante Cubiculum extendunt: ſcripta autem incantatoria verba ſomnum dicuntur inducere. His Draconum Oculi quam duriſſimi ſuperantur. Ipſi quoque plura verba ex arcana ſapientia ſuperincantantes, eo Draconem perducunt, ut literis pallio intextis ſuperdormitet. Dormientis Inſtantes Indi Cervicem, ſecuri feriunt, ſciſſoque capite lapillos intus exſtantes auferunt*: προσπεσοῦντες οἱ Ἰνδοὶ κειμένῳ πελέκεις ἃ ἐναῤῥάτουσι, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμόντες λῃίτονται τοὺς ἐν αὐτῇ λίθους. Ut nil dicam de Plinii exſcriptore Solino, qui Polyh. c. 62 affirmat quoque, *Dracontiam Lapidem non eſſe, niſi detrahatur viventibus; nam ſi obeat prius ſerpens, cum anima ſimul duritie ſoluta evaneſcit.* Nihilominus etiam in horum ſcriptorum gratiam & excuſationem infra ex Hiſtoria moderna Indiæ orientalis aliquid allaturus ſum. Exiſtentiam vero Lapidis ipſius Obſervationes Hiſtorico Naturales modernæ in Indiis factæ, ſpeciatim a *Georgio Everhardo Rumphio*, Hanovenſi, qui *Plinii Indici* titulum jure poſſidet. Hic namque in eleganti ſuo *Hiſtoriæ Naturalis Amboinæ* opere, ſub titulo *d' Amboinſche Rariteitkamer* edit. Lib. III. Sect. 58. p. 305. 306. Inter alios *Ophitas* veros, *Meſtica Vlar* dictos, binos memorat Avellanæ Magnitudine, Draconitæ Pliniano ratione Criſtallinæ perſpicuitatis ſimiles, quorum unus exemtus fuit è Beſtia Baſiliſciformi, in Inſula *Celebes*, alter è Serpente prægrandi Inſulæ *Mindanao.* Lucernenſis noſter Draconita diſcrepat quidem ab Indicis jam allegatis, & ipſo Plinia- *A.* 1705.

no, figura, magnitudine, & loco Generationis, qui ibi Caput eſt, ſed convenit cum aliis infra memorandis, quos tamen magnitudine & pulchritudine longe ſuperat. Hiſtoriam ipſam huic Loco inſeram ex Joh. Leopoldi Cyſati Deſcriptione Lacus IV. Civitatum Sylveſtrium, p. 176. ſed Idiomate Latino.

Lapis hic, inquit Cyſatus, eſt magnus fere globoſus, varicolor, ex albo, nigro, ſanguineo, coloribus varie miſtis, Unciarum novem. Præſtans Remedium eſt contra Peſtem, ſi Bubo circumcirca eo tangatur, vel per 24. horas alligatus remaneat. Quod ſi tumor ſit ſub axilla, alligatur Lapis volæ manus dextræ. Si in cruribus Pedis plantæ, ſic extrahitur venenum illico. Convenit item mulieribus nimio Menſium profluvio laborantibus, nec non Dyſentericis, & Diarrhœa afflictis, volæ manus per Nychthemeri ſpatium applicatus, aliis item, qui defluxionibus laborant malignis, id quod 60. annorum experientia comprobat, & Diplomata inſuper Sequentia tum Hiſtoriam Lapidis, tum vires ejus confirmant.

Copia Diplomatis Primi.

Ego Petrus ad Caſeum, *Senator Lucernenſis, hoc tempore Rotenburgi Præfectus, atteſtor, comparuiſſe hodie in Judicio, coram me viros honeſtos*, Martinum Schreiber *Civem & Chirurgum Lucernenſem ex una, &* Rodolphum Stempflin *Rotenburgenſem ex altera parte; & propoſuiſſe quidem nominatum jam* Martinum Schreiber, *quod apud ſe depoſuerit* Rodolphus Stempflin, *pignoris loco, Draconis, ut volunt, Lapidem, pro certa pecuniæ ſumma, cujus ſolutionem, ut & Hypothecæ dudum depoſitæ liberationem jure poſcat: regeſſiſſe autem* Rodolphum Stempflin *reſponſi loco, ſe non abnuere, quod* Martino Schreibero *Hypothecæ loco tradiderit Lapidem, quem dudum equidem ſolvendo Pecuniæ datam ſibi ſummam repetiiſſet, & adhucdum liberaret, ſi potis eſſet. Majoribus enim ſuis, qui inde à 30. Annis Lapidem hunc poſſederint, multum pecuniæ pro eo fuiſſe oblatum, curaſſe eum innumeros utriuſque ſexus homines, & liberaſſe eos Veneno, Hæmorrhagiis, Dyſenteriis, ſanguinis è Naribus & Menſium fluxibus, ſine ulla moleſtia: Inaudiviſſe ſe etiam à Parentibus ſuis, inveniſſe Abavum ſuum hunc La-*

Lapidem in prato quodam, quod cum demeteret, trajeciſſe prope ipſum Draconem ex Regio ad Pilati montem, ut præ terrore in Lipothymiam inciderit; vidiſſe autem, poſtquam ad ſe redierit, ſanguinem à Dracone excretum, coagulatum, in medio Lapidem, quem ad hunc uſque diem conſtanter ſervaverit Familia ſua, nec vendere voluerit Principibus quibusdam & Civitatibus, quæ emtionis jure eum acquirere ſtuduerint. Quandoquidem autem nunc ſolvendo ipſe non ſit, & vero Lapis jure Hypothecæ pertineat ad Martinum Schreiber, *extraditurum & ceſſurum eum ipſi Lapidem eſſe ſpontè, tanto quidem lubentius, quod beneficia hactenus ab eo receperit non una, & duntaxat a novo poſſeſſore petere ſe donarium quoddam gratuitum. Poſtquam ita nominati ſupra viri res facti utrinque fuere confeſſi, &* Rodolphus Stempflin *ſpontaneam Hypothecæ ceſſionem, quam* Schreiberus *jure petere potuit, obtulit, judicavi ego vi & tenore Legum, & publico ſancivi decreto, eâ, quâ polleo, Præfecti Authoritate, verum Lapidis Poſſeſſorem nunc eſſe & fore* Martinum Schreiberum *cum ſuis Hæredibus, abſque quod* Rodolphus Stempflinus, *ejuſque hæredes, quicquam ullo tempore in contrarium de jure allegare poſſint. Hujus autem meæ ſententiæ Diploma, proprio meo ſigillo appenſo confirmatum exhibere juſſi* Martino Schreibero, *abſque ullo mihi meiſque Hæredibus inde emerſuro damno, Die Lunæ poſt diem S. Martino Sacrum.* 1509.

Diplomatis alterius Copia.

Nos Scultetus & Senatus Reipublicæ Lucernenſis notum facimus omnibus Reſcripto hoc Publico, comparuiſſe hodie coram Nobis, Pium, honeſtum, nobis fidelem & charum Martinum Schreiber, *Civem, Judicii Forenſis Secretarium & Chirurgum, atque retuliſſe Hiſtoriam Nobis jam notam, Draconitæ Lapidis, Cimelii perrari, cujus ante paucos annos fuerit compos factus & Poſſeſſor, quàm is, ante quàm plures annos in Territorio noſtro ex immani Dracone lapſus fuerit repertus, per ſedecim circiter annorum Luſtra clàm aſſervatus, nec multis oſtenſus, ad interim à multis Principibus, Nationibus, Imperatore, Regibus, & Republica Veneta competitus, multorum bonæ fidei & famæ hominum uſui cum effectu applicatus, de quo petat à nobis Teſtimonium Authenticum, Relatione quorundam Noſtri Senatus & Civitatis Membrorum, tanquam Teſtium, juxta legum noſtrarum Conſuetudinem examinandorum fundatum, ut vires tam pretioſi Lapidis omnibus & ſingulis innoteſcant. Quandoquidem nobis autem incumbit veritatis Teſtimonium non tantum non prohibere, ſed pro viribus promovere, Commiſimus hoc Inquiſitionis Negotium Jurato noſtro Judici Senatus Primario, aliiſque Corporis*

Noſtri membris, atque Secretario, ut Teſtes nominatos, & dehinc nominandos, ad ſe vocarent, ipſiſque mandarent, ut ſub fide Juramenti ad Deum & Sanctos edicerent, quicquid de virtutibus hujus Lapidis notum ſit, nemini in præjudicium vel complacentiam, ſed unice ad veritatis ipſius detectionem & vindicationem.

Teſtatur itaque primus, eo quo nobis obligatus eſt Juramento, Jacobus Franckhuſer, *Senatus Membrum, corripuiſſe illum ad Parotidem dextram in Collo ante aliquot annos Peſtem, quæ tunc graſſabatur, ut de vitâ penè deſperarit, & ad animam ſuam Deo reddendam ſeſe præparaverit, commendatum ipſi interim fuiſſe in tantis anguſtiis* Martini Schreiberi *Lapidem Draconis, qui pluribus aliis profuerit, vocaſſe proin ad ſe nominatum jam Schreiberum, & obtinuiſſe ab eo, ut Lapidem illum loco affecto applicaret, quo facto maturior redditus fuerit Tumor, ipſeque, veneno foras tracto, brevi poſt ſanitati reſtitutus.*

Alius noſtro Senatui pariter inſcriptus, Mauritius de Mettenweil, *teſtatur, laboraſſe ſe anno ſuperiori Dyſenteria tam gravi, ut lethaliter omnium Medicorum & Chirurgorum Judicio decubuerit, Sanctorum Sacramentorum applicatione munitus, vocaſſe ſe autem ad ſe in tantis Extremitatibus* Martinum Schreiberum, *qui volæ dextræ manus applicaverit ſuum Lapidem, eo quidem effectu, ut vis ejus totum penetraverit Corpus, & intra bihorium ſubſtiterit fluxus.*

Concivis noſter Laurentius Huckler, *Frequentioris Senatus Membrum, teſtatur correptum ſe fuiſſe Bubone ſub Axilla dextra, qui tamen fuerit Lapidis ad Volæ manus dextræ applicatione à* Martino Schreibero *ſanatus intra paucos dies.*

Alius ſequitur Teſtis Antonius Hutterus, *qui Bubone crurali correptus, & inter ægros conclamatos relatus, ad ſe vocarit* Martinum Schreiberum, *qui locum affectum Lapide ſuo tetegerit, eum aliquoties à Bubone remotum atque ſudantem in frigidâ abluerit, & plantæ Pedis dextri applicarit, hoc quidem præſentaneo effectu, ut intra ſemihoræ ſpatium venenum fuerit è Corpore extractum, per aliquot veſicas, Ichore repletas, qui quinque locis diverſis exitum invenerit, cum ſalutis eventu.*

Barbara Ferſin, *uxor* Conradi Fiſcheri, *Concivis noſtri, ad Bovem habitantis, teſtatur ſe Peſte tam graviter decubuiſſe, ut S. Sacramentorum ſigillo firmari opus habuerit, ipſam in his extremis mentis impotem, applicato autem per* Martinum Schreiber *Lapide rediiſſe ad ſe & ſanitatem, veneno evacuato, recuperaſſe.*

Eadem ſibi quoque contigiſſe refert Barbara Hofmannia.

Enuntiat Johannes Studer, *è Frequentiori Senatu, laboraſſe ſe ulcere fiſtuloſo ex Apoſtemate Cruris reſiduo, & remediis omnibus incaſſum adhibitis, ad Mortis fauces delatum, inde tamen retractum fuiſſe ope* Marti-

ni

ni Schreiberi *Lapidis*, *qui eum dextræ manus volæ alligarit*, *per noctis & dimidiæ diei ſecutæ ſpatium*, *quo elapſo Ichoroſus fluxus ceſſarit*, *ipſeque ad priſtinam redierit ſanitatem.*

Teſtimonio ſuo firmat Henricus de Chamâ, *laboraſſe ſe Dyſenterico Fluxu*, *quem nulla potuerint ſiſtere Medicamenta*, *ut Libamina ſacramentorum ſalutifera accipere neceſſum habuerit*, *applicato autem ad dextræ manus volam*, *per noctem integram*, *Lapide*, *craſtino Die fuiſſe ſanatum. Eodem morbo detentum infantem ſuum anniculum*, *ſed applicatione Lapidis ad Abdomen ſanatum*, *quem eundem effectum de pluribus aliis Infantibus teſtari ipſe poſſit.*

Anna Zimmermann *à fluxu ſanguineo lethali per* Martinum Schreiber, *ejuſque Lapidem*, *ſanatam ſe teſtatur*, *ſed & pauperculam aliam nimio Menſium fluxu laborantem hoc remedio intra Nychthemeron curatam perhibet.*

Teſtium horum enunciata, *ut Reſcripto Publico confirmarentur*, *petiit ſæpe nominatus* Martin Schreiber, *quod ipſi conceſſimus*, *& inſuper ſigillo Urbis Noſtræ confirmare voluimus*, *Die Jovis poſt Diem S. Martino ſacrum. Anno.* 1523.

Hæc quæ de Draconite attuli & Latii Jure donavi, Diplomata, habet *Cyſatus* ſupra citatus, & qui inde ſua extraxerunt *Athanaſius Kircher. Mund. Subterr.* Lib. VII. Sect. 4. C. 2. *Seyfried Medulla Mirabil. Nat.* p. 648. *Eraſmus Franciſci Guin. und American. Blumgarten.* P. I. p. 121. *Wagner Hiſt. Nat. Helv.* p. 326.

Magnitudinem & Figuram Lapidis ipſam, quod concernit, diviſus ferè eſt in tres Zonas, quarum duæ extremæ, Frigidis reſpondentes, colore ſunt atro fuſcæ, concreti inſtar ſanguinis, media vero Torridam repræſentans, ex albido flavi, maculis miris interſtincti. De cætero notari meretur, Lapidem integrum Duritie longè ſuperare Marmor, nec ferro cedere.

Quando autem Draconum Hiſtorias multi ad inania Cerebri figmenta referunt, & has ipſas immanis belluæ reliquias aſpectant pro Globo Marmoreo vel Jaſpino, miro naturæ Caſu vel Artis ope ita, ut videmus, figurato; Operæ pretium utique Judicavi, ea ex collatione aliorum Scriptorum huc afferre, quæ præſenti Hiſtoriæ confirmandæ inſervire poſſunt. De Draconibus ipſis eorumque exiſtentia mox actu-

acturus ſum, hac vice ea duntaxat ex præſenti Draconitæ & Draconis prætervolantis Hiſtoria allaturus, quæ fidei Hiſtoricæ pondus addere queunt. Producitur hic Lapis non ex familia verpi alicujus Lucripeti vel Mercatoris fraudulenti, vel Hominis adepti in Naturæ Artiſque Arcanis periti, qui forte Jaſpino huic Globo maculas, ita, ut ſupra depinximus, figuratas imprimere, vel eas illi obducere, & palpum ſimul aliis obtrudere potuerit; ſed prodit ex manibùs ſimplicis, cum Paupertate luctantis, Ruſtici, cujus ingenua curioſitas non ulterius extenditur, quam ad ſublevandum Lapidem è Dracone delapſum, ſanguini concreto immerſum, eumque aſſervandum. Unde enim, quæſo, habere potuiſſet Lapidem, qui ſimilem ſibi in Europa nullibi habet? Quis ipſi tantum Cimelium gratis, vel pro vili, quod ægre ſolviſſet, pretio, dediſſet? Quis eum in recenſenda Hiſtoria circa Draconem, ipſo præſente, oculato Teſte peractæ, naturali ac ſimplici ordine informaſſet? Annon potius, ſi imponere publico fuiſſet animus, perſuadere potuiſſet & debuiſſet aliis, ut ſumus omnes rerum peregrinarum avidi, allatum hunc pretioſum Lapidem eſſe ex ultimis Indiæ deſertis? Mirum, ſi præmeditata fuerit fraus ex parte Ruſtici, quod Lapidem depoſuerit, vendideritque pro paucis florenis, non vero pro larga pecuniæ ſumma, ex hoc præcipue præſumtionis fundamento, quod oculos mentemque converterit haud dubie magis ad operationes prænobiles, ab hoc Cimelio in Homines & Bruta redundantes lucrum ingens ipſi Poſſeſſori apportaturas, quam ad curioſitatem, raritatemque ſolam, quam quidem venerantur Magnates opibus præcellentes, in ſuis Pinacotheis rariora Artis & Naturæ producta oſtentantes, non verò ex ima Ruſticanæ Plebis fæce homines. Silentii ſipario involvo præclaras Draconitæ virtutes à Medicis ipſis & Chirurgis annotatas, & à Magiſtratu ipſo Lucernenſi confirmatas, ſupra ordine recenſitas, (quibus inde ab A. 1661. quo *Cyſati* Liber in publicum prodiit, plures aliæ inſuper addi poſſent) fruſtra à Marmore & Jaſpide niſi forte in ſola hæmorrhagia expectandas. Circumſpicienti mihi in

per-

peregrinarum Regionum Hiſtoriis Naturalibus, & Draconitas quærenti occurrit in Americana Inſula S. Dominici Hiſtoria dicam, an Fabula, quam Caraibes, priſci Regionis Incolæ, Europæis, modernis poſſeſſoribus, referre ſolebant de prægrandi Dracone vel Serpente, quæ in capite geſtarit pretioſiſſimam in obſcuro lucidam Gemmam, memorante *Rochefort. Hiſt. Natur. des Isles Antilles*. p. 21. Adjungi huic meretur alia Indiæ Orientalis Hiſtoria Chinenſis maritimæ Claſſis Præfecti *Sampo*, qui multum temporis contrivit in Inſula Contung, vel Pœlo Condor, ut & in Inſula Borneo, Imperatoris juſſu Carbunculos tales ex Draconitarum genere conquiſiturus; ſed unicum duntaxat reportavit, in maximo quodam ſerpente vel Dracone *Iſte Lüng* Chinenſi Lingua vocato, inventum, teſte citato ſupra *Rumphio* p. 307., cui Indi omnes unanimi ore aſſeverant, non lucere noctu Draconitam, niſi *qui detrahatur viventibus*, quo ipſo firmiori pede niti videmus *Plinii* ſupra memoratam Fabulæ ſimilem circumſtantiam. Saltem in Excuſationem magni illius Naturæ Ruſpatoris adferri meretur, non fuiſſe ipſum vel *Philoſtratum* vel *Sotacum* Fabellæ Authores, ſed hauſiſſe ipſos traditionem ab ipſis Indis, qui ad noſtra uſque tempora conſtanter retinuere opinionem antiquitus radicatam. Magis adhuc Lucernenſis noſtri Draconitæ exiſtentiam probabilem reddit immanis illius Draconis Hiſtoria, in *Jacobi Boſii Chronico Equitum Hieroſolymitanorum*, qui nunc Melitenſium nomine cluent, reperiunda Part. II. quod Monſtrum horribile Inſulæ Rhodi Incolas torſerit dudum, tandem tamen A. 1346. ab Equite *Deodato Gozone*, poſt Ordinis ipſius Magiſtro, generoſo auſu fuerit interfectum; & in hac Hiſtoria illa ſpecialis ab *Joh. Ant. Foxano* memorata circumſtantia de Lapide olivæformi, ſed grandiore varicolore, Jaſpidis inſtar fulgente, miræ contra omnis generis venena efficaciæ, ſi aqua ipſa injecto Lapidi affuſa propinetur venenato morſu affectis, qui in perpetuum Facti Heroici monumentum aſſervetur in Gozonum familia, & κατ᾽ ἐξοχὴν nuncupetur Draconita, item Magiſtri Ordinis Lapis, utpote è Draconis à Magiſtro prælaudato occiſi Cadavere protractus. Illa porro Lapidis hujus virtus deprædica-

ta *Foxano* ab αὐτόπτῃ Equite *Petro Melaco Gozzone*, ad S. Ægidium Priore, qua homo quidam ex hauſta aqua infuſionis Lapidis per vomitum reddiderit, ſeſquipalmarem, venenatum admodum, ſerpentem, & ab hoc vomitu convaluerit. Omnium proximè accedit meo judicio Draconitæ noſtro Lucernenſi Lapis ille pretioſus, cujus inde ab A. 1687. poſſeſſor eſt Rex Siamenſis, quoniam is non ſolum magnitudine, figura, colore ex flavo rufeſcente, ſed & lapſus ipſius circumſtantiâ cum noſtro convenit. Inſeram huic narrationi verba ipſa *Rumphii* p. 308. ut vel hinc ἐν παρόδῳ commendatam reddam collationem Hiſtoriæ Naturalis ex diverſis Regionibus, utut maxime diſſitis, & magno labore conquirendam. *Een Chirurgyn hebbende eenige Jaaren op Ligoor gelegen in 't Jaar 1687. verklaarde myn gezien te hebben een Karbonkel van een Slang by een zeker Regent des Lands, dewelke door de Moeder in zyn kindsheit met een Kleetje in 't Boſch aan twee tacken was gehangen, toen was 'er een groote Slang by hem gekomen, naar 't verhaal van zyne Ouders, die een zekeren Steen op zyn Lyf liet vallen, en die Slang is naderhand by zyne Ouders altyd gevoed: deſe ſteen was in de groote van een oude geſchilde Pinang, ovaals wyze door ſchynend brandig geel, naar den rooden trekkende, by Nacht zoo klaar ſchynende, dat een kamer daar door verlicht wierde. De Viceroy en regeerend Opperhooft van Ligoor hebben hem deſen Steen, als hy in Hegtenis zat, afgenomen, en aan den Koning van Siam gezonden.* Hoc tandem præterire nolo, diſcrepare Draconitam *Plinianum* à noſtro Lucernenſi, & Indico jam deſcripto, quandoquidem is perhibetur eſſe *Candore translucido*, vel *Soliniano* Stylo *relucente*, hi vero rubro flavi, conformes adeo magis deſcriptioni, quam tradit Philoſtratus, his verbis canceptam, λίθοι ἢ τούτοις ἀπόκεινται, τὸ μὲν εἶδος ἀνθηρὰ, καὶ πάντα ἀπαυγάζουσαι χρήματα. Ad quæ annotat *Salmaſius* in *Solinum*, Græcos ἀνθηρὸν vocare rubrum colorem, Heſychium ἀνθαρὸν, σανδαράχην, Sandaracam. Hæc, quæ hactenus omni ſtudio conquiſivi ad vindicandam Draconitæ Lucernenſi nativam indolem, non impediunt, quo minus, ſalvo ſemper, quod nobiles poſſeſſores de ſuo κειμηλίῳ ferunt,

ju-

judicio, ſuſpicer eſſe hunc lapidem ſilicem, ſi velis Achatinum, encauſtica arte ita, ut ſeſe exhibet, pictum, & penicillo elaboratum, cujus indicia ex attenta contemplatione haud pauca erui poſſunt. Nota mihi ars, quæ paſſim exercetur, qua duriſſimi Achatæ vel Chalcedonii qualibuscunque figuris ita pingi poſſunt, ut & in ipſam ſubſtantiam penetret Tinctura, abſque ulla corroſione ſuperficiei, pro naturali facile venditanda.

A *Draconite* tranſeo ad *Dracones*, quorum integram Hiſtoriam applicativè ad Helvetiam huic loco inſeram, promiſſi memor, & perſuaſus ſimul, haud ingratam fore tractationem materiæ tantopere apud Rerum Naturalium Scriptores vexatæ. Mirari ſatis nequeo, quomodo omnes penè Gentes Draconum aliquam habeant Ideam, & reliquerint memoriam, & tamen hujus generis Animantium exiſtentia à multis magnæ Authoritatis in re Literaria viris habeatur dubia. Dracones Æſculapio olim ſacros, ſed & Apollini dicatos, & in Epiro cultos fuiſſe memorat *Ælianus* de Animalibus Lib. XI. Cap. II. & Draconis formâ Apollinem apparere ſolitum ex *Suetonio* conſtat, qui in Octavio. c. 94. Auguſtum Imperatorem filium Apollinis ex Atia Matre à Dracone compreſſa genitum ſcribit. Cauſas, cur Dracones Deo Medico ſacri fuerint, recenſet *Feſtus* Lib. IV. *Macrobius* Saturn. Lib. I. c. 20. & *Scholiaſt. Ariſtophanis* in *Pluto*. Judæis prohibitum olim fuit ſculpere formam Draconis, quod ex Rabbinicis Scriptoribus oſtendit *Carpzov. Diſſ. de Nummis Cornutum Moſen exhibent.* p. 17. 18. E contra in maxima veneratione ſunt Dracones apud Chinenſes Reges, & Magnates geſtant illos acu pictos in veſtibus, imo verò Imperatores ipſi elegerunt hoc Animantium genus pro Inſignibus, quod aliquando unus Anteceſſorum Draconi inſidens cum Barba longâ & Cornibus in Aërem aſcenderit, unde etiam Draconum ſculpturis Naves exornare omnibus interdictum, iis exceptis, quibus ex ſingulari Imperatoris benevolentia gratia hæc eſt conceſſa; uti pluribus hac de re conſuli poteſt *Athanaſ. Kircher. Chin. Illuſtr.* p. 25. 32. 41. *Nieuhoff. Siniſch. Reisbeſchreibung*, p. 58. 61. 92. 114. 252.

Draconum Hiſtoria.

Bbb 2 *Lam-*

Lambec. Comm. Bibl. Vindobon. L. VII. p. 397. Merentur ſane Chinenſium hæ naves Draconum ſculpturis exornatæ conferri cum illa *Chimarri* Pyritæ, à Bellerophonte occiſi, qui ἔπλει πλοίῳ λέοντα μὲν ἔχοντι πρόραθεν ἐπίσημον, ἐκ δὲ πρύμνης Δράκοντα, *vehebatur Navi, quæ in prora Leonem, & in Puppi Draconem habuit pro Inſigni*, ut videre eſt apud *Plutarch. Lib. de virtutib. mulier.* nec non cum Bœoticis Navibus, apud *Euripidem* in *Iphigenia in Aulide*, quibus pro ſigno fuit *Cadmus*

> Χρύσεον Δράκοντ᾽ ἔχων
> Ἀμφὶ ναῶν κόρυμβα.

Aureum Draconem habens in Navium Roſtris. Ex quibus Poëtarum Commentis alas Draconibus natas fuiſſe perſuaſus eſt *Bochart. Hieroz.* Lib. III. c. 14. p. 435. Non vacat nunc, Draconum alatorum, vel non alatorum, hîc, ibi, in omnibus quatuor Mundi partibus viſorum, undecunque corradere Hiſtorias. Exſtant hæ paſſim apud Zoologos, Jonſton. Hiſt. Nat. Serpent. L. II. p. 34. *Sperlingium & Kirchmajerum* in peculiaribus de *Dracone* Diſſertationibus; *Kircher. Mund. Subterran.* Lib. VIII. p. 89. &c. & alios. A me impræſentiarum non deſidero aliud, nec deſiderabit in re adeo obſcura orbis curioſus, quam Hiſtoricam Draconum Helveticorum deſcriptionem, juxta ordinem Pagorum directam, prout eam ſuggerunt Monumenta Typis impreſſa, Manuſcripta, atque Relationes.

IN PAGO TIGURINO.

In Monte *Frumſano*, Baronatus *Altenſaxenſis* duo Draconum, vel Serpentium prægrandium Exempla occurrunt, unum non pedati, alterum pedati, quæ ita deſcribuntur à
Fig. I. *Wagnero Hiſt. Nat. Helv. p.* 247. & 251. *Johannes Tinnerus ex pago Frumſen, Baronatus ab Altenſaxo, vir honeſtus fideque dignus, qui hoc tempore adhuc in vivis eſt, ſanctè mihi teſtatus eſt, ſe ante XII. annos, exeunte menſe Aprili in montem vicinum Frumſanum, ſeu Frumſenberg, ſeſe contuliſſe, ibique, in loco, in der Hauwelen, vulgo dicto, horrendum ſerpentem, in ſemet primum convolutum, poſtea ſeſe*

eri-



It. 5.







It. 5.

erigentem, atrogriſeum offendiſſe, cujus longitudo minimùm ſeptem pedum, craſſities mali inſtar Cerealis, caput felis capiti haud diſſimile, at pedibus omnino deſtitutus fuerit. Hunc ſe ſclopeti ictu feriiſſe, & cum fratre ſuo Thoma Tinnero penitus interfeciſſe retulit. Antequam autem ſerpens hic interemtus fuit, vicinos accolas conqueſtos eſſe, ubera vaccarum ſubinde emulgeri, at authorem conſtitiſſe nunquam: malum tamen hoc poſtmodum ceſſaſſe. Transeo ad aliud Exemplum: hujus hanc habe ex eodem Authore p. 251. petitam deſcriptionem: *Johannes Bueler ex Parochia Sennwald, Conſiſtorii eccleſiaſtici aggregatus, ante XV. annos tempore æſtivo in montem Frumſanum ſeſe contulit, ac in loco dicto, das Erlawäldli, ſito ad Rivum, der Kalenbach nominatum, immanem beſtiam atram ex vepribus ſummo cum ſtupore prorepentem, & quatuor cruribus, haud nimium elatis, inſtructum vidit; craſſities ejus mali inſtar Cerealis fuit, criſtamque in capite ad dimidii pedis longitudinem geſſit; corporis verò univerſam longitudinem obſervare haud potuit, cum partes ejus poſteriores in vepribus ac Dumetis delituerint.* Fig. II. In poſteriore hoc Exemplo, ut & ſequenti, ac multis aliis, Pedes habemus & criſtas. Pedatos inter fictitios refert Dracones *Bochart. Hierozoic.* L. III. c. 14. quod veterum Scriptorum nullus Draconi pedes tribuat. Et Auguſtinus, Lib. III. de Geneſ. c. 9. eum eſſe ἄποδα diſerte doceat. Quum è contra Recentiores Draconibus penè omnibus pedes adſcribant. Ita ſanè *Scaliger* apud *Geſnerum*; *Genera omnia Draconum pedes habent.* Mira hæc Contradictio. Ex affirmantium parte ſtat Experientia, quæ magnum in hac Controverſia decidenda præbet momentum. Non ſemel animo meo volvi dubium, annon hoc Draconum pedatorum, non alatorum, genus haberi poſſit pro ſpecie quadam Lacertæ ſubterraneæ, quæ in ſpecubus abditis maximam vitæ partem degat, modico alimento & vel ſolo Terræ ſucco contenta. Quod ſi foret, omne ipſi Bocharto eximeretur dubium abſque difficultate. De Criſtis non favorabilius ſentit Bochartus, in partes ſuas trahens *Plinium*, qui Lib. XI. c. 37. hæc inter alia ſcribit: *Draconum criſtas, qui viderit,*

non reperitur, & Lib. VIII. c. 13. *Id modo mirum, unde criſtatos Dracones Juba crediderit*; cum è contra Criſtas obſervaverint, qui noſtros Helveticos Dracones pleroſque fere viderunt; & ex veteribus quamplures Criſtas Draconibus attribuerint. Ita Ovidius. L. IV. Metamorph. Fab. XV.

Lubrica permulcent criſtati colla Draconis.

Et Lib. VII. de Dracone Aurei velleris cuſtode:

Qui Criſtâ, Linguiſque tribus præſignis

Et Philoſtratus Lib. III. cap. 2. montanis præſertim Draconibus criſtas aſſignat his verbis, quæ Helveticis noſtris Draconibus quadrant, τούτοις καὶ λοφία φύεται, νέοις μὲν ὑπανίσχουσα τὸ μέτριον τελειουμένοις δὲ συναυξανομένη τε, καὶ συνανιοῦσα εἰς πολύ. *His etiam Criſta naſcitur, Juvenibus quidem mediocriter, ſed ætate provectis grandior & valde remiſſa.* Ex hac characteriſtica nota, ſi vera ea ſit, inferri poteſt Draconem ſupra deſcriptum Frumſani Montis fuiſſe quoque ex ſenioribus, & quidem Marem, ſi verum, quod Ælianus ſcribit Lib. XI. C. 60. ὁ μὲν Δράκων, ὁ ἄῤῥην τὸν λόφον (ἔχει,) *Draco Mas criſtam habet.*

Fig. III. *Caſparus Gilg*, Ruſticus *Bonſtettenſis*, qui pagus ſeſquileuca fere diſtat ab Urbe Tiguro verſus occaſum, teſtatur Rev. D^no^ *Bütſchlino*, Loci Paſtori fideliſſimo, ſe bis ante novem annos, prima vice una cum patre ſuo nunc defuncto, altera vice vero Majo menſe hujus anni, circa Meridiem, dum aratro ſuos agros ſulcaverit, *in dem Soolbrunnen*, vidiſſe Beſtiam quatuor pedes longam, quadrupedem, pedibus duos fere digitos longis & latis, cujus Collum craſſitie fuerit brachii humani, annulo flavo cinctum, ipſum vero Animal coloris nigri, coronâ flavâ in capite ornatum. Hæc ipſe Rev. Paſtor, in Literis ad me d. 16. Aug. datis, quæ confirmat quoque Reverend. admodum Dominus *Joh. Caſparus Hardmejerus*, Butſchlini Anteceſſor, Paſtor Affholteranus.

Referri hic quoque debet Anguis prægrandis, quem A. 1511. Rheno ſecundo natantem viderunt *Egliſoviæ*, Teſte *Lindauero Annal. Vitodur. MSC.* ad h. a. Licet neſciamus,



It..5.



mus, cujusnam fuerit figuræ, coloris, vel magnitudinis, an pedatus vel non? Non enim aliud commemoratur de eo quam id, quod modo adduximus. *In dem Jahr ſahe man zu Eliſaw einen groſſen Wurm den Rhein hinuntefahren.*

Cujuſnam generis fuerit ſerpens ille, cujus in Hiſtoria *Caroli Magni* meminit Legenda quædam antiqua, in *Henrici Bränwaldii* ultimi Embracenſis Cœnobii præpoſiti Chronico MSC. reperiunda, pariter non conſtat. Fabula tamen meretur huc inſeri, licet nec minimam præ ſe ferat veritatis ſpeciem. Carolus Magnus dum Tiguri degebat in domo Canonica, *zum Loch*, erigi juſſit columnam cum Campana ſuſpenſa, & fune, eo in loco, ubi Sancti Martyres Felix & Regula è Thebæa Legione ſuperſtites fuere decollati, atque omnibus & ſingulis ſignificare voluit, ut qui Juſtitiam peterent contra alios, Campanam ſonarent, quoties Imperator pranderet, illam obtinere poſſent. Accidit autem, ut die quodam, auditâ Campanâ, ſervos juſſerit videre, quis Juſtitiam habere cupiat, hi autem nemine viſo redierint, & aliquoties quidem ita viſuri, quis adeſſet, iverint, redierintque. Curioſus Imperator, quid rei eſſet, juſſit expectare ſervos, & attendere probè ad ea, quæ porro contingere poſſent. Mox columnæ approximat anguis magnus, *ein groſſer Wurm*, & fune prehenſo campanam pulſat. Referebant rem adeo inſolitam αὐτόπται Imperatori. Surgit hic de menſa, Jus dicturus Angui non minus, quam hominibus; accedit columnæ. Inclinato Corpore ſubmiſſionem Imperatori debitam teſtatur Anguis, & mox proſerpit ad littus Aquæ, ubi nido oviſque ſuis inſidebat inſolitæ magnitudinis Bufo. Hoc Spectaculo viſo Controverſiam ita decidit inter anguem & Bufonem, ut hic ex decreto condemnaretur ad ignem. Poſt dies aliquot, quam ſententiam tulit, & exequi juſſit Imperator, accidit, ut in Aulâ ſe ſiſteret Serpens, ad ipſum Imperatorem admiſſus, atque inclinato prius, ut ante, Corpore, menſam ipſam conſcenderit, & poculi operculo ſemoto depoſuerit in Cavitatem ejus Lapidem prænobilem, quo relicto, & corpore inclinato, abierit anguis.

Mira-

Miraculo hoc & Sanctitate loci ipſius, ut pote Sanctorum Martyrum ſanguine tincti, commotus Imperator, ad commemorandam & promovendam DEI Gloriam in eodem hoc loco ædificari voluit Templum, quod Aquaticum audit, *die Waſſerkilch*, Bibliothecæ & collectioni Rerum tam naturalium, quam artificialium nunc deſtinatum.

Ipſum vero Lapidem aſſervabat Imperator, ut pretioſum Cimelium, donabatque in ſingulare Amoris pignus Auguſtæ ſuæ Conjugi. Habebat autem Gemma hæc philtri vires, ut poſtquam Imperatrix eam poſſedit, Auguſtus ab ea dimoveri nunquam potuerit, & abſente illa mœror eum occuparit, & ſumma triſtitia. Agnovit hanc Lapidis efficaciam Auguſta, & occuluit in fatali, quo decumbebat, & obibat, morbo ipſum ſub Linguâ, ne forte incideret in alterius è ſequiori ſexu manus, quam deperire, & ſimul priſtinæ Conjugis oblivſci deberet Imperator. Ita fuit Auguſta Balſamo condita, & una cum ſerpentis Lapide inhumata, ſed mox, quod ejus præſentiâ carere non poſſet maritus, è ſepulchro extracta, & per 18. annorum decurſum Imperatoris indivulſa Comes ducta.

Fuit interea ex Aulicis, cui hæc Lapidis vis erat perſpecta, inquiſivit eum per totum Auguſtæ Corpus, invenitque tandem ſub Lingua, & ſibi ſervavit. Hoc facto conjecit Imperator intenſiſſimum, quo erga Conjugem ardebat amorem, in ipſum hunc Nobilem, pretioſi Cimelii Poſſeſſorem novum, ut eum quoque deperire neceſſe habuerit, & abſque eo vivere non potuerit. Contigit autem, ut Eques in Itinere Colonienſi ex indignatione quadam Lapidem projecerit in locum quendam uliginoſum ad fontem calidum, ut nemo poſthac eum adipiſci poſſet. Ita ceſſavit ſubito amor erga Equitem, ortumque ſingulare Loci, ubi latebat Lapis, deſiderium, quod poſt ſe traxit fundationem Aquisgrani, & in urbe hac Templi Cathedralis ſumtuoſi, cui addixit Canonicos, ſtatuitque fraternitatem nunquam intermorituram inter Canonicos Tigurinos & Aquisgranenſes. Certum hoc eſt, habitaſſe Carolum Magnum A. C. 800. Tiguri, & probatu facile ex *Charta donatoria Carolina*, à Fundatore dicta, hâc ſignata clauſulâ: *Actum in Thurego Anno Imperii ſui X. ipſius Caroli Imp. Indictione XIII. A. Chr. DCCC.* Le-

Lectori benevolo liberum nunc relinquo Gemmam hanc Anguinam accenſere iis Lapidibus, qui illuſtrandæ Draconitæ Hiſtoriæ ſupra traditæ inſervire poſſent, & cæterum rejicere, ut fabuloſam, vel admittere, ut poſſibilem. Non levis animum meum ſubit admiratio, an hic Anonymus Legendographus, unde Bränwaldius ſua hauſit, Hiſtoriam Lapidis pretioſi, ab angue in menſam Benefactoris depoſiti, mutuo petierit ex Fabula illa Vitalis, Veneti Civis, mox occaſione Draconum Lucernenſium cum Vietore per totam hyemem degentium, etiam memorandi ex *Matth. Pariſ. Hiſt. Anglor.* ad A. 1195. vel hæc conſuta fuerit ex illa Caroli M. Hiſtoriam integram huc tranſcribere longum nimis foret, particulam tamen, quæ huc maxime quadrat, præterire non poſſum. *Cum cibum ſumeret* (Sylvanus, qui ſerpentem & Vitalem ex fovea liberavit) *ecce ſerpens liberatus adfuit, Gemmam pretioſam in ore deferens, appoſuitque eidem Sylvano, tanquam liberatori ſuo, & illam in diſco ſuo repoſuit, ſeſeque ſpiris volubilibus ante ipſum volutans & ludens applauſit, quaſi grates referens ei pro impenſo ſibi beneficio, & blando emiſſo ſibilo, nullum lædens receſſit.*

Draconibus Tigurinis, tandem adnumeranda venit Beſtia quadrupes viſa ante aliquot annos *in Bittenloo im Wellenberg* prope pagum Weiningen, coloribus fulgens, capite felino, criſtâ ornato, inſidens Trunco Arboris vetuſtate collapſo, cæterum ſerpenti ſimilis.

Pergo in Hiſtoria Draconum ad

PAGUM BERNENSEM.

Eſt in Bernenſi Territorio perantiqua urbs, Burgdorffium, (Burgdorff, Burgdorffum) dicta, a duobus fratribus (condita,) *quorum prior* Syntram, *alter* Beltram *dictus fuit, Duces Lensburgenſes. Hi A. C. 712. venatum per immenſas illas ſolitudines montiumque receſſus intimos abeuntes, multumque hinc inde errabundi, in ſcopuloſum montem inciderunt, ubi ferale immenſæ molis Monſtrum, Draco, inquam, in profundo antro ſtabulabatur, qui ingenti ſævitie ſuſque deque*

vertens omnia, Regionem Animalibus viduabat: hic mox ac Equitum adventum advertit, veluti de prædæ cupidine tripudians, in eos adeo grandi impetu irruit, ut ſtatim juniorem fratrem Baltramum *vivum abſorpſerit*: Syntram *vero adeo fortiter, quà haſtis, quà gladiis, comitum ope ſeſe belluæ oppoſuit, ut tandem eam peremerit, ſciſſaque Beſtiæ ventre fratrem adhuc ſpirantem inde extraxerit, eodem prorſus loco, ubi hodie juxta Bernam ſacellum S. Margeritæ, quod ad rei patratæ memoriam ipſi Duces extruxerunt, Hiſtoriamque depingi curarunt, in hunc uſque diem ſpectabilem.* Hæc *Athanaſ. Kircherus* ex *Cyſati* Beſchreibung der IV. Waldſtetten See p. 175. in Mund. Subterr. Lib. VIII. p. 94. Ipſe vero Cyſatus citat *Jac. Man.* Hiſtoriam Auſtriæ. Et *Waguerus* in *Hiſt. Nat. Helvet.* p. 246. hæc habet: *Cum Arx Burgdorffi oppidi ædificari cœpta eſſet, juxta eum locum, duos immanes* Dracones *in Crypta degentes deprehenſos fuiſſe Annales Helvetiæ teſtantur; hodieque Crypta ad Arcem ſita, vulgo* das Drackenloch, *id eſt*, Draconis Crypta, *nominatur.*

In *Miſcellan. Nat. Curioſ. German.* Dec. II. Ann. I. §. 125. mentio fit ſerpentis, qui A. 1680. primo vere prope *Lauſannam*, à ruſticis deprehenſus eſt, tantæ molis, ut utrumque crus carnoſius & craſſius æquarit, &, quod monſtri loco eſt, auritus fuit.

De *S. Beato*, cujus Eremitorium mox viſuri ſumus, rumor fert apud ſcriptores Pontificios, ipſum antè Draconem immanem precum & S. Crucis ſubſidio in Crypta ad Lacum Thunenſem interemiſſe, quàm eam inhabitaverit. vid. P. Lang. Chriſtl. Cathol. Helvet. p. 532. 677.

DE TERRITORIO LUCERNENSI.

Enuntiari verè poteſt, quod de Babele ſacra Vaticinia eloquuta ſunt, fore eam ſpeluncam & ſedem Draconum. Adeo non eſt ulla Helvetiæ Regio, quæ tot enumerare poſſit Draconum Hiſtorias, quot Lucernenſis, ut patebit ex ſequentibus. De Draconibus alatis adeo dubitant eru-

di-





It. 5.

diti, ut licet pedatos, non alatos admittant, illos tamen rejiciant.

Magnum quidem ſcriptorum veterum, Draconibus alas tribuentium, adducit numerum *Bochartus*, l. c. & tamen omnia hæc fabulis adnumerat. Ex multis, quæ adducit, Teſtimoniis pauca adducam. Currum Cereris alatis Draconibus vehi *Orpheus* cecinit in Hymno *Cereris*:

Ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς

Currui (volucrium Draconum) *frena ſubjungens.*

Ovid. Lib. IV. *Faſtor.*

inque Dracones
Tranſit, & alifero tollitur axe Ceres.

Claudianus, Lib. I. de raptu Proſerpinæ:

ſinuoſq; Draconum
Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu
Signant, & placidis humectant frœna venenis.

Cererem alatis Draconibus vectam per totam Terrarum orbem, omnes fingunt Mythologi, ut frumenti uſum homines doceret. vid. *Hygin.* Fabul. 147. & Lib. VII. Aſtronomικῶν, in Ophiucho. Eodem curru Circen quandoque vehi fabulantur veteres, ut *Valerius Flaccus* Lib. VII.

ut aligeri Circen rapuere Dracones.

Suppeditat tamen Hiſtoriam non unam Lucerinus Canto.


Primam recenſet *Athanaſ. Kircherus*, *Mund. Subt.* l. c. ex Literis Chriſtophori Schoreri præfecti Lucernenſis, (*Solodorenſis* falſo ſcribit Kircherus,) ad ipſum datis, quæ ita ſonant: *Dum A.* 1649. *noctu Cæli ſerenitatem contemplarer*, Fig. 4. *ecce præfulgidum Draconem ex immenſi ſcopuli antro Montis, quem Pilati vulgo vocant, alis celerrimo modo agitatis, transvolare vidi. Formâ erat prægrandi, caudâ longâ, collo protenſo, caput in ſerpentis ſerratum hiatum deſinebat: dum volaret, de ſe ſcintillas, non ſecus ac, quando candens in incude Fabri ferrum tundunt, ſpargebat: cenſebam primo Meteorum quoddam me videre, ſed poſtquam diligenter ſingula obſervavi, verum Draconem fuiſſe, ex ipſo motu, membrorumque omnium conſtitutione cognovi.* v. Wagneri. H. N. Helv. p. 252.

Alteram alati Draconis Hiſtoriam ſuggerit ille, quem ſupra in Draconitæ deſcriptione memorare neceſſe habui.

Tertia duorum etiam alatorum Draconum Hiſtoria eſt admiranda illa Vietoris, quam ex Cyſati Germanico Idiomate ita latinè vertit *Kircherus* Lib. cit. p. 100. *Erat in Civitate Lucernenſi apud Helvetios Vietor, qui, dum quodam die ad fabricanda dolia congruam materiam inter condenſos ſylvarum, ſcopulorumque Alpeſtrium receſſus quæreret, neſcio, quo fato hiſce Labyrintheis immenſæ ſolitudinis diverticulis intricatus, ubinam eſſet, & quomodo viam derelictam reperiret, neſciret, totoque die hinc inde errabundus magnam noctis partem vagaretur; quieti nonnihil ex contracta laſſitudine indulgens, dum ſub crepuſculi initium ulterius viam ſuam proſequitur, neque ingentem voraginem ſibi obviam ex lucis debilitate prævideret, in eam incidit, ita tamen, ut molli luto, quod in fundo voraginis ſqualebat, impactus, nihil aliud corporis incommodi præter deliquium, quod ex nimia mentis anxietate & ruinæ metu incurrerat, pateretur. In ſe itaque reverſus, cum voraginis altitudinem vidiſſet, humana arte inſuperabilem, (erat enim putei ad inſtar ſeu circi, altis & ſcopuloſis undique lateribus præcluſi) ſeſe humana ope deſperata, ad divinam magno animi fervore convertit, DEUM, Matremque continuis ſollicitando precibus votiſque, ut eum ex tam miſerabili ſtatu liberarent: ſed complacuit Divinæ Majeſtati, majori eum ad meritorum cumulum afflictione exercere Erant in lateribus dictæ voraginis, cryptæ profundæ, & undique in longum latumque protenſæ, quas dum aptam habitationem inquiſiturus ingrederetur, ecce mox duos horridos Dracones ſibi obviam habuit, quorum intuitu pene exanimatus, dum puteum repetit, identidem DEUM, ejuſque Matrem contra tam immania monſtra, magna lachrymarum profuſione implorare non ceſſavit: & Dracones quidem tametſi corpus ejus nunc cauda nunc collo ſtringerent, ei tamen nullam aut noxam, aut violentiam intulerunt. Quiſnam vero miſero in tam formidabili & inaudita ſocietate draconum animus eſſet, facilius quiſpiam animo concipere, quam verbis ſufficientibus deſcribere poterit. Vidiſſes hic Danielem non*

in

Fig. V.



Pl. 5.

in Leonum ſed Draconum Lucu commorantem: Commoratus eſt tamen, non unum diem aut ſeptimanam, ſed ſex integris menſibus, à ſexta Novembris uſque ad decimam Aprilis. Sed quo cibo vitam ſuſtentaſſe putabis? audi & obſtupeſce. Viderat is, quod dicti Dracones nullo alio, toto hyberno tempore, cibo veſcerentur, præter ſalſugineum quendam liquorem ex ſcopulorum parietibus exſudantem; unde dum omnibus ad vivendum neceſſariis deſtitueretur, draconum Exemplum ſecutus, & ipſe dictum parietum liquorem lambere & lingere aggreſſus eſt, quo refocillatus nonnihil hoc ciborum genere vitam ad ſemeſtrale ſpatium traduxit. Sole itaque Æquinoctialem lineam tranſeunte, cum aër jam tepidior calore Solis ſentiretur, monſtra quoque dum jam tempus adeſſe, quo e latebris ſubterraneis emergerent, pabulis quærendis aptum adveniſſe, ſentirent, prior quidem magna alarum agitatione præmiſſa ex puteo confeſtim evolavit, quod alter dum idem tentat, Vietor hanc ſe liberandi optimam occaſionem ratus, belluæ caudâ apprehenſâ, extra puteum, nullo unquam ſimili ſpectaculo viſo, deportatus fuit, ubi dimiſſis Draconibus, Divinâ utique directione ſtatim ſemitam invenit, quâ Lucernam reverſus, ſuos, qui eum jamdudum perditum credebant, inviſit, & quæ ſibi contigiſſent, & hiſtoriam, qua nulla unquam formidabiliorem contigiſſe arbitrabantur, præ admiratione attonitis ordine expoſuit. Et quoniam magnæ Matris Deiparæ interceſſione liberationem à tam horrendo ſtatu obtinuerat, in perpetuam rei memoriam, & poſterorum admirationem, teſtem eſſe voluit veſtem Sacerdotalem, quam Caſulam ſeu Planetam vocant, in qua totius rei ſeriem acu pingi juſſit, quæque & in hunc uſque diem Lucernæ in Eccleſia S. Leodegarii ſuperſtes, omnibus peregrinis oſtendi ſolet. Vietor vero totus ad DEUM converſus, dum cibum amplius uſitatum ex ſtomachi corruptela ſumere non poſſet bimeſtri ſpatio poſt ejus è Lucu Draconum exitum, pie in Domino obdormiit. Hucuſque Kircherus, l. c. Hanc Hiſtoriam Vietoris inter binos Dracones in ſpelunca ſedentis integram acu pictam eſſe ſcribit ipſe Cyſatus, p. 175. ex quo Kircherus ſua hauſit. Ego Dracones binos ſaltem vidi, non Vietorem ipſum, & unum

num ex illis delineavi. Atque, ſi judicare licet, videtur mihi Caſula ſeu Planeta Lucernenſis opus eſſe acu à Chinenſibus pictum, & Draconis figura ea, quales Gentis hujus, imprimis Imperatoris inſignia gerunt. Addit Kircherus Anathemate publico Lucernæ in Eccleſia S. Leodegarii ſuperſtite, veritatem rei, præter tot alia teſtimonia convinci. Sed nec de hoc certus fieri potui. Contrarium videtur elici poſſe ex ipſo Cyſato, accuſante negligentiam vel incogitantiam Majorum, quod nec diem, nec Annum, nec viri nomen in Annalibus ſuis conſervarint, quandoquidem alii rem ante 100. alii ante 130. annos contigiſſe velint. Hujus defectus cauſam adſcribunt multi Incendiis, quibus pleraque Eccleſiæ illius Cathedralis monumenta perierint. Inde à meo reditu comperi, in Documentis Eccleſiæ exprimi annum 1420. quo Hiſtoria contigerit. Mira hæc eſt, non tamen Monadica Hiſtoria. Simile ferè recenſet *Matthæus Paris* in *Majori Hiſtoria Anglorum* ad A. C. 1195. de quodam Cive Veneto, cui nomen Vitalis, qui in foveam Leonibus, Urſis, Lupis præparatam incidens, ibi fortè offendit Leonem & ſerpentem, ſed quoniam ſigno Crucis ſe muniverat, vivus ibi degit, per Nychthemeron & amplius, liberatus tamen à Sylvano paupere Agricola. Aliam magis ſimilem narrat *P. Ludovicus Richeomus* in *Peregrino Lauretano*, Cap. 138. ex *Johannis Fiſcheri* Roffenſis Epiſcopi Opere edito A. 1526. adverſus Oecolampadium, de ſacerdote quodam, qui ſub Hyemis initium Italiam verſus iter agens, in Alpibus errabundus ſub exeſa & propendente rupe totam Hyemem transegit in conſortio ſerpentum varii generis, qui lingendo ſuccum è Lapidibus proſtillantem vitam conſervârant, ipſique ſacerdoti blandâ ſimulatione eandem ad vitam ſervandam viam commonſtrârunt.

Pedati non alati Dracones, quos Regio Lucernenſis ſuppeditat, ſunt ſequentes.

Primus deſcribitur ex ore Venatoris à ſupra jam nominato Schorero, in Literis ad Kircherum datis, his verbis: *Nomen huic (Venatori) erat Paulus Schumperlin, qui nondum montem, quem Flue nominant, venandi cauſâ aſcendens, juxta*

Fig. 6.



Fig. VI.

It. 5.







Fig. VII.

It. 5.

ta ingentis ſpeluncæ oſtium Draconem ſtabulantem A. 1654. *circa Feſtum S Jacobi offenderit; Erat ei Caput ſerpentinum, collum & cauda longitudinis æqualis, pedibus* 4. *a terra pedem unum & amplius erectis gradiebatur, toto corpore ſquamatus, nec non variis maculis partim griſeis, partim albis, fulviſque conſperſus. Caput habebat Equi haud abſimile, qui mox ac eum conſpexit, magno ſquamarum ſtrictu, intra ſpecum ſe recepit.* Fig. 7.

Secundus *Draco* ſeu *Hydra ingens* A. C. 1499. d. 26. Maji immani ſpecie, patulis auribus, craſſitudine Vituli, longitudine vero 8. Cubitorum, Lucernæ ex Lacu ad Pontem Ruſæ ſecundo fluvio natare viſa eſt. *Lycoſthen. de Prodig.* p. 510. *Etterlin Chronic. Helv.* p. 112. *Stumpf. Chorog. Helv.* L. VII. c 7. *Schilling. Chronico Lucernenſi.* p. 119.

Tertius etiamnum, ſi fabulæ fides habenda, in vivis eſt, viſus non ita pridem à multis *Oſtergaviæ auf dem blutten Eſel*, horæ ſpatio circiter à *Villiſovia* oppido, bipes, craſſus dimidium ferè pedem, ſquamatus, virideſcens, capite craſſo. De hoc plura jam & certiora, quam quæ rumor fert, inquiſivi, quæ eo ſeſe terminant, in fumum tandem abiiſſe Relationem, de quo imprimis poſteros monere volui, ne fabulæ fidem præberent.

Quartum etiam recentiſſimum tertio huic aſſociat rumor, Lucernæ per plateas vagans, vidiſſe eum dicunt ante Caſulæ ſuæ fores Eremitam, ſupra Pagum *Weggis* ad Montem *Regium*, & ita ſtupuiſſe, ut præ timore non auſus fuerit egredi. Sed de hoc quoque nil certi aſſerere poſſum.

IN SUBSYLVANIA.

Memorabilis contigit Hiſtoria, quam ita ex Etterlini Chronico, p. 7. Stumpf. Chron. Helv. L. VII. cap. 2. deſcribit Wagner Hiſt. Nat. Helv. p. 245. *Ab ipſo ſtatim initio, cum Helvetia primum purgari cœpiſſet, fœdus in ea ſerpens, quem Annales noſtri ein Lindwurm appellant, & horribilis Draco repertus eſt apud Subſylvanos, ſupra pagum Wyler. Is pecudes ſimul ac homines profligabat, ut pagus Oedwyler dicere-*

retur, quaſi villa deſerta. Ibi quidam ex Indigenis nomine Winckelried, cum ob homicidium exulare coactus eſſet, pollicebatur, ſi bona cum gratia in priſtinam ſedem reciperetur, ſe ſerpentem illum interfecturum. Id ei magnâ cum lætitiâ concedebatur: Sed cum Dracone debellato, illico brachium, quo cruentum gladium tenebat, hilaris attollens, de Victoria ſibi ac popularibus gratularetur, Draconis ſanguis ei in corpus deſtillans præſentem ei mortem attulit. Spelunca, in qua Draco hic ſtabulabatur, adhuc hodie videtur, & vulgo die Drackenhöle (Spelunca Draconum) appellatur.

Huic jungo Draconis *Sceleton inventum in monte Staffelwand, intra abditum quoddam antrum* A. 1602. *qui ruina montis ex Terræ motu ſuccuſſi oppreſſus fuerat*; ut ex relatione ſupra nominati Schoreri refert *Kircherus*, l. c. & aliud *in Monte Pilati, ſeu fracto apud Subſylvanos, ſceleton Draconis in antro quoque repertum & effoſſum*, ut *DD. Johan. Caſparus Jacobus* apud Sarnenſes Medicus peritiſſimus αὐτόπτης Celeb. Wagnero retulit. v. Wagn. H. Nat. p. 253. *A.* 1689. *d. 9. Jul. Oſſa nonnulla Draconis effoſſa mihi oblata ſunt, quæ ita ſeſe habebant I. Dimidia mandibula Draconis cum ingenti dente anteriore, longitudo ejus ſeſquiquadrantum ulnæ & dimidiæ unciæ, pondo ejus ℥. vijß. II. Dens anterior peculiaris, quorum bini in ſuperiore, & bini in inferiore mandibula prominent, longitudo ejus ſeſquiquadrantum ulnæ, craſſities dimidiæ quadrantis, pondo ejus ʒij & ʒiij, coloris albidi & ſplendentis, uti dentes Equorum. III. & IV. Duo dentes molares, latitudo eorum dimidiæ quadrantis ulnæ, pondo ſingulorum ʒß & ℥j Radix horum dentium lutea, corona autem albicans. V. & VI. duæ ungulæ digitorum pedum, obtuſæ & cinereæ, cujuslibet pondo ʒj. VII. Os femoris, coloris lutei, longitudo ejus ſeſquiquadrantum ulnæ, ſed utroque capite deſtituebatur, pondo ejus ʒij & ʒiij. Hæc Wagnerus in MSC.* Suſpicor ego, reliquias haſce, oſſium eſſe non tam Draconis, quam Urſi, confirmor in hac Conjectura ex Obſervatione A. 1718. facta, oſſibus ſcil. in crypta altiſſimi Montis Glaronenſium, *Oberürner Schwendi* repertis, & pro reliquiis Draconis alicujus agnitis, quæ aliud non ſunt, me ju-



Fig. VIII.

It. 5.

judice, quam urſi alicujus, qui fortè in hoc Antro Hybernacula quæſivit, exitu poſt denegato, ut fame perire neceſſum habuerit. Pergo ad

DITIONEM GLARONENSEM.

Vergente Æſtate A. 1717. offendit Rhizotomus Joſephus Scherer Navalienſis ad Radicem Glarniſchii, ſemihorâ ſupra Glaronam, animal capite felino, oculis protuberantibus: pedem longum, corpore craſſo, quadrupes, duabus veluti mammis ex ventre propendentibus, caudâ etiam pedali, ſquamoſum, & multicolor. Hoc baculo acuminato transfodit, aſſerens, molle fuiſſe & ſanguine virulento plenum, ut ex gutta affuſa cruri, id intumuerit, & curæ menſtruæ expoſuerit. Rogavi Rev. Dominum Henricum Tſchudium, Eccleſiæ Suandenſis Miniſtrum, ut per virum probum inquireret in oſſa ſceleti reſidua, quorum aliquot tranſmiſit d. $\frac{16}{27}$ & ult. Apr. 1718. quæ inter rariora mea adſervo. Intimavit idem Tſchudius, vivere in paſcuo alpino Roſsmalt Lacertarum quoddam genus magnum, & miſit ſimul autographas Præceptoris Steinmülleri, qui in oſſa reſidua inquiſivit, Glaronæ datas d. $\frac{9}{20}$ Apr.

ABBATISCELLANIS

Adjudicari debet ſequens Hiſtoria, ex Wagn. H. N. p. 250. deſumta. *Cum Johannes Egerter, dictus Martishans,* Fig. VIII. *vir honeſtus & ſeptuagenarius, ex vico Lienz, Baronatus Saxenſis, ante 22. annos in Alpe Commoor, vicinâ Præfecturæ Saxenſi degiſſet, loco dicto im* Wellerſchen Gang *in Draconem horrendum ſub rupe degentem, immani capite, bifidâque linguâ, longè hanc è faucibus evibrantem, incidit; Colore is atro, ſtriiſque luteis diſtinctus fuit; dorſum à capite ad caudam uſque nodoſum, alvus vero coloris flavi & aurati apparuit: ad anteriorem Corporis partem cruribus duobus, magnitudine circiter unius pedis fuit inſtructus; poſteriorem corporis partem probè animadvertere non potuit; at caudam prælongam, flexu multiplici involutam obſervabat.*

Draco hic viſo viro ſurſum ſe erexit, & anſeris adinſtar ſibilum edidit, ex cujus afflatu Cephalalgiâ ac Vertigine vir ille fuit correptus, Oculique ejus maxime debilitati ſunt, & niſi ſubito fugâ ſibi conſuluiſſet, vim à beſtia ſibi illatam fuiſſe perſuaſum habet. Uſus autem poſtmodum Medicamentis Ophthalmicis priſtinam viſus aciem recuperavit. Hæc ex relatione ipſiusmet viri, adhucdum vivi, cui hoc accidit, cuique plena fides adhibenda eſt, Rev. D. Joh. Georg. Denzlerus, V. D. M. im Sennwald, Baronatus Altoſaxenſis, communicavit. Hactenus Wagnerus, l. c. Color flavus & ater, quo Draco hic fuit inſignis, inter genuinas refertur notas. Scribit Avicenna *facies ipſis eſſe flavas & nigras*, & Nicander Φράζεο καὶ χλοάοντα δαεὶς κυανόντε Δράκοντα. *Etiam peritus deſcribe flavum & nigrum Draconem.* Effectus, quem Draco hic noſter exeruit in Egerteri corpus, ſolvit dubiam multis quæſtionem, an Dracones venenati ſint, nec ne. *Plinius* Lib. XXIX. Cap. 4. *Aëtius*, *Iſidorus* ſcribunt, *Dracones* non habere venena. Unde à Dracone morſos parum dolere ſcribit Nicander; aliis è contra venenum ei attribuentibus penetrans valdè & peſtiferum, præſertim ſi fuerit

Βεβρωκὸς κακὰ φάρμακα.
paſtus malas Herbas.

Homer. Iliad χ. vel θανατηφόρους ῥίζαν ἐσθίει, *mortiferas Radices ederit*, juxta *Ælianum Hiſt.* L. VI. Cap. 4. In Terris Calidioribus, uti Africa & Arabia, non mirum, ſi ejuſdem generis Animalia venenata magis ſint, quam in frigidioribus Regionibus.

Dracones.
peſtiferos ardens facit Africa. Lucan.

Hinc apud Heliodorum ſagittarii ex Æthiopia μικρᾶς μὲν τοῖς βέλεσιν, ἰῷ δὲ Δρακόντων πεφραγμένοις εἰς τοξεύαντες, ὀξύν τινα καὶ ἀπότομον θάνατον ἐπέφερον, *parvas quidem ſagittas, ſed veneno Draconum infectas conjicientes citam & acerbam mortem conferebant.* Ipſe Sacer Codex venenum Draconibus adſerit. Ita in Cantico Moſes, Deut. XXXII. 33. *Venenum Draconum vinum eorum.* Et Sap. XVI. 10. τοὺς δὲ υἱούς σου οὐδὲ ἰοβόλων Δρακόντων ἐνίκησαν ὀδόντες. *Filios autem duos nec venenatorum Draconum vicerunt dentes.*

In





It. 5.

In Monte *Wand* viſos olim Dracones fuiſſe teſtatur *P. Clemens Capucinus*, Deſcript. Montium Abbatiſc. MSC.

RHÆTIA.

Montoſa adeo eſt, & cryptis horrida Regio, ut mirum foret nullos dari ibi Dracones.

De Hujus generis Animantibus, A. 1559. & ante viſis ita ad *Dominum Henricum Bullingerum* ſcribit *Joh. Frabritius* Curiâ Rhætorum, A. 1559. d. 18. Sept. *Rumor ille de Dracone illo non omnino vanus fuit, ſed quod fit, dum quiſque aliud aliquid affingit, per mendacia quoque crevit. Auguſtinus à Salicibus, vir fide dignus nobis retulit, præſente utroque Conſule & aliis bonis viris, eum conſpectum fuiſſe, ſed nonniſi à duobus, & quidem ſeparatim, quorum tamen deſcriptio non diſcrepet. Non tamen adeo mirum illis hoc accidiſſe, quod ante 30. annos indigena quidam, qui etiam nunc ſuperſtes ſit, ingentis magnitudinis vermem, in rupe quadam prærupta apricantem, ictu bombardæ confecerit; cujus tabes tam peſtilens fuerit, & virus ventum adverſum ſecutus homini viſum eripuerit, & cætera ita inflarit, ut vita ejus jam eſſet planè deſperata; Eum tamen, cum vix ſemimortua membra traheret, domum tandem deveniſſe, locumque ſuis demonſtraſſe, & poſt aliquot dies illum vermem interfectum.* Hæc Wagnerus in. H. Nat. MSC.

Curioſa ſunt, quæ narrat Rev. Dominus *Petrus de Juvaltis*, paſtor *Stolii* in Tractu *Bergoniano*, Stul im Bergüner gericht, in Literis, d. 29. Oct. 1702. datis. A. 1696. ſub Auguſti initium, accidit Bumulgo, *Bartholomeo Alegro de Ponte* ex Juriſdictione Plurienſi, ut vaccas duceret ad Montis *Joppatſch* paſcua Stolienſia, & in apice montis, quem ſolus conſcenderit, in Foveâ quadam profundâ (in un grand Fopp) viderit Beſtiam in ſe convolutam, à radiorum ſolarium incidente ſplendore rubenti colore ſignatam, & quieſcentem. Curioſus hic Paſtor, quid monſtri alat hæc Fovea, acceſſit propius, mox tamen in conſpectu habuit Animal evolutum & corpore erectum, duarum circiter ulnarum, ca- *Fig. IX.*

pite felino, ſed compreſſiori, piloſo, rubro, micantibus oculis, cingulo candido circa Collum, pedum loco, ſquamatis, piſcis adinſtar, appendicibus prædito, Linguâ ſerpentinæ ſimili, caudâ bifurcatâ. Hoc ſpectaculo perterritus paſtor fugâ ſibi conſuluit, ſed beſtiam habuit celeri motu, quem ſagittæ comparavit, inſequentem. Præſidium invenit profugus retrò Collem, quem Draco ſuperare non poterat, in ipſo tamen Colle furibundi adinſtar ſeſe volutans. Dum hæc ita peragebantur, arripuit paſtor ſclopetum, quo armati frequenter incedunt paſtores alpini, & eâ, quâ polluit, dexteritate Beſtiam globo feriit, non eo tamen effectu, ut proſtrata jacuerit, ſed vindictam de hoſte ſuo petitura, hunc non eundo, nec ſaliendo, ſed ſagittæ inſtar rectâ lineâ ſeſe vibrando illi ſe approximavit, mox tamen à Paſtore per lapidationis methodum occiſa. Triduo poſt inventum fuit Animal putredine conſumtum, & Muſcarum ingens Caterva Cadaveris reliquiis inſidens. Taliſmodi Dracones viſos ſæpius fuiſſe à monte *Foppatſch* ad oppoſitum ei *Utgeis* vibratorio motu Aërem ſulcare teſtantur Accolæ. Quoad ſtructuram pedum conferri poteſt hic Draco cum alatis illis in vallibus *Georgiani Regni, qui anſerinis pedibus gradatim humi ſerpunt*, memorante *Paulo Jovio*, Lib. XVIII. Coloris reſpectu ita hunc, ſi Comites alios habuiſſet, allocutus fuiſſet *Lucanus*:

Vos quoque qui cunctis innoxia numina Terris
Serpitis aurato nitidi fulgore Dracones:

Cui accinuiſſet *Homerus Iliad.* β. v. 308.

Ἐντεφάνη μέγα σῆμα, Δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινὸς.
Ibi apparuit magnum ſignum Draco dorſo rubens.

Parallelum huic habemus θεόπνευστον Johannem, Apoc. XII. v. 3. καὶ ὤφθη ἄλλο σημεῖον ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἰδοὺ Δράκων μέγας πυῤῥὸς. *Et viſum eſt aliud ſignum in cœlo, Draco magnus, rufus.*

Alia Rhæticorum Draconum Exempla refert Huldricus Campellus Engadinâ Rhætus Cap. 52. *unum narrant* (inquit) *olim Lacuſculum Suſienſis Montis, Alpium Juliarum nomine etiamnum admodum inſignis, incoluiſſe à Johanne Brancano, Guadenſi, Necromantici ſcholaſtici opera adjuto, primum mul-*





It. 5.

multis foliorum ſeu virgultarum faſcibus oppletum, deinde vero Oenipontium, inde Oeno amne ſecundo abductum fuiſſe, fera cum diluvie, ac ſæva turbati Aëris tempeſtate ſubſequente nec ſine periculo ibi occiſum tandem. Item alium, quem ſuperioribus hiſce annis à Johanne Maleto in ſolitudine Sant Mauritiano ſtagno vicina, viſum haud ſine noxa fuiſſe, alibi dictum eſt. Certe cum Avus meus maternus Martinus Maſſolius, qui & Baloccius, in ſaxeto horribili ad Radicem memorati Alpijulienſis Montis in ſerpentem ejuſmodi immanis planè, tum amplitudinis, tùm formæ ex improviſo conſpectum incidiſſet, tantus eum horror invaſit, ut totus ſibi diutino morbo correpto, ac lecto affixo decumbenti pilus deflueret, & cutis earum corporis partium decideret, quæ tum ad conſpectum Draconum ſeu bovum certè immaniſſimam belluam nudæ vel veſte non tectæ deprehenſæ fuerunt. Hucuſque Campellus, in Hiſtoriæ Rhæticæ MSC. Appendice, Cap. 52.

COMITATUS SARUNETUM.

Anno circiter 1660. *D. Andreas Rodunerus Secretarius* Fig. X. *& Signifer Præfecturæ Altoſaxenſis, montem apud Sarunetes,* (im Sarganſer Land) den Wangſerberg *vulgo dictum, cum adjuncto ſibi ſocio ſcandens, Draconem Montanum magnitudinis horrendæ obvium ſibi habuit, qui ad eorum conſpectum in pedes poſteriores ad magnitudinem Viri ſeſe ſuſtulit, corpus ejus aſperrimis ſquamis obſitum fuit, longitudinem ejus dimidii mali cerealis & moles ejusdem craſſitiem adæquabat; quatuor inſtructus erat pedibus, auribus & facie felis fuit; cauda ejus trium circiter cubitorum longa fuit; venter à pedibus anterioribus verſus poſteriores ſtriis croceis, venarum inſtar erat diſtinctus; dorſum univerſum ad caput uſque ſetoſum, hoc etiam criſtâ inſignitum fuit. Ii autem viam deſerentes regiam, per avia absque damno iter ſuum proſecuti ſunt,* Ita ſæpius citatus Wagnerus Hiſtoriam hancce vernaculâ & propria manu ab. Ampl. D. Landammanno Rodunero, prædi-

cti D. Secretarii filio, exaratam ſibique communicatam, Hiſt. Nat. p. 249. inſeruit.

CASTRA RHÆTICA.

Fig. XI. Malis Draconibus adnumerandus venit, quem ante decennium circiter offendit vir quidam probus Mejerus nomine (cujus frater Rev. Domino Camerario Blumero eſt à ſervitiis,) ſupra pagum *Quintam* jacentem ſub umbra Abietis proceræ, pedatum, alatum, alis rubris maculis notatis, argenteo nitore veluti ſplendentibus, reſpirando veluti ſuſpirantem, & alas ſubinde commoventem, quo tamen viſo mox rediit. Biduo poſt ſubſecuta eſt grandinoſa Tempeſtas, quæ confirmavit communem Alpicolarum Traditionem, quod communiter graves ſequantur Tempeſtates, ſi alicubi videantur Dracones. Non ſane deſtituit eos ſana Philoſophia. Aëre rarefacto, & tempeſtate imminente novimus è latebris ſuis prodire Lacertas, Salamandras, Ranas, & id genus Animantia alia.

Ultimo loco non præteriri debet, apud Gentes noſtras alpinas paſſim Torrentes ſævos homonymon eſſe Draconum; ſolent enim, ubi Torrens quidam per Alpium declivium cum impetu ruit, & vaſtas mole Petras, Arbores, aliaque ſecum rapit, dicere, *es iſt ein Drach ausgefahren*, *erupit Draco*, cui Phraſeologiæ anſam forte dedit Draconum pernicitas, & adſcribenda, quod non negaverim, multorum, qui circumferuntur in ore populi, Draconum Hiſtoria mendax. Hoc tamen non obſtante, ſatis ſuperque ex hactenus allatis Draconum Helveticorum Exemplis, iiſque collatis cum Exoticis, patere judico, dare id genus beſtias, ſeu proprium conſtituant Animantium genus, ſeu Monſtris Serpentum, quod multi volunt, adnumerari debeant. Patet item, non unius eſſe ſpeciei omnes, alios nempe alatos, alios apodes, Anguibus ſeu ſerpentibus accenſendos, alios pedatos, quos cum Lacertis potiori jure conferas, differre item colore, ſquamis, partium Corporis figura: Ut hinc manca admodum ſit, ſaltem Hiſtoriæ Helveticæ minus congrua, Notarum

Cha-



It. 5.



Characteriſticarum enumeratio, quas habet *Bochart.* lib. cit. p. 435. quod nempe Dracones à Serpentibus diſtinguat, 1. *vaſta moles* 2. *Barba ſub mento & palearia.* 3. *Dentium ordo triplex.* 4. *Color niger, rufus aut cinereus.* 5. *Rictus Oris ingens* 6. *Quod aſpiratione ſua non ſolum Aërem attrahant, ſed & aves ſupervolantes.* 7. *ſibilus terribilis & aliquomodo lugubris, unde dicuntur* תנין *Tannin.*

Nunc tempus eſt, ut promoveamus pedes.

In Templo Cathedrali, quod pro Patrono agnoſcit S. Leodegarium, vidimus præter veſtem ſacerdotalem ſupra memoratam, in qua acu picta cernitur Draconis effigies, Organum Pneumaticum percurioſum, quod ſui ſimile vix habet, ſaltem non in Helvetia. Altitudo fiſtulæ maximæ eſt 37. pedd. pondus 12. Centenariorum, fiſtularum omnium numerus ſurgit ad 2713. ad quas omnes patet aditus unicus per 50. ut vocant, Regiſtra. ὀργανοποιὸς eſt *Johannes Gyslerus* Salisburgenſis, cujus effigies ſuſpenſa & viſitur in Templo, addito A. 1651.

In Curia ſuſpenſa viſitur Mappa Topographica Lucernenſis Territorii confecta à *Joh. Henrico Wägmanno*, Cive & Geometra Lucernenſi, cujus Exemplar aliud poſſident R. R. P. P. Capucini Lucernenſes, & tertium Bibliotheca Civica Tigurina. Apographum ego elaboravi hoc Anno, adjuncto Locorum Indice Alphabetico, & ſubjunctis Caſtrorum & Arcium totius Ditionis Lucernenſis Inſignibus.

Altitudo Mercurii in Barometro fuit die 18. & ſequenti *Lucernæ* 23″. 9‴. eadem adeo, quam habuimus Tugii. Aſſerunt tamen unanimi ore Accolæ Lacus IV. Civitatum Sylveſtrium, quod vero videtur conſentaneum, trajicientibus Immiſea Kusnacum, & ad aſcenſum deſcenſumque probe attendentibus, eſſe hunc altiorem Lacu Tugienſi, adeo ut, ſi transfoderetur fretum, periculo inundationis exponeretur Tugina περίχωρος.

Dies 19. Jun.

Dicatus eſt aſcenſui in Montem *Pilati*, quem peculiari libro *Mons Pilati.*

bro deſcripſit χαριέστατος noſter Geſnerus, ut nos diffuſiori labore ſuperſedere queamus. Filum tamen Itineris noſtri, ne interrumpatur, tendere è re duco. Radix *Montis* hujus *Fracti*, ita namque propter ſcopulos, in quos diffracta ſunt Juga ejus, vocabatur olim, hodieque *Fracmünt*, *Fracmunt*, *Fracmont*, ab urbe Lucernâ diſtat fere bihorio. Itur eo per viam planam, campos & prata florida, ſylvas frondoſas, juxta antiquæ Arcis rudera, quam ab Anglo quodam poſſeſſam volunt. Primus, iſque præceps ſatis Aſcenſus fit ad Pagum *Hergiſwald*, *Hergottswalt*, ubi A. 1486. vitam Eremeticam degere cœpit *Johannes Wagnerus*, Riedlingâ Suevus, antea Monachus Cartuſianus, & poſtmodum A. 1603. in honorem Divæ Virginis & memoriam Sancti hujus viri erectum eſt ſacellum ſatis magnificum, variis nunc Sanctorum reliquiis dives, quo confluunt undique ex vicinioribus æque ac remotioribus locis. Neſcius vero ſum, an hîc loci inter alia κειμήλια aſſervetur adhuc, quem ego reliquis longe præferrem, A. 1660. d. 26. Auguſt. *in Uraniorum Ferri fodinis*, im ſchwartzen Ertzberge, *in medio ſaxi lapis inventus Ferrarius*, *in ſpiras convolutus*, *in cujus centro Deiparæ infantem in ulnis geſtantis imago non ſine ſtupore aſpectantium apparuit*, quam Typis una cum hiſtorica relatione edidit generoſus Dominus *Conradus de Sonnenberg*, cujusve Iconem *Mundo ſubterraneo* inſeruit *Kircherus* Tom. II. Lib. VIII. Sect. II. cap. 2. p. 49. ejuſque meminit ex Kirchero *Wagner Helv. Nat.* p. 328. *Hic ne ipſa quidem omnis bonæ malæque materiæ fœcunda artifex Natura rationem redderet*, ut verbis utar *Valerii Maxim.* Lib. I. Cap. 6. Oedipo opus habent ii præſertim, qui ex vanæ ſuperſtitionis obtentu miraculoſi quid crepant, vel Archei, neſcio cujus, in viſceribus Terræ laborantis opus hoc eſſe volunt. Aſt alia mihi mens, Deiparæ inde à tot ſæculis, à Pontificiis cultæ imaginem à foſſore in fodinas delatam, ibi relictam & Martiali ſucco, figurâ ſervatâ, petrefactam atque obductam judico. Subſcribent, qui tot hujus generis Icunculas in Fodinis Saxonicis vel invenerunt ipſi, vel ex relatione aliorum norunt. Ex deſerto hoc ſylvoſo DEÆ ſacro, non DEO, quod

quod tamen poſceret ipſa nominis ſignificatio, *Gotteswald*, habet Kircherus *Hergis*, vel *Hergottswald*, id eſt, Dei vel Domini Dei ſylvam vulgus, ulterius aſcendendo devenimus in *Eigen* vel *Eyenthal.* Vallis hæc eſt peramœna, ſui quondam juris, per horæ ſpatium ad ipſam Equis non amplius ſuperabilem Montis acclivitatem protenſa, paſcuis dives, qua partim Noſodochio Lucernenſi attinent, partim privatis, & Senntenas plures lacte replent. In hac valle altitudinem Mercurii habuimus 22″. 3‴. hora 9. ante meridiem, cœlo ſereno, monte tamen nebulis circumdato. Hæc, ſi conferatur cum altitudine Lucernæ Urbis, perpendiculum dat 1280. pedd.

Aſcenſus ex Valle hac *Eigenthal* ad Montis ipſius ſcopuloſa juga duplex eſt, unus præceps admodum, ſed brevior, in viâ ſiſtens *Fontem Febrifugum*, è quo ad nauſeam uſque bibunt Accolæ contra Febres intermittentes: alter longior & facilior, quem nunc tentavimus. *Fons Febriſugus.*

In Montis jugo, non tamen ſupremo, quod partim propter Corporis laſſitudinem, partim propter longinquitatem viæ adhuc emetiendæ ſcandere non lubuit, Mercurii altitudo fuit 20″. 4‴. quæ nobis indicabat, altiores nos eſſe valle ſubjectâ alpinâ Eigenthal 1520. & Lucernâ urbe 2800 pedd; prorſus uti eam comperi A. 1702. atque etiam ὀρεσιφοίτῃ illius Anni inſerui. Confirmat hæc iterata nunc in eodem loco Obſervatio Praxin, qua utor in Locorum altitudinibus dimetiendis, Barometricam.

In hoc Montis Fracti Cacumine, è quo diffuſus admodùm patet in Helvetiam περιχώρον proſpectus, Phænomenon obſervavi, quod omnino meretur dignam ſui recenſionem. Sunt Pini & Abietes, quo altiori loco ſitæ, eò brevioris ſtaturæ, foliis pene nudæ, & à frigore ſemiuſtæ, ſed inſuper ramos habent, non æqualiter undique diffuſos, ſed verſus meridiem tortos, manifeſto indicio, quanta ſit vis Boreæ Culmina hæc Pilati Montis libero motu trajicientis, vis, inquam, ramos arborum in contrarium ſitum torquens, & fibras tortas frigore perenni conſtringens. Jucundum in ſylvæ ſeminudæ horridâ facie, & Hyeme, ut ita loquar, æſtivâ ſpectaculum, quod

adnumerari poteſt circulorum, qui in Arboribus vulgo Anni vocantur, illi Phænomeno, è quo Plagas Mundi dignoſcere licet. Sunt hîc totidem Arbores, totidem Magnetes, tot acus Magneticæ, quot rami. In Americana *Terra del Fuego* dicta Arborum rami à violentia venti occidentalis verſus ortum ſunt tracti, teſte Itinerario Jacobi Hermitæ in Indiam ſuſcepti Itineris A. 1623., quod extat Tomo IV. *Recueil des voyages, qui ont ſervi à l'etabliſſement de la Compagnie des Indes orientales* Amſt. 1705.

Ex parte Montis ſeptentrionali, antequam Culmen attingitur, ſunt Lacus illi vel Lacunæ potius (duæ enim ſunt, una inferior paulò alterâ) Pilati, de quibus plura dicere nunc non attinet, quam id, quod alibi quoque indicaſſe me memini, eſſe fabulas meras, & anilia deliramenta, quæ de Pilato in Lacum demerſo, & tempeſtates occaſione Lapidis injecti excitante, olim fuere tradita.

Montis Facies Meridionalis, quæ ſubſylvanorum eſt, multum nobis negotii faceſſit. Præceps eſt ea, per plures ſilvas & paſcua quædam illis intermixta, per laſſantes crurum labores, Alpnacum ducens. Horridior fuit ante ſeculum, & quod excurrit, & ſylvoſa prorſus Montis Pilati hæc Auſtro expoſita Facies, quæ tamen magis & magis excolitur, Privilegio accolis dato, cujus tenore ſylvoſum quoddam ſpatium Arboribus denudatum, & in Carbones redactum, in paſcuum ſibi proprium commutare poſſunt Carbonarii.

Alpnach. *Alpnaci*, *Alpnach*, ubi pagus eſt & Navium ſtatio, Barometri altitudinem habuimus 23″. 8‴. quæ Lucernæ hodie fuit 23″. 9‴. quæ unius ſcrupuli differentia nos non impedit, quò minus eundem ponamus utriuſque Loci, Lacui adſiti, ſitum. Credibile eſt, delapſum quoque eſſe Lucernæ Mercurium ad 23″. 8‴. Tiguri fuit hac die altitudo 23″. 7½‴. in duplici autem minori Barometro aſcendens Mercurius ad gr. 56. ad 76. inſignem in Atmoſphæra indicavit rarefactionem, quam craſtinâ veſperâ ſecuta eſt pluvia larga cum Fulguribus & Tonitribus. Vi obſervationis hujus eſt Muſeum meum elevatius Lucernâ, Alpnaco, & ſic quoque aliis Lacui adſitis Locis 120. pedd. & Lacus ipſe IV. Civita-

tum

tum Sylv. ejuſdem fere ſitus Horizontalis cum Tigurino, quod alibi quoque innui.

Dies 20. Junii.

In Alpnacenſi portu habuimus altitudinem Mercurii 23″. 8‴. cœlo ſereno & calido.

Dum ſolveremur navi, delineavi proſpectum in montes *Lopperberg*, *Bürgenberg*, pone quos eminus viſitur Suitenſium mons *Hacken* dictus, & ad dextrum latus *Der muterſchwanderberg*, qui Amphitheatri inſtar ſinum hunc Lacus IV. Civitatum ſylveſtrium ambiunt,

In hoc Sinu montibus undique ferè clauſo Exemplum occurrit *Ventorum ſtatorum*. Nam occidente Sole ſpirare incipit Zephyrus, qui durat ad ſequentis uſque diei horam nonam antemeridianam. Hunc ſequitur orientalis, quem vocant den *Heiterenwind*., regnans uſque ad veſperam. *Venti ſtati.*

In hoc Lacus ſinu occurrunt Fontes quidam Hiſtorica Relatione haud indigni.

Ad Fretum ipſum inter *Loppiam* & *Rotzberg* eſt Fons Temporarius Majalibus adſcribendus, cujus meminit *Wagner Hiſt. Nat. Helv.* p. 131. ex *Cyſati* IV. Waldſtetten See Beſchreibung. p. 248.

Periodos non ita regulares, ſed mirandas magis abſolvit alius Fons *an dem Bürgenberg*, qui etiam, ut Majalis, ad initium æſtatis oritur, ſed *ſæpe unico die octies vel decies ceſſat, ac curſum ſuum redintegrat. Wagner* ex Cyſat. l. c.

Ad Loppiam, ander Lopp, Fons ſulphureus extat frigidus, qui mox ibidem in Lacum IV. Civit. Sylv. ſe exonerat. Wagn. p. 126. ex Cyſat. l. c. *Fons Sulphureus.*

Copioſior magis eſt, quem vidimus & guſtavimus, è regione Loppiæ, *im Rotzloch*, ſulphur copioſum odore pariter & ſapore prodens, quo utuntur ibi ad potum, balneum & culinam. Scaturit hic diverſis Locis, mox tamen rivo præterfluenti, *Rotzbach*, aquas ſuas communicat, adeſt hîc Sacellum & *Rotzloch.*

Molendinum Chartaceum. Hic quoniam ſubſiſtere neceſſum habuimus per horulæ ſpatium, binos delineavi proſpectus.

Stanſium. Ex Rotzloch pedibus continuavimus Iter ad vicum vel oppidum *Stanz*, *Stans*, *Stantium*, *Stationem*, *Stannes*, quondam, ante ſcil. Annum. 1150. totius Subſylvaniæ, nunc vero vallis duntaxat inferioris primarium, quod ſuperbit Templo pulchrè exornato *Marmore* nigro albis maculis interſtincto, quod inde haud procul *im Wieſenberg* effodiebatur.

Oedweiler. A Stantio haud longe abeſt Pagus *Oedweiler*, deſertam villam Latium dixerit; Nomini dedit originem Draco ille Regioni, præcipuè verò accolis, infeſtus, qui totam περίχωρον commutaſſet in deſertum, niſi ab Heroë illo Helvetico, quem *Struthii Winckelriedii* nomine inſigniunt *Annales Stantiani*, fuiſſet occiſus. Vult Tſchudius Hiſt. MSC. ad A. 1250, quo Draco occiſus dicitur à Winckelriedio, eundem hunc eſſe, qui pro Imp. Friderico à Pontifice Gregorio X. excommunicatò militiam ſecutus, ob præſtantia geſta Eques fuit declaratus. In Monte vicino adhuc conſpicitur Caverna, *das Drackenloch* dicta, in qua Draconem degiſſe fama eſt. Hiſtoria vero ipſa depicta viſitur in Sacello prope Oedweiler.

Stantio relicto ivimus porro per pagos *Oberdorff*, *Allweil*; juxta ductum Fluvii Aa, ad dextram habentes *den Wieſenberg*, ad lævam pagum *Nieder Rickenbach*: per *Wolffenſchieſs*, *Grafenohrt*, ubi ſedes quondam Comitibus Habſpurgenſibus, nunc Monachis Angelimontanis recreatoria: tandemque ſerâ admodum veſperâ, & à pluviâ, quæ cecidit, largâ bene madidi venimus in *Angelimontanum Cœnobium*. *Angelimontanum Cœnobium.*

Dies 21. & 22. Junii.

In hoc Angelimontano Benedictini ordinis Cœnobio manſimus per biduum, uſi liberali humanitate Reverendiſſimi. Domini Abbatis *Joachimi* & amicâ converſatione Primatum illius Monaſterii.

Die

Die 21. habuimus Mercurii altitudinem 22″. 1‴. & Die 22. 22″. 2‴. cælo ſereno.

Tiguri die utroque 23″. 7‴. ante meridiem, & poſt 23″. 7½‴. unde judico altiorem eſſe Angelimontanam hanc vallem Horizonte Muſei mei 1360. vel 1200. minimum pedd.

Monaſterio huic eſt à ſecretis Dominus N. *Tſchudius*, ex prænobili illa Tſchudiorum familia, quæ ſeculo X. & ſequentibus nomine venerabilis Abbatiſſæ Seckingenſis Majoratum Glaronenſem poſſedit. In hujus manibus magno mei gaudio vidi, & pro temporis brevi ratione perluſtravi, MSC. duplex, utrumque ſtudiis Hiſtorico-patriis apprimè inſerviens. Unum eſt magni illius *Ægidii Tſchudii*, cujus vitam alibi dare animus eſt, ἀυτόγραφον, continens Hiſtoriam Inſignium Familiarum & Helveticarum Nobilium, unde velut ex Equo Trojano magna Auſtriacæ Nobilitatis pars originem ſuam trahit. Picta in unico hoc Inſignium Tomo videas ſtemmata non minus quam mille, ſuis ſingula coloribus illuſtrata.

Alterum eſt *Pinus Tſchudiana, ſeu Genealogia Familiæ Tſchudiorum à Glarus, quam partim ex vetuſtiſſimis Inſtrumentis, partim ex D. Ægidii Tſchudii de Glarus, & ibidem olim Landammanni, viri eruditiſſimi ſcriptorum Monimentis, & aliis in gratiam omnium Tſchudiani Stemmatis Nepotum per* 8. *amplius ſecula ordine deduxit, & fideliſſimè concinnavit Hermannus Hermanni*, J. C. A. 1628.

Ita biduum conſumpſi excerpendo ex his Codicibus MSC. ea, quæ profectura mihi videbantur ad Hiſtoriam Naturalem, tum Geographicam, tum Heraldicam.

Dies 23. Junii.

Bono manè in Cœnobio fuit Mercurii altitudo 22″. 1½‴. & Tiguri in meo Muſeo 23″. 7½‴. unde prodit media altitudo Horizontis Angelimontani 1280. pedd.

Cœnobio & Cœnobitis poſtquam valediximus, Iter noſtrum proſecuti ſumus verſus occaſum, & primo quidem aſcendimus ſylvam acclivem, dehinc pertranſivimus alpinum

paſcuum, & rurſum Montis jugum admodum præceps, quo ſuperato obviam venit Paſcuum Trublenſe, *die Trübli alp*, & *Lacus* montanus *Trublienſis*, *der Trübliſee*, qui Territorii eſt Subſylvani, ex aquis glacialibus & nivoſis, è monte *Tittliaco*, *Tittlisberg*, defluis collectus. Meminit hujus Wagner. Hiſt. Nat. Helv. p. 57. ſub nomine *Lacus Trubbii*, *Trübbi* oder *Trüpliſee*, additque *magnos eum proferre gobios*.

Nova hinc vincenda fuere juga, antè, quàm pertingere potuimus ad ſummum Culmen *Auf Joch*, id eſt *Jugum* dictum, ubi Terminales ſunt Lapides Bernenſe inter & Angelimontanum Territorium. Supremum hoc jugum attigimus horâ 10. antemeridianâ, & Mercurii altitudinem obſervavimus 19″. 2‴. indeque conjectavimus altiores nos eſſe Angelimontanâ valle 2320 & Tigurino Horizonte 3600. pedd. quæ eadem ferè eſt altitudo Gotthardi. Altiora tamen utrinque habuimus juga, ad lævam quidem *den Ochſenſtock*, *Rauchſtock*, *Tittlisberg*, æternâ nive & glacie obſita, ad dextram *den Geiſſberg*. Deſcendimus hinc oculis uſurpaturi perrarum illud *Fontis Engſtlani* Phænomenon, de quo nonnulla inſerui οὐρεσιφοίτῃ A. 1702. p. 26. ſed non adeo felici ſucceſſu. Nondum enim aderant ſenni, ſeu Paſtores Engſtlani cum Animantibus ſuis cornupetis, ut adeo Anno jam citato, d. 18. Aug. ſero nimis poſt Alpicolarum diſceſſum, nunc vero citò nimis ante eorum adventum huc venerim. Curavi tamen ne nihil egiſſe dici poſſem, accerſi ex inferioribus Vallis Engſtlanæ caſis hominem, qui ſua prope Fontem Engſtlanum paſcua habet, & Junium Juliumque menſes hic terit, ut ab eo perquirere poſſem rei ipſius hiſtoriam. Is ex longa Annorum experientia, conſentientibus unanimiter omnibus vallis incolis, teſtatur, præter ea, quæ loco ex οὐρεσιφοίτῃ meo citato legi poſſunt, prorumpere ordinario mane & veſperi præcedente aliquando murmure quodam ſubterraneo, & repleri ſenſim foveas, quas vidimus bipedales circiter in profunditate, ut tandem ſummum illarum fovearum marginem lambat, & inde exundet tanta quantitate, quæ molæ pellendæ ſuffena foret; Fluere fontem aliquando per duas vel tres horas, aliquando per totam noctem ad ſequens mane; aliquando etiam

Fons Engſtlanus.

iam cohiberi prorſus fluxum, præſertim ſi immundi aliquid in eo lavetur, quam circumſtantiam unanimi ore adſerunt, quotquot hac de re adlocutus ſum. Aquam ipſam eſſe frigidiſſimam & limpidiſſimam, & maxima aviditate guſtari â jumentis, quæ fluxum fontis expectent veluti ſtudio, ut de eo bibant potius, quam de aliis etiam pellucidis aquis, quæ largâ in eodem paſcuo ſcaturiunt copiâ. Ferri has Aquas periodicas tam leni murmure ſuper paſcuum, & veluti tacitas, ut Rorem Herbis inſidentem non abluant, hicque per medium Engſtlani Fontis Cryſtallini conſpici facile poſſit in ſingulis ejus Guttis Gramini inſperſis. De rei ipſius veritate in generali ſumta, ſi non ſingulas admittere velimus circumſtantias, non eſt, cur dubitemus. Noſtrum erit Phænomeni tam rari, cui ſimile in Europâ vix fortè occurrit, inveſtigare cauſas, ad quarum enodationem non parum juvat conſideratio ſitus: Eſt namque paſcuum hoc Engſtlanum, & ſpeciatim fons noſter Temporarius clauſus Alpium altiſſimarum perenni nive, Glacieque obſitarum Jugis; ad Septentrionem ſtrata horum Jugorum laminaria ad occaſum ſunt inclinata: Altiori quam Fons ipſe, verſus ortum ſitu locatus eſt haud procul *Lacus* ipſe *Engſtlanus*, der *Engſtler See*, ex Aquis Glacialibus confluis collectus, qui quidem effluit per *rivum Engſtlanum*, *den Engſtlen Bach*. Hæc omnia, ſi ad Philoſophiæ modernæ Trutinam perpendantur, & imprimis ad Mechanicæ Leges reducantur, ætiologiam admittunt ſequentem, Fratri meo *Johanni* communicatam à ſubtilis ingenii Mathematico Baſilienſi, *Joh. Jacobo. Hermanno*, Profeſſore nunc Matheſeos Francofurti ad Oderam, in qua ego pro nunc acquieſco. *Conjecto*, inquit, *quod prææltorum Montium vallem Engſtlanam ambientium juga Nivibus tegantur, quæ actione Radiorum ſolarium ſufficiente (qualis contingere incipit menſe Junio) liquefactæ magis magiſque, Terræque ſeſe inſinuantes, per meatus ſuperficiei propiores defluant, atque in aliqua intra montem aut vallem prope locum, ubi Aqua, aut Fons ille erumpit, Lapidum aut Argillæ receptacula effundatur. Receptaculum ipſum (in quo mea opinione totum reciprocationis in fluxione negotium*

con-

conſiſtit) ut intus natura id aliquo veluti Siphone muniverit, cujus crus intra Receptaculum brevius, id vero extra idem longius exiſtat. Sit P. Q. Receptaculum, in quod per meatum A B C. Aquæ vel Nives colliquatæ ſe exonerant. Sipho incurvus à Natura forte conſtitutus eſt HIK, cujus IH. crus brevius, IK vero longius, & ſuppono quidem crus IH. minus eſſe altitudine & profunditate Receptaculi, ejuſque orificium H propè fundum conſiſtere. Hiſce poſitis perſpicuum eſt, nullam Aquam effluxuram eſſe per Siphonem HIK, niſi Receptaculum P Q. impleatur Aquis per meatum ABC fluentibus uſque ad altitudinem aut ſuperficiem potius ED. ſummitatem Siphonis HIK. ſtringentem, aut etiam altiorem, quam ubi contingit, ſtatim aqua ſeſe per longius crus IK. exonerabit, & fluxus Aquæ continuabit, adjuvante Aëris preſſione, donec totum Receptaculum fuerit examinatum, tuncque fluxus omnino ceſſabit. Hoc caſui noſtro ita accommodo. Menſe Junio Solis actio efficax admodum eſt, calorque ejus magis magiſque intenditur, uſque ad Solſtitium. Toto hoc Tempore Nives liquefiunt, montemque per rimas ſubeuntes verſus Receptaculum defluunt, idque verſus horam 7. vel 8. aduſque ED. implent, & quia hæc ſuperficies Siphonem in F. ſtringere ponitur, effluxus aquæ per Siphonem incipiet, & ut dictum, perſeverabit uſque ad totalem evacuationem; Fons adeo prope K. ceſſabit, donec Aquæ per ABC. in parva quantitate & lente decurrentes ſub veſperam receptaculum iterum impleverint, quo in caſu fluxus incipiens eo uſque continuabitur, donec nihil amplius remanſerit in Receptaculo. Quod ſi autem pluviæ copioſæ, vel Imbres accedant, ſatis per ſe liquet, quod velociſſimo & copioſo Aquæ influxu in Receptaculum plenum id permaneat, per id tempus, adeo ut fluxus in eo caſu per aliquot dies continuetur. Hæc *Hermannus* argutè & ſolidè. Ex hoc Siphonis reflexi fundamento ſolvi quoque poteſt rarum illud Fontis Temporarii Phænomenon apud *Subſylvanos, an dem Bürgenberg, qui etiam tempore æſtivo exoritur, & ſæpe unico die octies & decies fluere ceſſat ac curſum ſuum redintegrat, teſte Wagnero, Hiſt. Nat. Helv.* p. 131. ex *Cyſati Deſcription. IV. Civit. Sylv. p.* 248. nec non

non Fontis illius *Kachemirenſis* in *Magni Mogolis* regno, qui ter de die fluit, & ſingulis vicibus per $\frac{3}{4}$. horas durat, teſte *Bernier Voyag. de Kachemire*, p. 167. Nam pro diverſitate crurum in Siphone reflexo, pro varia hydrophylaciorum figura, pro variante citiori vel tardiori Aquæ influxu variare poteſt multis modis Aquæ effluentis reciprocatio, arte etiam imitanda juxta leges Philoſophiæ experimentalis modernæ. Hoc in Fonte Engſtlano concipere nondum poſſum, quod ex immundarum rerum in eo lotura, Excrementorum humanorum voluntaria vel ſtudioſa depoſitione, cohiberi poſſit non tantum præſentis Aquæ, ſed & venturæ, cras vel perendie, effluxus, non item à fœcum, quæ à vaccis deponuntur, egeſtione, quod paſtores loci atteſtantur. Sphingem hic ago, ſit alius Oedipus. Fontis Engſtlani miraculum ſequentibus Rhythmis deſcribit *Räbman Geſpräch von Bergen.* p. m. 200.

Darneben Aengstlen iſt gelegen,
Da im Brachmon ein Brunn fleuſt an,
Sonſt man kein Waſſer gſpuren kan.
Dann ſo das vieh auf d'Alp wird bracht,
So lauft der brunnen an mit macht,
Allein im Tag umb Tranckens ſtund,
Sonſt er zukommen nie begund,
Am morgen, und am abend zwar,
Darzwiſchen er ertrochnet gar.
Das iſt dem vieh gar nicht verborgen,
Darum auf Zeit wartets ohn Sorgen,
Bis das der Brunnen ſelbſt lauft an,
Sieht man das vieh darumher ſtan,
Vnd ſo die zeit der drey monat
Abglauffen, und ihr ende hat,
Das man das vieh von hinnen treibt,
Der brunn fur deſſhin auſſer bleibt,
Bis widerum in Brachmonats tag,
So vil Gotts Gnad und Hand vermag.

Vergit tota Vallis Engſtlana ab ortu ad occaſum, & eſt aquis cryſtallinæ Diaphaneitatis pleniſſima, ut ab utraque, præcipue vero ſiniſtrâ (deſcendenti tibi) parte, jucundo

ſpectaculo videas Catadupam unam poſt alteram. *Im Gentel*, (paſcuum eſt hujus vallis alpinum) in diſtantia circiter pedum 20. ex ipſis rupium fiſſuris proſiliunt totidem ferè numero Torrentes, quorum plerique molæ verſandæ ſufficerent, ut jugorum horum viſcera hydrophylaciis plena reputem.

Ad viam paſſim offendimus *ſaxa fiſſilia* coloris rubri; nec non *Lithantraces*; & *venam Ferri* ſtamiticam, quæ effoditur in Monte *Baumgarten*, ad *vallis Engſtlanæ* dextram, & excoquitur in *Müllethal*, ubi ſub veſperam hoſpitium ſumſimus, pluviâ, quæ à meridie nos prehendit, largâ, bene madidi. Hic fuit Mercurii altitudo horâ 7. poſt meridiem 22″. 7‴. unde conjecto eſſe hanc vallem Müllethal, jugo, quod hodie tranſivimus, ſummo inferiorem 2800. vel 2740. ſi inde à pluvia lapſa Mercurium aſcendiſſe ſupponas ſcrupulum unum altius, quam tempore conſtanti ſereno. Reſpectivè ad Angelimontanam vallem hæc Bernenſis eſt 400. pedd. profundior illa.

Müllethal.

Dies 24. Junii.

Vallis Haſela.

Ex Müllethal deſcendenda nobis porro eſt Vallis *Haſela*, das *Haslethal*, quæ præ aliis Territorii Bernenſis partibus ſuis gaudet Privilegiis, nec per Præfectos regitur, ſed per Ammannos ex ipſa Plebe Haſelana eligi ſolitos.

Dives eſt hæc vallis Paſcuis, & Aquis, quæ in Müllethal, & infra hunc Pagum undequaque confluunt. Ab ortu influit *Engſtlanus* rivus, *der Engſtlenbach*, qui in imis vallis Engſtlanæ partibus nomen aſſumit *des Genteler Waſſers*, & magno cum furore per ſaxorum crepidines pagum alluit. Altiori paulo loco ex monte *Suſt* Uriis contermino, & ex alpe *Trifftana*, *Trifftalp*, oriuntur aliæ Aquæ, & has inter *Trifſta*, *Trifft*, diſtinguenda ab illa, quam ex monte *Jugum* dicto, *Joch*, oriri, & in lacum IV. Civitat. Sylveſt. ſe præcipitare ſcribit *Wagnerus Hiſt. Nat. Helv.* p. 57. & 81. & de qua ego quidem nihil hactenus reſcire potui. Forſan intellexit Hiſtoriographus noſter per *Lacum*, auf Joch, limpidum, ſed ob

ob Aquas glaciales Piſcium expertem, ipſum *Lacum Engſtlanum*, de quo ſupra, & per *Triſtam*, *Rivum Engſtlanum* ſeu *Gentelenſem*, qui poſtea Aquas ſuas *Triſtæ* communicat. Ex Müllethal defluunt Aquæ Fluminis vim & formam jam adeptæ ſub titulo *des Gademer Waſſers*, inter profunda ſæpe ſaxorum præcipitia, ſpumante æſtu. Flumen hoc Gademenſe jungit ſe infra pagum *Weiler Arolæ*, quæ ultima ſua ſtamina juxta pleroſque habet in ſupremo *Grimſulæ* Montis jugo, in loco Glacie alpina obſito, in *Aaren* dicto, juxta alios vero in Monte *Wetterhorn*, in progreſſu ſuo varios ex diverſis montibus & vallibus recipit Torrentes, ex quibus cogniti mihi ſunt, *Das Gelmer Waſſer*, *Das Urbach Waſſer*. Ad dextram Pagi *Weiler* Arcis *auf Reſti* collapſa viſuntur rudera, juxta quam defluit Rivus *Altbach*, & *Müllebach*, ſicuti ad lævam Torrens *Reichenbach* ex Alpe *Scheideck*. Spatium inter Müllethal & Hasle æſtimatur duarum horarum. *Haſela* ipſa, *Hasle*, pagus & Parochia eſt latè diffuſa, ut ad eam pertineat tota Vallis Haſelana, ad ſumma uſque Montium juga protenſa. *Haſelâ Brientium* itur juxta Arolæ ductum per Paſcua plana trium horarum ſpatio. *Brientium* ipſum, *Brientz*, pagus Lacui cognomini, *Brientius* dicto, *Der Brientzer See*, adſitus, nomen quoque dat Caſeis *Brientzianis*, *dem Brientzer Käs*, qui quidem ex valle Haſelana tota Brientium convehuntur, & inde porro ad loca extera exportantur.

Flumen Gademenſe.

Extendit ſe *Lacus Brientianus*, der *Brientzer See*, ad trihorium circiter: ad dextram ejus ſunt Pagi *Oberriedt*, *Niderriedt*, *Rinkenberg*, ubi Rudera Arcis. Lacum infernè claudit Cœnobium in Arcem commutatum, Inter Lacus, *Hinterlachen*, *Hinterlappen*, à ſitu medio inter Lacus Thunenſem & Brientianum ita dictum. In Iſthmo medio eſt *ſub Lacus unter Seen*, *under Seven*, oppidum, quod præterivimus; ut pernoctaremus in Hoſpitio ad *Novam Domum*, *Zum Neuenhauſs*, ad Ripam Lacus Thunenſis.

Lacus Brientianus.

Hic Barometri altitudo fuit 23″. 5‴. unde conjecto horizontem binorum Lacuum, Brientiani & Thunenſis, depreſſiorem eſſe Pago *Müllethal*, unde hodie mane, cœlo nubilo, di-

Fff 2 ver-

vertimus, 720. pedd. Tiguri habuimus 23″. 8‴. ut differentia ſit 3‴. 240. pedd. quibus inferior eſt hæc urbs Lacubus jam nominatis.

Dies 25. Junii.

Sancti Beati Eremitorium. Ad dextram Lacus horulæ ferè ſpatio ab hoſpitio Navi appulimus viſuri Eremitorium Sancti *Beati*, qui Nobilis fuit Anglus, in Gentiliſmo *Suetonius*, poſtea vero, quàm à Barnaba fuit baptizatus, *Beati* ſeu *Macarii* Titulo inſignitus, & à Petro, Epiſcopo tunc Antiochienſi porrò in fide Chriſtianâ informatus, & in quadrageſimo Ætatis ſuæ anno pro ſacerdotio inauguratus, poſtmodum in Helvetiam miſſus, ut Majores noſtros in ſinum Eccleſiæ reduceret. Vir hic Sanctus aliquandiu Helvetis Evangelium prædicaſſe fertur, & tanto cum ſucceſſu, ut Romam redux à Petro fuerit in primum Helvetiæ Epiſcopum creatus. Hinc Gregem ſuam Helveticam denuo inviſit, & paſſim, præcipue Bernenſibus, Lucernenſibus, Subſylvanis, Friburgenſibus, Solodorenſibus, Suitenſibus & Rhætis docendo inſerviit; tandem tamen vitæ Peripateticæ pertæſus, ſedem fixam ſibi elegit in hac, quam nunc viſitamus, crypta, ut Eremitam ibi ageret, & DEO ſuo ſolus & unice inſerviret. Hæc omnia, ſi Legendis fides habenda, quas undequaque corradunt Helveticæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores Pontificii, nominatim *Murerus* in *Helvetia ſancta*, & *Langius*, *Grundriſs der Alten und Heutigen Catholiſchen Helvetiæ* Lib. II. Cap. I. &c. correctas exhibet *Celeb. noſter Hottingerus Helvetiſch Kirchengeſchichten*, p. 82. &c. Invitavit huc Hominem, quiſquis fuerit, ſolitariæ vitæ cupidum, loci conditio. Crypta eſt centenos forte pedes in perpendiculo ſupra Horizontem Lacus elevata, ſub altiſſimo ſaxorum incumbentium cumulo à Naturâ ſtudio ferè pro Habitaculo Eremitorio efformata in amplum Fornicis modum, ut ab omnibus Aëris externi injuriis tutus quis eſſe poſſit. Jucundus patet in Lacum Thunenſem, & ripam oppoſitam proſpectus, qui allicere valeret hominem liberiori auræ aſſuetum. Prope oblectant arbores, harumque umbræ, Avicularum cantus, Fornicis hujus naturalis concameratio in quæ-

quædam veluti conclavia diſtincta, quæ inter oſtendunt viri ſancti dormitorium, figurata. Præprimis autem recreat oculos, Linguam & mentem Torrens limpidiſſimus & ſatis copioſus, qui ex ipſis Cavernæ penetralibus profluit, & tum in ipſa placido murmure per ſaxorum declivia decurrit, tum extra & mox diſtinctas format lapſu ſuo per crepidinem Montis Catadupas. Verbo, configurationem hanc, ſi in hortis ſuis habere poſſet Potentiſſimus quiſpiam Monarcha, gauderet ea nimium quantùm, nedum egenus & vitæ ſocialis ſatur Eremita. Muri, quæ adſunt, reliquiæ, non ſunt, ut ego quidem autumo, Beati ipſius fabrica, ſed ſacelli in ejus honorem ſequioribus ſæculis extructi.

Ad lævam *Thunenſis Lacus* ſunt Pagi *Baligen*, *Leiſigen*, *Merlingen*, *Rallingen*, Arx *Sigriſweil*, *Faulen See*, *Spietz* Baronum Erlach nobilis ſedes. Hic Navim noſtram appulimus, viſuri Arcem ipſam, cum Hortis ei adjectis, & aliis memoratu dignis, quæ inter recenſionem merentur monumenta Familiæ prænobilis in Templo erecta. Ad dextram jacet *Sigiſmundus ab Erlach*, ſingulare Stemmatis decus, cujus ſarcophago inſcriptum legas hoc Symbolum: *Spietz.*

NASCI. LABORARE. MORI.

& porro:

Hier ruhet in Gott der weiland wolgeborne Herr Sigiſmund von Erlach, Freyherr zu Spietz, Schultheiſs und Feldoberſter der Statt Bern, beyder Königlichen Majeſtäten in Franckreich Armaden beſtelt geweſener General, und Oberſter. Natus 1614. *mort.* 1699.

Ad ſiniſtram ſequens Marmori inſculpta inſcriptio:

Illuſtris Heros
FRANCISCVS LVDOVICVS AB ERLACH, L. Baro
in Spiez
Qui
Majorum ſuorum veſtigia ſecutus
Et ad ſummos in Rep. Bernenſi honores evectus
Senator XVI. Tribun. I. aſt XXII. Annorum Conſul
Pater pro communi Patriæ ſalute vigilantiſſimus

 Vi-

Vitæ integritate, Morum ſuavitate
Linguarum & Artium Scientia
Multarumque Rerum Experientia
DEO PATRIÆ cunctus
Domi foriſque in arduis Legationibus, quarum
Ultra CLX. Pacis Belliqne tempore probatiſſimus
Labor. ac Honor. Satur tandem piorum cum luctu
extinctus
d. XXIII. Apr. A. MDCLI. Ætatis LXXII.
Nec non
Nobiliſſima DNA. JOHANNA à GRAFFENRIED
Altera ejuſdem Conjux, quæ præter XI. quos
Ex priore ſuſcepit XXIV. eum beavit Liberis
Rebus humanis exempta d. 1. *Martii &*
MDCLXXI. Æt. LXXV.
Et
Quæ illos partim præceſſit, partim ſecuta eſt Virgo
Menſ. Aug. MDCLXII. Filia chariſſima caſtis
JOANNA MARGARITA ab ERLACH
Æt. XXII.
Reſurrect. Juſtorum in hoc præſtolatur
Cubiculo

Ad dextram Lacus ripam ſunt *Oberhoff*, *Unten*, *Hilterſingen.*

Thuno hac veſpera exſpatiati *durch die Allmend*, ubi nullæ dicuntur eſſe Mures, forte propter ſolum uliginoſum, foſſis undique cinctum, *Amſeltingam*, qui pagus horâ à Thuno diſtat, venimus, ſalutaturi amicum curioſum & ingenuum *Dominum Samuelem Bodmerum*, è nobili Bodmerorum familia Tigurina oriundum, qui Locumtenentis in Re Tormentaria & Geometræ Reip. Bernenſis munere fungitur, inde â menſe Aprili 1705. juſſu Senatus ampliſſimi in eo occupatus, ut limites deſignet totius Territorii, quam ſpartam magna ſua laude exornat. Compoſuit hactenus

Amſeltinga.

Mappam Argoviæ Bernenſis.

Mappam Vallis Monaſterienſis, occaſione motuum non ita

ta pridem inter Remp. Bernenſem & Epiſcopum Baſileenſem, in cauſa Privilegiorum Vallis nominatæ, civitatis jure Bernenſibus junctæ, agitatorum.

Mappam Ichno-Scenographicam viæ, quæ ducit ex Gemmio monte cum omnibus ſuis anfractibus pedum 10110. uti eam menſus eſt M. Majo. 1701.

Opus ſuum de Limitibus hunc habet Titulum: *Marchbuch, darinnen der Plan und Grundriſs der hohen Landmarchen der machtigen Republic und Stand von Bern, wie ſelbige in ihrem grund und Limiten ligen, und an alle benachbarte Herrſchaften anſtoſſen, aus befehl der hohen Obrigkeit verfertiget durch Samuel und Emanuel Ott, Geometriæ ſtudioſos.*

Ædi Bodmerianæ adjungitur Hortus Arborum unus formam Labyrinthi habens, Florum & Herbarum alter, ubi magna mei delectatione vidi plantatas magno ſtudio plurimas plantas alpinas, & has inter floridum *Eryngium montanum latifolium capitulis Dipſaci.* C. B.

Enarravit nobis pro ſua erga nos benevolentia, & in rebus alpinis Experientia varia tum in Hoſpitio ſuo, tum in via, quam nobiſcum trivit craſtino die Thunum verſus,

De miro quodam Phænomeno, an Dæmonis ludibrio, è Pneumatica potius, quam Phyſica ſolvendo. Accidit nempe aliquando, ut, dum in paſcuis alpinis vitam ferè ſolitariam agunt Paſtores, noctu ficta quædam Senni vox audiatur, quam percipientes vaccæ illico præeunte Magiſtra (*Meiſterkuhe*) ſequuntur. Hæc integra grex niſi protinus à vera Senni voce revocetur, evaneſcit prorſus ex oculis paſtorum, ſtudio licet ſuas vaccas quærentium. Triduo verò elapſo in priſtino ſtant paſcuo, uberibus Lacte refertis.

De Fonte *im Grimmi zuhinderſt im Sibenthal in Schwenden*, ad Martiales referendo, qui croceo colore omnia tingit obvia. Hujus Fontis memini quoque in *Naturgeſch. des Schweitzerlands Tom. I. p.* 170.

De Fonte Sebaceo (*Unſchlittbrunn* vocant) Diemptingenſi prope *Wimmis*, cujus materia contenta inſtar Sebi vel Pinguedinis ſitu quaſi efloreſcentis albida, ſubinde rubro co-

lore

lore ſtriata, quæ intra paucos dies, ſi aſſervetur, putreſcentis carnis fœtorem ſpirat. Ipſa aqua eſt inſipida, potui apta, ſed ἄνω purgans.

De Monte *Stockhorn*, cujus cum *Neſſo* Monte colloquium Rhythmicè compoſuit Räbmannus, ejus altitudinem Geometricè menſuratam eſſe 2251. pedd.

De *Simea valle* inferiore (*under Sibenthal*) ubi plures dentur Melancholici.

Dies 26. Junii.

Thunum. In oppido *Thuno*, *Thun*, fuit Mercurii altitudo 23″. 7‴. *Tiguri* 23″. 9½‴. ut hoc depreſſius foret Thuno 200. pedd.

Hinc Arolæ ductu venimus *Bernam*, Territorii amplisſimi Metropolin, in qua requievimus per biduum. *Berna.*

Imagines in medio Ligno. In ædibus Nobiliſſimi Domini Præfecti *Ottii* fruſtum vidi *Ligni Fagini*, quod in Præfectura Schenckenbergenſi forte ſecuri fiſſum ἀγαθῇ τύχῃ exhibuit Crucem coloris nigricantis. Huic jungo Crucem in medio ligno Auguſtæ Vindelicorum repertam, cujus meminit *Eraſmus Franciſci* Sineſiſch. Luſtgarten, p. 155. ut & *Crucifixum in medio* pariter *Fagi Arboris trunco depictum*, *quem* in *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec.* III. *Ann* IX. & X. *Obſ.* 158. p. 287. ſiſtit *Joh. Chriſtophorus Gottwald*; nec non *Furem è patibulo pendentem in Fago depictum* in *Miſc. cit. Dec.* II. *Anno* VII. *Obſ.* 239. *Verba Danica Literis latinis expreſſa in Fagino ligno reperta. Miſc. cit. Dec.* I. *Ann.* VI. & VII. *Obſ.* 4. *Crucem cum Initiali litera H. in Fago Miſc. cit. Dec.* III. *Ann.* V. *Obſ.* 29. Ætiologiam quiſque formet pro lubitu. Ex unico Crucis vel crucifixi ſpectaculo miraculum erigant Pontificii, & hoc quoque Imaginum Naturâ formatarum genere plebem ſuam in ſuperſtitione nutriant. Terreatur conſcientiæ forte non adeo integræ homo, qui Furem è patibulo pendentem detexit, & in mali ominis numero deponat. Deducat Gottwaldius Clar. hos Naturæ luſus *ex ejus ſimplici impetu*, *pro diverſæ Materiæ paſſivæ locique conſtitutione operante*, *vel à morbo quodam ipſius Arboris tabifico*, *quo deſpumatæ ſucco-*

corum fermentantium fæces per ſubſtantiam ſe diffundant, & diverſos occupent angulos, variaſque adeo cauſentur picturas. Quæ mea ſit mens, docebunt ſequentes Literæ ad Clar. νῦν ἐν ἁγίοις Dominum Matthiam Henricum Schachtium, Rectorem Scholæ Cartemundenſis in Fionia die 18. Nov. 1699. perſcriptæ, occaſione Tractatus à laudato viro promiſſi de *Figuris hominum in Vegetabilibus*, & *virunculi pedalis*, cum omnibus ſuis membris rudi ruſticano penicillo depicti in Ligno Fagino, quem ex dono *Cl. Domini Hanhardi*, V. D. M. Kurzdorffenſis in Turgovia poſſideo.

Eruditionis periodum, quæ Auſtralem nunc plagam reliquit, ad vos jure ſucceſſionis devolutam, quibus arva Riphæis raro viduata pruinis, teſtantur tot egregia monumenta, ſeneſcente hoc ſæculo à ſeptentrionalibus ſcriptoribus exſtructa; teſtantur in menſes imo in dies Maris Balthici Nova Literaria verè literaria, quæ ſub auſpiciis φιλομύσων *Lubecenſium nata tot ferè ex antro, quod longo marcebat ſitu, in luminis auras protulerunt viros, quot nominant eruditos. Tales inter Tu VIR* ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ *effulges, Luna velut ſtellas inter minores, & talem Te volunt, imo vivis coloribus depingunt ipſa illa Nova, qualem te deſiderat anceps Literarum ſtatus, qualem ſeculi hujus eruditi complementum expoſuit ſera ipſius eruditionis ætas, qualem efflagitavit, atque obtinuit Naturæ ſeptentrionalis, quæ dudum ſanè veluti in Democriti puteo ſepulta delituit, permagna curioſitas, qualem tandem tanquam oculos animamque meam amo, nec aliter poſſum, quem eadem mecum capit rariora Naturæ inveſtigandæ lubido, qui mecum ad eundem veluti ſcopum, DEUM ex operibus Naturæ glorificandi natus & datus. Teſtimonio ſunt promiſſæ de figuratis lapidibus Septentrionis narrationes, quas cum* ἀποκαραδοκίᾳ *expecto. Tam enim hoc, quicquid eſt, ſtudii amo, imo depereo, ut pretioſa putem momenta quævis ei dicata: Et hæc ipſa eſt ratio, quod haud ita pridem per Excellentiſſimum atque Doctiſſimum Dominum Stolterfoth abs Te petierim, ut in factum promiſſa revocares, & mecum* λιθοφίλυς *alios, quorum in Anglia præſertim ingens eſt numerus, obſervatis tuis beares. Me quod attinet, omnem certè movebo lapi-*

pidem, ut Patriæ meæ, quæ lato ſenſu Helvetia eſt, Naturalia perquiram, & in uſum æque Gentis noſtræ, ac exterorum rara illa dona, quæ fœcundo in nos profudit ſinu Creator rerum, propalem, ſicuti id teſtatum faciet Naturæ æque ac Medicinæ conſultus Dominus Fridericus Leopoldus, conſultiſſimi Juris Lubecenſium Doctoris dexterrimi Domini Achillis Leopoldi minime degener Filius, qui meo nunc per aliquot menſes hoſpitio utitur. Sed nunc ad ejus executionem devenio, quod primum erat in intentione. Eſt prope Frauenfeld oppidum Turgoviæ, quæ præfectura eſt communis VII. pagorum veterum imperio ſubjecta, ſylva, è qua ad uſus domeſticos deducta & diſſecta Fagus, in centro ferè Trunci, duos vix à medulla digitos, exhibuit virunculum hunc rudi ſatis penicillo depictum, cujus Iconem in ſubtripla proportione mitto. Hoc an naturæ genimen ſit, an Artis productum, mecum penſitabunt omnes, quibus Naturæ luſus & vis ex tot Animalium monſtroſorum, Lapidum figuratorum, atque plantarum prodigioſarum productionibus eſt perſpecta, quibuſve Artificum nihil non defraudantium technæ non minus ſunt ſuſpectæ. De veritate rei non eſt, quod dubites, adſtitit viro, qui lignum ſcidit ſecuri Juvenis bene moratus, meâ nunc, ut fundamentis Medicinæ imbueretur, informatione fruens. Indaganti autem mihi cauſam mirandi hujus effectus hæ ſubnatæ ſunt cogitationes, quæ ruſticis ipſis noſtratibus facilius in mentem venirent, quam iis, qui diu noctuque ſedent inter literaria organa: Conſuetum namque eſt agreſti proli, nominis ſui famam & decus inſcribere corticibus arborum, lævioribus præſertim, quas inter Fagus eminet, velut inter viburna cupreſſus. Ponamus nunc Embryonis hujus imaginem Cortici hujus Fagi inciſam fuiſſe, dum annum ageret quartum vel quintum, & inciſuras quidem ultra Corticem ad Peripheriam Ligni ipſius penetraſſe, inde autem, quantum ex craſſitie arboris conjectare licet, effluxiſſe, ſex vel plura annorum luſtra, quid facilius quæſo eſt, quam ſtatuere, quod in hac quinti anni circumferentia remanſerint inciſuræ ſatis latæ ac profundæ, quæ novâ ſucci nutritii acceſſione obliterari non potuerint, veſtigia, ambientibus interim hanc pictam ſuperficiem tot li-

gni

gni novis circulis, quot vixit poſtea annos ipſa Arbor, ſicque imaginem hanc longè poſt ſe relinquentibus. Plauſibilius reddit ratiocinium, quod inciſura fuerit haud dubiè tam profunda, ut plurimi ductus ſucciferi fuerint diſciſſi, ac nutrimentum, quod in interſtitium illud effluxit, non ita potuerit aſſimilari, ut fibræ ſuccreverint ligneæ, quales in reliquis videmus arboris haud vulneratæ partibus, ſicuti videmus nunquam ita oſſa fracta coaleſcere, quin callus per totam circumferatur ætatem, ejuſque veſtigia ſeſe conſpectui dent periti, non dicam Anatomici, ſed vel è vulgo rudis. Addit rationibus allatis pondus, quod ex relatione Donatoris in eodem Fagi trunco diſſecto, hinc inde conſpecta fuerint characterum etiam inciſorum veſtigia relicta. Tu, quid limata ingenii tui acie ſentias, in doctiſſimo pariter atque rariſſimo de Facie humana in Vegetabilibus Tractatu, mox ut ſpero teſtatum reddes. His vale, Vir Clariſſime, & feliciter fruere vitâ longâ, in ſeculum mox futurum ſequelâ, in Orbis eruditi, Septentrionalis imprimis, ornamentum, Scholæ Cartemundenſis, cui felici nomine praees, emolumentum, Tuumque delectamentum, & mihi favere perge. Dabam Tiguri. d. 18. *Nov.* 1699. Hujus virunculi effigiem videſis in Herbario Diluv. Tab. X.

Conferes hiſce eam obſervationem, quam de *Ligno Fagino figurato*, una cum ſuo judicio *Miſc. Nat. Curioſ. Dec.* III. *Annis* 1699. & 1700. *p.* 189. inſeruit Præſes *Lucas Schröckius.*

Dies 28. Junii.

Barometri altitudo fuit 23″. 5‴. Tiguri 23″. 8½‴. ut differentia foret 280. pedd.

Bernâ bono mane Equis diſcedentes venimus per *Wangen*, *Neueneck*, ubi tranſitur flumen *Sin* limitaneum Territorii Bernenſis & Friburgenſis, *Senſe*, *Bonneveille*, *Muttenberg*, *Tillingen*, S. *Maria Magdalena.* Huc à via Regia diſceſſimus, ut videremus Eremitorium, quod *P. Jean du Prè de Gruyeres*, vir admodum humanus, ingenii vividi, annorum 46. intra ſpatium annorum prope 30. è ſaxo arenaceo molli, magno labore & diligentia excidit, ut præter Templum vi- *Eremitorium è ſaxo exciſum.*

 deas

deas 8. alia conclavia, & ex Templo ſurgentem Turrim concavam 50. pedum, ex Culina caminum 80. pedd. Horti ipſius area è vivo ſaxo eſt formata, & varii generis Floribus ſatis inſtructa. Cum hac Fabrica conferantur Sacella & conclavia è duro lapide exciſa, quæ in Ægypto vidit Herodotus, & in Perſepolis ruinis *Chard. in Voy. de Perſ.* T. IX. p. 79. Inter fodiendum invenit noſter in ſaxi viſceribus *Ochram*, cujus fruſta nobis obtulit. Hinc per dimidii milliaris Trajectum venimus *Friburgum*, Metropolin Pagi Helvetiæ ordine decimi, quæ cives alit civiles, ingenioſos & formoſos, præcipuè ex ſequiori ſexu. Cæterum in toto Cantone Friburgenſi, qui Bernenſi undique eſt clauſus, nihil, quod ſciam, ſingulare occurrit, quod Phyſicum occupare poſſit: Laudantur *Caſei*, in certis illorum Alpibus confici ſoliti, *les Fromages des Gruyeres*.

Friburgum.

Prope Pagum *Chermay*, referente *Plantino Helv. Ant. & Nov.* Cap. X. in montibus ſitum, Fons ſatis magnus viſitur Sulphureus, in quo lignum immerſum ſulphure ſuperinducitur, igni admotum flammam concipit, odoremque ſulphureum reddit.

Fons Sulphureus.

Friburgi poſtquam fuimus pranſi, viam porro proſecuti ſumus per pagum *Courteſpine*, propter quem cepit Clades illa inſignis Moratenſis Carolo Duci Burgundiæ funeſta. In cujus memoriam ante 8. annos renovatum videtur ſacellum antiquum cum hac Inſcriptione:

Clades Moratenſis.

Allhier haben ſich die Herren Eidgnoſſen verſamlet, und ihres gebett verrichtet, wann ſie den Hertzogen von Burgund vor Murten geſchlagen und zu ſchanden gerichtet, deſſentwegen diſe alte Capell zu ehren S^ti^ Urbani A. 1697. *aufgericht. Gott gebe den jenigen, ſo in der ſchlacht umkommen ſind, das leben ewiglich. Das iſt geſchehen den* 14. *Junii.* 1476.

Boccard. Venner.

1698.

Precibus ita ad DEUM ardentibus finitis, ex campo hoc plano, ubi ſacellum erectum verſus ſylvam progreſſi Majores noſtri Ducis Formidabilem exercitum in ea profligarunt.

Tranſi-


La Ville de
FREYBURG,
en Suiſſe.




La Ville de MVRTEN, en Suiſſe
Der See

Tranſivimus porro per *Villariam*, *Wilerium*, *Villar le Moine*, *Wylar*, *Mönchenwyler*, pagum caſtello inſignem, quod olim fuit Cœnobium, & paſſim inſcriptiones oſtentat Romanas antiquas Aventici reliquias. Villaria.

Ad viam vidimus Angulo domus ruſticæ inſertam ſequentem in Marmore flaveſcente.

DEAE AVENT.
T. TERTIVS
SEVERVS
CVR. COLON
IDEMQUE ALL[1].
CVI INCOLAE
AVENTICENS
PRIM. OMNIVM.
OB EJVS ERGA
SEMERITA
TaBVLAM ARG
b. 1. POSVER
DONVM DIS... P[2].
eX H SVCCLD[3].

[1] habet Stumpf. AL.
[2] Stumpf. D. S. P.
[3] Stumpf. L. D. D. D. I.

Inſcriptiones aliæ à nobis nunc non viſæ ſunt in Sacello Arcis, quas legere licet in *Stumpf. Chron. Helv. Lib.* VIII. c. 18. *Gullimann. Rer. Helvet.* L. I. p. 103.

Vilaria relicta, tandem ſub veſperam venimus *Moratum*, *Murathum*, *Murtium*, *Moretum*, *Murtam*, *Murtenam*, *Morat*, *Murat*, *Murten*, oppidum. Lacui cognomini adſitum, quod Bernenſibus & Friburgenſibus ex æquo paret.

Dies 29. Jun.

Mane hujus diei *Aventicum* provecti ad *Lacus Moratenſis* Ripam prope Pagum *Merie*, *Merlach*, *Meerlach*, vidimus oſſuarium, oſſibus Auſtriacorum, & Helvetiorum, quæ nunc quieta ordine tumultuario jacent, refertum. *Aventicum.* *Merlach.*

Inſcriptio Æri inſculpta ſequens:

DEO OPT. MAX.

CAROLI INCLYTI ET FORTISSIMI
DVCIS BVRGVNDIAE EXERCITVS
MVRATVM OBSIDENS AB HELVE
TIIS CAESVS HOC SVI MONIMEN
TVM RELIQVIT ANNO MCCCCLXXVI.

Diſs gebein iſt der Burgunder ſchar
als man zalt 1476. Jahr
Vor Murten durch ein Eidgnoſſchaft
Erlegt mit beyſtand Gotteskraft
Auf der zehentauſend Rittertag
Geſchach diſe Groſſe Niderlag

Meiſter Ritter von Bern Goſſ mich
1564.

Aventici cognomina, antiqui Amplitudo.

Hac die nobis repræſentare potuimus occaſione Reliquiarum Auſtriacarum & Romanarum, rerum humanarum viciſſitudines. *Aventicum* quippe (cujus cognomina ſunt *Aventicum*, *Avenza*, *Wivelſpurgum*, *Avenge*, *Avange*, *Avenche*, *Wiffliſpurg*, *Wiffleſpurg*, *Wivelſpurg*, *Vivelsburg*, *Wechten*) profecti tenues vidimus urbis quondam Helvetiorum maximæ, quam Cornelius Tacitus H. A. Lib. XVIII. *Gentis caput* nuncupavit, umbras, ut jure plangere poſſit oppidulum:

Quæ caput Helvetiæ fueram, jam nominis umbra
Magni, reliquias vix traho parva meas.

Advenasque alloqui his Loriti Glareani verſibus:

Mœnia lata vide, non quæ præſentat is orbis
Oppiduli, ſed quæ circulus exter habet.
Gentis Aventinæ cecidit ſuprema poteſtas,
Antiquæ fuerat, quæ caput Helvetiæ.

In anguſtum enim contractum eſt, muro tamen cinctum oppidum, cujus ambitus olim late per agros patebat, quem muri extremi reliquiæ paſſim oſtendunt, *ut nunc ſeges ſit, ubi Troja fuit*. Intra hunc enim ambitum 200. Frumenti ſaccos ſub Titulo Decimarum Magiſtratui adjudicare ſingulis fere annis teſtatur *Wagner Merc. Helv.* p. m. 198. Oſtentat


La Ville
d'AVENTICUM, ou WIFLISBURG,
en Suiſſe.



tat paſſim oppidum ex ruderibus pronatum, quod Epiſcopis Aventicenſibus quondam ſedem præbuit, reliquias priſtinæ Gloriæ. Per ſemihoram fere extra Portam Moratenſem protenditur via plana, lapidibus hinc inde obſita, quæ fortè platea fuit ipſius Urbis, dum in flore erat. In ipſa hac via jacent magnæ molis ſaxa ita elaborata Ionicis ornamentis, ut Templo Neptuno ſacro, aliive Ædificio publico ſplendido inſervire fortè debuerint. Tale quoque ſaxum inſertum eſt Angulo Portæ interno, & Equo marino in caudam tortuoſam deſinente exornatum. In urbe media ſacellum eſt Divæ Mariæ Magdalenæ quondam ſacrum, cujus muro exteriori hæ inſertæ inſcriptiones:

NVMINIB. AVG.
ET GENIO COL. AEL[1].
APOLLINI SACR.
Q. POSTVM. HYGINVS.
ET POSTVM. HERMES. LYB.
MEDICIS ET PROFESSORIB
D. S. D.

[1] habet Guillimann. HEL & Stumpf. IEL

item:

AELIAE MODESTINAE
QVAE VIXIT ANNIS II. M. VI.
AELIVS CLADAEVS ET CANI
NIA MODESTINA PARENTES
FILIAE DVLCISSIMAE
POSVERVNT.

Omitto Inſcriptiones alias a me non viſas, quas memorat *Guillimann. Rer. Helv. Lib.* I. p. 77. 79. 85. 124 *Stumpf. Chron. Helv. Lib.* IV. cap. 21. Lib. VIII. c. 17. *Wagner. Mercur. Helv.* p. m. 279.

Prætereo quoque Columnam, vel Ædificii ſuperbi angulum, 30. pedes altum, in medio Agro adhuc erectum, cui ex multorum mente inſiſtebat DEAE AVENTIAE ſimulacrum: depictam hanc Antiquitatem videre licet in *Meriani Topograph. Helvetic.*

Moratum reduces Lacui *Moratenſi*, *Murter See* nos commiſi- *Lacus Moratenſis.*

miſimus circa Meridiem. Alit hic ad 27. orgyias profundus Piſces delicatiores, quam vicinus ipſi *Neocomenſis*, ut Friburgenſes in Jejunio Quadrageſimali pro Moratenſium ſingulis Libris crucigeros duos pluris ſolvant, quam pro Neocaſtrenſibus.

Lacus Neocomenſis. Ex *Moratenſi* Lacu per canalem intermedium trajecimus in Lacum *Neocomenſem*, qui 20. orgyiis profundior perhibetur Moratenſi. In utroque capiuntur ſiluri, qui in noſtris Aquis dulcibus reliquos Piſces magnitudine ita præcellunt, ut Marinos Ceti. Aliis nominibus nuncupantur *Wàlinen*, *Bàlinen*, *Teutſche Wallfiſch*, *Wels*, *Saluten*: degunt in profundis, & eſui maximè ſunt expetiti. De his videantur Zoographi, & ſpeciatim Ichtyographi *Geſnerus*, *Willoughby*, *Wormius*, ſpeciatim verò de Helveticis noſtris *Wagner Hiſt. Helv.* p. 217.

Nautæ ventos Lacum Neocomenſem perflantes ita appellitant, Orientalem *la Biſe*, Boream *Jouran*, à Monte Jura, Auſtrum *le Vent*, ventum κατ' ἐξοχήν, Occidentalem *Ouberra*.

Dies 30. Junii.

Neocomum. Neocomi habuimus altitudinem Barometri mane 23″. 8½‴. Tiguri 23″, 9‴. ut ejuſdem prope ſimus Horizontis Neocaſtrenſes & Tigurini.

Eſt hæc urbs *Neocomum*, *Neoburgum*, *Neocaſtrum*, *Neopyrgum*, *Novum Caſtrum*, *Noidenolex Aventicus*, *Neufchaſtel*, *Neufchatel*, *Neuenburg*, *Welſch-Neuenburg*, amœni ad Lacum ſitus, omnibus Naturæ beneficiis cumulata, expoſita quidem præ aliis Ventis Auſtro, qui Atmoſphæram relaxare nimis videtur, & ad putrefactiones, liquationeſque humorum diſponere, ſed in hac ſua operatione impeditur à vento orientali, à quo Aër æque ac à Borea conſtringi ſolet, & cætera multum ad ſalubritatem Loci confert vicinia Lacus, quæ auras frigidas toti Regioni conciliat, & ipſum perflantem Auſtrum frigidiorem reddit, ideoque ſalubriorem. A Septentrione erigunt ſeſe Juræ Montis clivi, vineis ubique obſepti, quæ vinum dant præſtantiſſimum, diureticum. Semihorâ ab Urbe diſtat Pagus *Serriere*, qui totus conſtat ex Molendinorum variis generibus, quæ in motum ducit Fons mirandus, ad radicem montis ex diverſis locis adeò copioſè ſcaturiens, ut mox rivum compo-





GUILLELMUS FARELLUS,
Theologus Neocomensis.

ponat, & magno impetu in molendina infra ſita agat. Hic Fons etiam nominatur *la Sarriere*, *Serriere*, & dubio procul omni profluit ex Hydrophylacio amplo latente in viſceribus montis proximi, tantaque ſæpe fluit copiâ & rapiditate, ut hoc ipſo Anno contigit, ut Ædificia ei adſita in periculum ponat. mox tamen ac Molendinis his inſerviit Fons hic limpidiſſimus, è quo copioſè bibunt etiam jejuno ſtomacho Vulcani ſocii, Lacui ipſi Neocaſtrenſi ſuas Aquas communicat.

Urbem ipſam perfluit Fluvius *Sion*, & jucundas paſſim format Cataractas.

Extra Templum primarium editiori urbis loco prope Arcem ſitum in media area Lapis oſtenditur nudus, ſub quo ſepultus jacet Magnus ille Eccleſiæ Neocomenſis Reformator *Guil. Farellus*.

In Templo ipſo viſuntur Mauſolea quædam antiquorum quorundam utriuſque ſexus Comitum Neocaſtrenſium & Vallis Anginæ.

In Muro ejuſdem hæc Inſcriptio, quæ magnam populi ſub regimine Principis Pontificii ſtantis, & Regiam Reformatæ Religionis protectionem promerentis Libertatem arguit.

Le 23. Octob. 1530. fut otée & abatüe l'Idololatrie de ceans par les Bourgeois.

In peripheria Cathedræ hoc legitur Diſtichon:

Octobris quum ſol ivit ter quintus in Octo
Lux Vitæ, Caſtri luxit in Urbe novi.

Supra Templi Portam Lapidi inſculptus videbatur *S. Ulricus* genubus ante Divam Virginem flexis, una cum Regina *Bertha*, (quæ ad finem ſeculi IX. Templum condidit) Templi formam portante, cum hac Epigraphe:

Virgo pia me Bertha Scamaria, & ſimul Ulricus infugiens inimici, dat Domus honoris vel facientibus & Paradiſum.

Sed fuit hæc ſtructura, quod ſuperſtitionem avitam ſaperet, ablata; unde Dicterium ortum apud Pontificios, abſtuliſſe Neocomenſes Divam Virginem, & reliquiſſe Diabolum, nam ad latus ejuſdem Portæ Lapidi inſculptus cernitur.

Dies 1. Julii.

Mercurii altitudo fuit Neocomi 23″. 9‴. prorſus ut Tiguri.

De Comitatu Neocaſtrenſi hoc ante monendum, quam por-

tu ſolvamus, & tribus ſaltem verbis indicandum, ſcatere eum *Lapidibus* ita dictis *figuratis*, quorum Hiſtoriam in aliam occaſionem reſervo.

Neocomo relicto, per *Neuſtatt*, *Neuville*, *Bonneville*, Lacui Biennenſi adſitum oppidum, venimus *Biennam*, quæ alias quoque vocatur *Biella*, *Bipennis*, *Bipennium*, *Peteniſea*, *Pe-* Bienna. *tineſca*, *Bienne*, *Biel*, *Byel*, ubi pernoctavimus.

Dies 2. Jul.

Hodie per *Solodorum* venimus *Arwangam*

& Die 3. Jul.

per *Arburgum*, *Aroviam*, *Mellingam*, *Tigurum*.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

OBSERVATA BOTANICA,

ANNO MDCCVI.

Anacampſeros radice Roſam ſpirante major. Tour. *Rhodia Radix*. C.B. J. B. in Alpe Engſtlana ad Lacum.

Bellis ſylveſtris minor. C. B. in Alpinis paſcuis creſcit minor, quam in pratis cultis, foliis craſſioribus & habitioribus, unciam unam vel duas vix ſæpe alta; quæ peculiarem poſſet conſtituere ſpeciem ſub Titulo *Bellidis Alpinæ minoris ſylveſtri minori ſimilis*, iis ſcil, qui multiplicandis Plantarum ſpeciebus Tempus impendunt.

Bugula alpina minor rubrifolia, flore cœruleo purpuraſcente. Hoc nomen ſingulare mereri mihi videtur Bugula, quam in deſcenſu per vallem Engſtlanam Bernenſium inveni. Tota Planta eſt biuncialis, vel ad ſummum dodrantalis, craſſa tamen & numeroſis foliis ſtipata, ut caulis non primo intuitu videri poſſit. Folia ipſa ſunt ſubrotunda in ambitu crenata, inferna quidem viridia, ſuperna autem eleganti rubro purpureo colore tincta: Radix craſſa in fibras terminata: Flos eſt hirſutus, uti Planta ferè tota, è cœruleo purpuraſcens, ſtriis ſaturatioribus pictus, externa ſui parte dilutior: Labium floris inferius eſt tripartitum, ſuperius nullum.

Chamærrhododendros alpina ſerpillifolia. Tour. *Chamæciſtus ſerpillifolia floribus carneis*. C.B. *Anonymos fruticoſa foliis Erucæ baccifera*. J. B. quam eandem ſtatui in ὁρεσιφ. Anni. 1702. cum *Chamærrhododendro ferruginea ſupina Thymi folio alpina*. *Boccon Flores habet non ex quinque fo-*



1. S.t Benoit.
2. S.t Jean.
3. Maiſon de Ville.
4. Horologe.
5. Bain.
6. Lieu ou l'on tire a l'Arbalete.

La Ville de
BIENNE, ou BIEL,
en Suiſe.

7. Ober Thor.
8. Under Thor.
9. Porte de Basgart.
10. Porte de Nydaw.
11. Lac de Biel.
12. Riviere de Dschuß.




La Ville d' ARBVRG, en Suiſse.
Aar flu

foliolis conſtantes, ut Cluſius ſcribit, ſed monopetalos marginibus quinquepartitis, calyci inſidentes pentaphyllo ſaturatè-purpureo; Flores ipſi carneâ eleganti purpurâ gaudent, & ſtamina habent alba, apices atropurpureos. Florentem hactenus non inveni, niſi in ipſa hac excurſione. Aliis enim annis in Auguſto demum, & ſero nimis pro Planta hac Junio florente Itinera mea ſuſcepi. ſaxis alpinis paſſim irrepit.

Clinopodium montanum. C. B. paſſim ad vias.

Colutea veſicaria. C. B. J. B. in Collibus Neocomenſibus, ſupra Sarriere.

Emerus. Cæſalp. *Colutea ſiliquoſa ſive Scorpioides major.* C. B. *Colutea Scorpioides.* Ger. J. B. in montibus ſupra Serriere Agri Neocaſtrenſis.

Filix Rhætica tenuiſſimè dentata J. B. Quam in Monte Pilati reperi, pedalis eſt, *pediculis ferrugineo muco* (lego *muſco*) *obſeſſis*, quod in *Filice tenuiſſime ſecta ex Monte Balon* annotat J. B. Hanc enim non adeo differre puto à *Filice Rhætica*. Noſtra pinnas habet alterno plerumque, ſed & conjugato ordine poſitas, in folia pulchrè crenata diviſas, unciales & ſemunciales, Semina ſatis magna & craſſa in averſa foliorum parte geſtantes.

Filix ſaxatilis foliis non ſerratis. C. B. *Filicis quoddam genus parvum in montibus.* Cæſalp. in jugis Pilati umbroſis & udis ſatis frequens, caule eſt dodrantali & ſemipedali, hirſutiori, uti & foliis.

Juniperus alpina. J. B. Cluſ. Parck. *Juniperus minor montana folio latiore fructuque longiore.* C. B. *Juniperus alpina minor.* Ger. emac. in Alpibus noſtris Helveticis ſummis ſcopulis irrepit, ſpeciatim in Jugo, Joch, Engelbergenſibus & Bernenſibus communi monte, & *Deſcriptioni Cluſianæ* ita reſpondet, ut addere nil neceſſum habeam.

Lychnis alpina pumila folio gramineo, ſeu Muſcus alpinus Lychnidis flore C. B. flore niveo. Inveni in ſummo Jugi, (Joch.)

Melampyrum criſtatum flore albo & purpureo J. B. de quo an ſit *Melampyrum luteum anguſtifolium* C. B. *Prodr.* dubitat Rajus. In Sylvis montoſis Agri Neocaſtrenſis.

Petaſites minor. C. B. *Petaſites albus anguloſo folio.* J. B. In Monte Pilati. Eadem hæc eſt cum ea, quam ſub *Cacaliæ tomentoſæ* titulo in ὑςερίῳ Anni. 1703. & 1704. deſcripſi. & in ὑςερίῳ. A. 1705. ad *Petaſitiden minorem alpinam folio anguloſo craſſiori* Tour. reduxi.

Pedicularium alpinarum Helveticarum, quas nunc omnes fere in Pilati monte florentes offendi, Hiſtoria ſatis intricata ſequenti modo ſe habet:

Pedicularis alpina Filicis folio major. C. B. Deſcriptioni *Pedicularis majoris Dalechampii.* J. B. convenit, non item figuræ. Folia enim Filicis non ad ſcapum uſque ſunt diviſa, ſed hunc veluti conſtituunt alatum, cæterum latiuſcula. Ab aliis præcipue differt foliis in caule pluribus alternatim poſitis, eorumque forma latiore.

Pedicularis bulboſa. J. B. pro Synonymis habet *Filipendulam montanam*

flore Pedicularia. C. B. *Filipendulam montanam majorem albidam*. Park. *Alectorolophon*. 1. *vel alpinam majorem*. Cluſ. Pan. *Pedicularem alpinam Aſphodeli radice purpuraſcente flore*. Tour. differt ab aliis in hoc præcipuè, quod ex una Radice ſurgant aliquot caules, apud nos dodrantales etiam & ſemipedales, imo & dodrante minores, & propter radicem ſtatim folia numeroſa concinnè valde in minutiora ſegmenta Filicis ad inſtar inciſa, quæ in ipſis caulibus ſunt pauca, niſi ad florum exortum, & inter ipſos flores, qui è ſpica admodum exſtant galeati.

Pedicularis alpina flore luteo Radice nigra. J. B. *Pedicularis alpina lutea*. C. B. florem habet ochroleucon ex calyce prodeuntem ſubviridi, hirſutum, labio ſuperiori galeato, inferiori in tria ſegmenta expanſo, quorum umbilicus magis flaveſcit. Folia ſunt Filipendulæ inſtar diviſa, in ſegmenta longiora & acutiora. Huic jungo *Criſtam Galli montanam floribus pallidis in ſpicam congeſtis* Raji, adeoque & *Pedicularem alpinam floribus ſpicatis pallidis* Tour. Cujus deſcriptio, Rajana ſcilicet, noſtræ plantæ optime convenit; ſed & *Alectorolophi alpini ſecundum genus* Cluſ. Pan. *floribus pallidis*, adeoque & *Filipendulam montanam. alteram* C. B. ſeu *Pedicularem alpinam Aſphodeli radice alteram*. Tour. In Figura J. B. deſidero folia plura nimis, & in *Alectorolophi alpini majoris* Cluſ. Pan. *primo genere* ante nominato, *flores prodire inter minutiora folia*, quæ in Icone non exprimuntur, ut ex ſola deſcriptione facile quis ſuſpicari poſſet, eandem eſſe hanc cum *Pediculari alpina lutea* C. B. imo fortè etiam *Pediculari annua alpina anguſtifolia lutea* Tour.

Pedicularis alpina purpurea major nuncupari meretur *Filipendula montana altera*. C. B. ſeu *Alectorolophi alpini alterum genus*. Cluſ. Pan. *Floribus* ſcil. *purpureis*, quæ ſtructurâ foliorum, loco natali & magnitudine cum antecedente convenit. Flores ſunt atrofuſci, ſplendentes, labio inferiori parvo dilutiori tripartito, calyce viridi & purpureo mixto.

Pedicularis alpina folio Ceterach. C. B. conjungenda me judice eſt cum *Pediculari alpina Filicis folio minore*. C. B. quam Synonymam facit *Alectorolopho alpino minori* Cluſ. Pan. Sicuti nullum eſt dubium, quin Figura Cluſii noſtræ pediculari congruat, ita pariter ſum perſuaſus, quod conjecit ipſe Cluſius, eſſe hanc *Herbam foliis Aſpleno perſimilem* Geſn. Deſcript. Mont. Fract. Verum *Cluſio* præcurſore duas invenio hujus generis ſpecies, quas præcipue à Floris differentiâ diſtinguo. *Cluſiani Alectorolophi alpini minoris tertii* folia ferè Ceterach, craſſa, in ambitu denticulata, è viridi fuſca, pilis paſſim obſita, caulis anguloſus, rubens, hirſutus, calyx albus purpureis ſtriis in angulis variegatus, è quo prodiens flos lutei elegantis coloris, cujus labium inferius eſt tripartitum, ſuperius galeatum, purpureo colore in apice extremo, & marginibus lateralibus ornatum; Radix fibroſa tumens. *Altera ſpecies* calycem habet viridem, brevem, florem duplo longio-

rem

rem purpureum, ſaturatioribus ſtriis pictum, ejuſdem cæteroquin ſtructuræ cum ſuperiori, ſed minorem, caulem hirſutum viridem; In hac inſuper obſervare eſt, folia in caule eſſe ex adverſo ſita, quod de *Pediculari* ſua *alpina lutea* aſſerit. C. B.

Quinquefolium minus repens aureum C. B. *Pentaphyllon parvum hirſutum* J. B. *Quinquefolii quarti ſecunda ſpecies* Cluſ. Pan. Petalis conſtat 5. ambitu rotundo, inæquali, coloris aurei, ad ungues crocei ſeu rubentis magis, ſtamina habet, & apices tenues, croceos, calycem polypetalon viridem hirſutum, qua hirſutie veſtita eſt tota Planta. Hoc non differre autumo à *Quinquefolio repente minore lanuginoſo luteo* C. B. ſeu *Pentaphyllo minore molli lanugine pubeſcente flore luteo* J. B. quod conſtituit *Quinquefolii quarti primam ſpeciem* in Cluſii. Pan. Cauliculi enim utriuſque nunc virent, nunc purpuraſcunt, & folia in eadem ſæpe Planta nunc latiora ſunt paulo, nunc anguſtiora, nunc magis, nunc minus villoſa, Flores nunc magis aurei, nunc minus, ut nondum videam, cur realis inter has Plantas debeat poni differentia.

Quinquefolium erectum folio argenteo. C. B. *Pentaphyllum erectum foliis profundè ſectis, ſubtus argenteis flore luteo.* J. B. in Alpinis paſcuis montis Jugi. Margines foliorum primo intuitu videntur margine argenteo fimbriati, aſt prope aſpectantibus hic limbus conſtat ex villoſâ hirſutie foliorum.

Scirpus montanus capitulo breviore. Tour. *Juncus parvus paluſtris cum parvis capitulis Equiſeti.* Raji Idem eſt, quod prædubitat *Rajus*, cum *Junco montano parvo cum parvis capitulis luteis* J. B. imo &, monente Βοτανικωτάτῳ & amiciſſimo *Guil. Scherardo*, Conſule Nationis Anglicæ in literis Pentecoſtes vigiliis ad me Smirnâ datis hoc A. 1706. cum *Junco exiguo montano mucrone carente* C. B. Prodr. quem dubitanter ipſe jungit *Junco Lychnanthemo tenui Thalii.* Omnium certè deſcriptionibus reſpondet Plantula, quam in Montis Pilati jugo, ad Lacum illum, vel Lacunam potius Pilati toto orbe celebrem, offendi in ceſpitibus copioſam, biuncialem & ad ſummum palmarem, cauliculis anguloſis, fractu contumacibus, quos ad imum ambiunt foliola brevia aliquot viridia, ſplendentia: in ſummo capitula ſunt brevia, parva è calyce folioſo ſpadiceo promentia ſtamina lutea.

Salix pumila foliis utrinque candicantibus & lanuginoſis. C. B. quam non differre puto à *Salice alpina, pumila, rotundifolia, repente, infernè ſubcinerea.* C. B. ſeu *Salice pumila latifolia priore Cluſii.* J. B. imo forſan quoque *Salicis pumilæ ſecundo genere.* Cluſ. Pan. ſeu *Salice latifolia repente.* C. B. Julos habet craſſos, digitales, lanugine candida pubeſcentes, ſtamina ſubflava, apices croceos. In apertis & herbidis Montis Pilati & aliarum Alpium jugis creſcit.

Salix alpina minima repens, retuſo ſerpilli folio lucido Boccon. quam eandem reputo cum *Salice ſaxatili minima.* C. B. folia habet læte viridia, glabra, julum brevem, rarioris ſtructuræ, ſtamina alba, apices fuſcos.

Salix alpina ſcrophulariæ folio. C. B. florem habet carneum, monopetalon, in 5. ſegmenta expanſum, ſtamina candida, apices ſubflavos, calycem nullum.

Saxifraga alpina Ericoides flore purpuraſcente. Tour. ſeu *Sedum alpinum Ericoides purpureum.* C. B. florem habet petalis quatuor, & ſtaminibus purpureis, apicibus ſubrubris, calycem veluti ſquamoſum.

Teucrium alpinum inodorum magno flore C. B. idem Parkinſono judice cum Teucrio foliis Scorodoniæ C. B. Obſcurum primo quidem intuitu præfert virorem, tetricam tamen magis induit faciem ſiccatum, quoniam prorſus nigreſcit, omnemque floris colorem perdit. Hic autem eſt hirſutior, è nigro cœruleſcens, è tubo oblongo in duo labia expanſus, quorum inferius eſt tridentatum vel bipartitum, ſuperius cochleare rotundum, alis duabus ſtipatum, calyx brevis in 5. apices terminatus. Abludit adeo Charactere ſuo à vero *Teucrio*, quod labio ſuperiori eſt deſtitutum, referendum potius ad Caſſidam, quatenus receptaculum ſeminis crepidæ aut Calceamenti calcaneum refert, in binas ſe aperiens valvas, quarum quævis intus membranula extante interſtinguitur, ut ſemen in 4. loculamentis deliteſcat. An vero huc trahenda ſit *Caſſida alpina ſupina magno flore* Tour. ſeu *Teucrium Aſtragaloides Caſſida minor* H. R. P. aliis dijudicandum relinquo.

Thlaſpidium Anchuſæ folio Tour. *Thlaſpi biſcutellatum luteum Anchuſæ foliis.* Boccon. Muſ. In deſcenſu ex monte Joch (Jugo,) ad Engſtlanam vallem paſſim ad viam obvium. Huc refero Thlaſpi clypeatum, cujus Iconem habet Cluſ. Pan. p. 471. quodve ſupra Badenſes Thermas, viciniſque collibus copioſe naſci ſcribit *foliis hirſutis, laciniatis, flore in tenuibus ramulis, ſummiſque cauliculis ex luteo palleſcente, binis folliculis clypeatis ſubnaſcentibus, nec non Thlaſpi biſcutatum aſperum minus.* C. B. quod ex Montibus Tyrolenſibus accepiſſe ſe teſtatur in Pinace. p. 107. item *Leucojum alyſſoides umbellatum montanum* Col. florem habet tetrapetalon flavum apicibus & ſtaminibus concoloribus, odore Leucoji lutei gratiſſimo.

Veronica petræa ſemper virens. Ponæ Bald. p. 72. *Chamædrys alpina ſaxatilis.* C. B. *Veronica petræa ſemper virens Bonæ ad Chamædrym vulgarem falſam accedens.* J. B. in montis Pilati ſcopulis paſſim obvia. Florem geſtat amœnè-cœruleum in 4. ſegmenta expanſum rotunda, in ſupremis foliorum alis. Reliqua deſcriptionibus conveniunt. Huc pertinere puto Chamædryn Montis Sumani, J. B. Tom. III. p. 289.

Viola montana tricolor odoratiſſima C. B. *Jaceæ tricoloris ſ. Floris Trinitatis genus flore luteo & purpureo magno, repens non annuum* J. B. in valle Engſtlana copioſe creſcit, & jucundo Florum ſuorum ſpectaculo oculos tranſeuntium allicit. Deſcriptioni Cluſianæ & Bauhinianæ convenit, niſi quod non ultra dodrantalem altitudinem aſſurgat, & petalis floris ſubinde variet, atque nunc unum habeat cœruleſcens, nunc plura, reliqua nunc ſulphurea nunc mage flava.

F I N I S.

JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,

Tigurin. Med. Doct. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolin. & Socc. Regg. Anglic. ac Pruſſic. Membr.

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

SIVE

ITINERIS ALPINI

Deſcriptio Sexta,

ANNI MDCCVII.

Nunc primum Edita.

ITER ALPINUM SEXTUM,

ANNI MDCCVII.

Quod *de Voluptatis atque Doloris immediato nexu inſit* Socrates *apud* Platonem *in principio* Phædonis, ὡς τις διώκῃ τὸ ἕτερον καὶ λαμβάνῃ σχεδόν τι, ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς ἡμμένω δύ' ὄντε, ut, ſi quis perſequatur, cupitque alterum, ſemper ferme alterum accipere cogatur, quaſi ex uno eodem vertice ſint ambo connexa; *id experior indies in Opere meo Naturali Hiſtorico Helvetico. Stadium hoc eſt difficultatibus plenum, ſpinis undique obſitum, laborandum in Muſæo, laborandum foris. Suſcipienda ſunt, magno negotiorum domeſticorum & Practicorum imo & ſumtuum, diſpendio, Itinera, ſcandendi montes, peragrandæ ſunt Valles, ſuſtinendæ omnium Elementorum adverſitates, æſtus, frigus, pluviæ, grandines, venti, populi in libertate, qua gaudet, ad Libertiniſmum proni rudes ſæpe ferendi mores; taceo obſtacula plurima alia, quæ audaciſſimum quemque à propoſito abſterrere potis ſunt. Aſt ego, tacito quodam ſtimulo ductus, & tractus, nondum inter* λιποτάκτας *recenſeri me patior, in ſtadio, quod decurrere cœpi, ſi non currere celeri volatu, progredi tamen, lentiori licet, quam hactenus, paſſu in animo habeo, quam diu DEUS vires largitur & vitam. Animum ad ſuperanda impedimenta addunt applauſus & incitamenta, quæ a diverſis Regiis, aliisque Eruditis Societati-*

bus mihi accedunt, Baſeos loco ſubſternitur, patriæ inſerviendi, & proprium, quo accenſus feror, labores hoſce continuandi & ad DEI Creatoris Gloriam quidem, deſiderium. Hoc ipſum hac quoque æſtate me impulit ad Excurſionem, cujus relationem continuato temporis filo nunc pandam.

Tiguro, poſtquam in Muſæo ea, quæ Barometrum attinent, diſpoſui, diſceſſi die 15. Julii veſperi. Mercurii altitudo hac die fuit 26″. 3‴. aëre dubio diſponente ſe ad pluviam.

Die 16. Julii cornipedes, *Lachenâ Veſenam* vecti Equis pro Regionis indole, vel potius Incolarum negligenti conſuetudine nec docilibus, nec ſuperbis, ſed indomitis, currui quàm inſeſſioni aptioribus. Veſenæ ſine mora nos concredidimus *Lacui Rivario* ſeu *Vallenſtadenſi*, vulgò dicto *der Wallenſtatter See*, & eadem hujus diei veſperâ in equis rurſum euntes appulimus *Ragazium*.

Regimen *Ventorum* per Lacum Rivarium ordinatè ſpirantium, Euri quidem ante, Zephyri verò poſt Meridiem, hujusque ſtatæ reciprocationis cauſas alibi, expoſui, una cum περιχώρε Pagorum lacui circumjectorum Topographia.

Nunc, ne tempus Novi otioſè perdamus, recreabimus mentes, & paſcemus ſimul oculos, aſpectu Montium lacui utrinque adſitorum. Eſt hîc veluti ſchola, quæ nos informare poterit de origine & ſtructura Montium, Vallium, Paſcuorum. Oculis hîc expoſita ſunt, quæ in aliis Europæ Regionibus quæri debent in abditis viſceribus, Strata nempe lapidea, horumque forma. Videas Strata, horizontalia, arcuata, & diverſimode inclinata, nudos ſtratorum parietes, plana ipſis injecta, in forma Montium externa miram varietatem, Muros nunc erectos, nunc declives, Strata lapidea ingentia, in Caſtellorum Hemiſphæricorum, vel etiam Polygonorum figuram extructa, Juga integra ſolida, alia fracta, & veluti lacera, Montium dorſa, in tortuoſos tractus protenſa; à Septentrionali juga aſperrima, & vix niſi Capris tum Feris, tum Domeſticis pervia; à Meridionali vero herbidiora, & paſſim in lenes clivos molliter aſſurgentia; altiſſimorum Montium apices, Cryptis naturâ perforatos, alios acutiores, alios obtuſiores; verbo, miram rerum varietatem, quæ vel parum attendenti

denti confirmat veritatem Hypotheſeos Woodwardianæ, quæ Montium, quibus Terræ ſuperficies nunc exaſperata conſpicitur, originem arceſſit à Diluviana ſtrage.

Prodiit, ita gubernante Sapientiſſimo Mundi Architecto, Fabrica Montium irregularis quidem, prærupta & confracta, ſine lege, ſine ordine, ita tamen firma, ut per tot Annorum millia, pauciſſimis exceptis Montibus, incorrupta ſteterit, & integra, permanſura forte uſque ad ſeculorum conſummationem. Ecce enim Architecturæ Divinæ aliqua ſaltem veſtigia, *Fundamenta* præbet Terra ipſa, & ſtrata maxima atque duriſſima Radicibus Montium, veluti *lectus ſolidus*, ſubjecta & *ſtructuris* aliis ſolidiſſimis impleta, ampla ſatis, & undique circa Montem diffuſæ, pro hujus altitudine & craſſitie varia: Montium projecta lateralia dorſa, ea in ſpecie, quæ *Blancken*, *Plancken*, Alpicolis vocantur, totidem ſunt *anterides*, *eriſmata*, ſeu obnitentes *muris* pilæ, tanto inter ſe intervallo diſſitæ, quantum ſtructuræ ipſius Montanæ altitudo poſtulat. *Muri*, ſunt ipſa ſtrata ſaxea, ſuprema ab imis ſuſtentata, quæ mirâ varietate exhibent *Opera reticulata*, *antiqua & inſerta*, *Iſodoma*, *Pſeudiſodoma*, ἐμπλεκτα, *anſata*, *compoſita* & millena alia ab Artificibus non expreſſa, quæ in maxima irregularitate ſummum oſtentant artificium. *Ruderationes & Pavimenta* ſunt Valles, & paſcua alpina jucundiſſima florum & Animalium diverſitate commodiſſima, & pulcherrima, præcipitiis herbidis, veluti totidem aulæis exornatiſſima. Non opus hîc ulla *trulliſatione*, non *opere albario*, *gypſato*, *arenato*, aut *marmorato*, ut ab injuriis aëris & tempeſtatum muniantur muri; ipſæ duriſſimæ cautes hoc Officii Montibus præſtant, & ſimul varicolore ſpecie ſuâ jucundiſſimum accolis, & peregrinantibus ſpectaculum ſiſtunt. Non deſunt *Murorum graduales Contracturæ*, ad firmitatem ſtructurarum maximè neceſſariæ, cum inferiores Montium partes, haud raro aliquot Milliarium circulo circumſcriptæ, multò plùs oneris, imo immenſam ponderis gravitatem ſuſtinere debeant, præ ſuperioribus Columnis; Hinc eſt, quod ex latâ baſi plerumque, ſi non ſemper, contrahantur ſenſim Montes, ad ſupremos uſque vertices. Ipſi hi, veluti *Tecta*, rurſus ſuas habent *Contigna-*

tignationes, Catenas, Cantherios, Tranſtra, Capreolos, Columina. In ipſis his tectis alpinis miram offendes varietatem, videbis *Deliciata*, quæ ex una ſolum parte declivia, *Pectinata*, quæ utrinque, *Teſtudinata*, quæ quadrifariam verſus communem apicem obliquantur, *Faſtigiata* denique ad inſtar Turrium. Fulcrorum genera tot ſunt, quot mirè figurata ſaxa; occurrent, quas ſupra jam memoravi *Anterides, Columnæ, Pilæ*, cum ſuis partibus. *Opus ruſticum* exhibet tota Montium robuſta compages. *Fornices* infinitis ferè modis variantes ſunt ipſæ Stratorum Saxeorum erectæ & ad invicem inclinatæ ſubſtructiones.

Aſt, inquis, deſunt *Ornamenta* & *Pulchritudo*, deficit *Symmetria* & *Eurythmia*, nulla eſt *partium* ἀκρίβεια, non ulla regularis exactitudo, non *Picturæ vel Sculpturæ. Nihil magis incertum, inconditum, ac perturbatum, ut ſolent eſſe rudera, omnium formarum & figurarum, ſunt, præter regularium, moles præruptæ & confractæ, nullus modus, nulla ratio partium, aut proportio, nulla pulchritudinis umbra, artis, aut conſilii nullum veſtigium.* Burn. Theor. Tell. c. 9. p. 48. Sed en miram DEI, ſummi Architecti, ſapientiam! en Mechaniſmum, qui omnes Naturæ, Artis, & Caſus vires infinitis paraſangis ſuperat? Novus exoritur *ordo*, in ſummâ confuſione regulariſſimus, Architectis omnibus inimitabilis, *un nuovo ordine d'Architettura ſcompoſto, e per cio più artificioſamente compoſto.* Quadrat huc adumbratio ordinis hujus Rhetorica, quam habet *Bartholi Ricreat. del Savio* Cap. 8. p. m. 115. *Souviemmi*, inquit, *d'haver veduto in un' palagio di Ricreatione d'un Principe, fra le altre belliſſime, una particolar Camera tutta finta a capricio di rovine, con un' nuovo ſtile d'Architettura, che ben potrebbe chiamarſi l'ordine ſcompoſto, e da adoperarvi non meno ingegno, e giudicio, che ne gli altro dovendoſi dare unita al diſſipato, gratia al deforme, regola alla ſconcio, ſimmetria allo ſconcertato, e arte al caſo. In entrarvi cagiona horrore, e diletto, il vederſi diroccata in ſul capo una fabbrica rovinante, ſe non che nel cadere, ſcontrateſi à ventura, come moſtra lo ſtrano andamento delle pendenze, l'una parte ſlogata*





Fig 1
EXPLICATIO LITTERARUM AD SCATURIGINEM
B Scaturigo Thermarum, quæ olim altiori longe loco profluxere.
CCCC Veſtigia petræ inciſa, quæ exceperant olim Trabes Ædis Balneatoriæ primum extructæ, in antro horrido ſub rupe DDD prealta concava.
ICHNOGRAPHIA THERMARUM FABARIENSIUM
eo ſtatu quo nunc ſunt Ædificia, et Aquaductus.
A. Habitaculum pro Advenis, qui Thermarum cauſâ huc accedunt.
B. Ædes Balneatoria Vetus cum Porticu, in qua deambulare ſolent hoſpites.
C. Ædes Balneatoria nova
D. Spelunca, ubi Canales Hieme locari ſolent.
Tractus, ſeu lineæ nigricantes denotant Aquaductus inde à Scaturigine uſque ad Balneum per Speluncam horrendam 300 circiter paſſuum longitudine exporrectos
LUGD. BAT. Excudit PETRUS VAN DER Aa.
Arenariæ
A
B
C
Ioh Scheuchzer M D del



Prospectus Ædis Balneatoriæ **FABARIENSIS**.



Iter 6.

Fig 5.



Fig 4.



Fig. 3.



ta con l'altra, tutta in piè ſi ſoſtiene, poſando bizarramente ſopra membra non proprie, e pur coſi bene adatte, che l'occhio non che riſentirſene come à moſtruoſità, ſommamente gode, trovata una non piu veduta ſpecie di proportione, e di bellezza, nella deformità, e nella ſproportione. Jo per mè credo, che chì ne formò il diſegno, vi ſtudiaſſe intorno il doppio più, che a una fabbrica ben ordinata; mà non è da ognuno l'intenderne il Magiſtero.

In *Fig.* 3. Adjecta ſiſtuntur Strata montium quædam, qui Lacui Rivario adſtant, horumque protenſiones arcuatæ.

Die 17. Julii *Thermas* petiimus *Fabarias* quibus per Novendium uſus fui, ut reliquias abigerem Hemicraniæ dexteri lateris, cujus præludia ante aliquot annos ſenſi, & felices malo progredienti obices poſui, per earundem aquarum uſum Anno 1704. ſuſceptum, ut tamen remanſerint palpebrarum oculi dexteri motus quidam ſpaſmodici, quorum depulſio ut & reliquiarum mali Iſchiadici, quod ſub initium hujus anni dexterum latus afficere cœpit, evacuatio ad Undas Fabarias, veluti ſanitatis Portum me invitavit.

Hic fuit altitudo Mercurii in Barometro diebus 18. & 19. Julii 25″. 9‴. Cœlo ſereno.

Die 21. Julii hora 1. poſt meridiem fuit Mercurii altitudo 25″. 8‴. Cœlo ſereno & calido.

Die 22. Julii ante meridiem fuit altitudo Mercurii eadem; veſperi vero cœlo tonante dimidiam deſcendit lineam.

Die 23. Julii in Thermis ante meridiem Mercurii altitudo 25″. 3‴. cœlo circa meridiem & veſperi pluvio.

Die 24. Julii in Thermis manè & per totam noctem præcedentem cecidit pluvia, fuitque per totum hunc diem aër inconſtans. Altitudo Mercurii 25″. 3‴.

Die 25. Julii cœlo inconſtanti hora ſeptima matutina altitudo in Thermis 25″. 4‴. poſt meridiem 25″. 3‴.

Thermis Fabariis adjacent ſaxa *marmorea*, nigricantia vel fuſca, lapide illo, quem titulo *Lentium lapidearum vitreis ſimilium utrinque convexarum, vario ſub ſchemate viſui ſeſe offerentium* deſcripſi in *Specimine Lithographiæ Helveticæ* pag. 30. & poſtea in *Meteorologia Helvetica* pag. 326. Hæc inter ſaxa duriſſima, pro novæ Ædis Balneatoriæ extructio-

ſtructione exciſa ἀγαθῇ τύχῃ jacuit fruſtum vetuſtâ velut carie exeſum, è quo lapides figurati concluſi ſponte excidêre partim, partim lævi inſtrumentorum ſubſidio eximi, ſicque carceribus liberari potuere. Sunt autem lapides hi *Numiſmales* aliis dicti latiores illis, quos offendi hactenus in Monte *Aubrig*, Ditionis Suitenſis, & planiores, ſeu utrinque minus convexi, cœterum Gyris ſuis numeroſis ſerpentiformibus pulchrè ſignati, & ſtriis à circumferentia ad centrum tendentibus interſtincti, aliquando medio umbilico veluti prominuli, communiter unciales in Diametro. Siſtit taliſmodi Lapidem *Fig.* 4. tum ſaxo immerſum, tum ſolutum. Dantur & licet raro inter illos Diametri brevioris, 5. vel 6. linearum, Aubrigenſibus loco citato deſcriptis ſimiles, ſed quoque latiores, biunciales & triunciales, margine veluti ſinuato, ſed ſtriis prorſus carentes. Dubium adhuc eſt, quo pertineat hoc lapidum genus. A Diluvianorum conſortio non eximendos prorſus eſſe ſuadet obſervatio Fratris Johannis Bononiæ facta, ubi in eodem verarum Concharum & Cochlearum Marinarum in Diluviana inundatione ſubmerſarum ſtrato reperit Foſſilia minutiſſima teſtacea, ejuſdem cum lentibus noſtris Figuræ, ſed vix ſine Microſcopii ſubſidio dignoſcenda. Eſt hæc ulterior inquiſitio illis ſpeciatim commendanda, qui Mare accolunt, ut Analoga quærant, & inveniant marina, ſicque Hiſtoriam Naturalem foſſilium promoveant.

In eodem ſaxo marmoreo ante aliquos annos inveni *Pectunculitam ſtriatum*, & nunc ejuſdem ferè generis alium ex hoc ſaxo erutum reportavi.

Eruimus quoque *Tubulos* aliquos *marinos* Foſſiles 4. vel 5. ſpirarum teretes, læves, intus manifeſtè cavos, quorum Orbes in eodem plano jacent, Cornubus Ammonis ſimiles.

Ad Thermarum ipſarum ſcaturigines inventa pulcherrima *Tellina* poroſa nigri coloris, (*Fig.* 5.) qualis deſcribitur in *Spec. Lith. Helv.* pag. 21.

Quinquaginta circiter pedes ſupra Thermarum ſcaturigines hodiernas profluebant olim ex Montis Viſceribus ſalutares undæ. Adhæret *Terra Bolaris* rubra ſaxis, adſunt quoque *Tophi* albidi cruſtatim ſaxa obtegentis, & in tubercula aſpera elevati, veſtigia.

In

In fiſſilium lapidum ſtratis, ſupra Ædem balneatoriam reperiundis ad viam, qua Valentiam itur, inveniuntur paſſim fragmenta mineræ *ferri*, fibris veluti lignoſis fuſci coloris intertextæ.

Ipſi *lapides Fiſſiles* duplicis ſunt generis nigricantes, uni molliores, tenuiores, friabiles, alii craſſiores, duriores, uſibuſque Architectonicis apti, prouti etiam eos ædis novæ muris intertexebant operarii.

E regione Ædis Balneatoriæ in rupe ſubcœrulei coloris viſundæ ſunt maculæ albidæ & flaveſcentes, quæ Naturæ veluti penicillo rudi ludibundo figuram projecti in terram hominis, retrò cruces erectas veluti adorantis repræſentant Divæ *Mariæ Magdalenæ* iconem, neſcio quibus indiciis, hanc eſſe volunt Pontificii. Depinxi rudem hanc Deunculæ imaginem *in itinere* 3°. *Tab. VIIII.*

Ad hunc parietem præaltum dabatur commoda, licet periculi plena occaſio experiundi convenientiam inter modum Altitudines menſurandi Mechanicum & Barometricum, & ſimul examinandi differentiam Calculi Moriſoniani ac Caſſiniani, ac alterutrius prærogativam ſtatuminandi.

Ex Arbore, quæ fortè horizontaliter ex ſupremo hoc pariete ſaxoſo procrevit, ut ſuper truncum projectum natibus prorepere potuerit, licet cum vitæ diſcrimine ſervus, demiſſo fune menſuravimus altitudinem 766. pedum Tigurinorum. In Barometro ſtetit ad radicem Montis hujus parietini, ſeu Ripam Taminnæ in 23″. 2‴. propter arborem in ſummo pariete in 22″. $4\frac{1}{2}$‴. (ubi notandum, non eſſe hanc numerationem factam, ut alias, a principio Mercurii in capſula). Nunc videbimus, quid inde in favorem unius & præjudicium alterius Hypotheſeos colligi queat.

Ex hac differentia $7\frac{1}{2}$‴. linearum decimalium Tigurinarum, ſine ratione habita ad gradualem Aëris rarefactionem, quam experimentis æquè ac rationibus pro fundamento ſuarum tabularum ſtatuunt Pariſienſes, prodit ex Hypotheſi 80. pedum pro una linea numerus 600. ex Hypotheſi vero poſteriori 90. pedum 675.

In Mariotti tabula ad menſuras Tigurinas decimales reda-

cta reſpondent $23''. 1\frac{3}{4}'''. 1916.$ pro altitudine à Maris Mediterranei Horizonte ad Taminnæ Ripam, & $22''. 4\frac{1}{4}'''. 2669'.$ pro altitudine à Mari ad ſummum parietem noſtrum montoſum; ſubtracto priore numero à poſteriore, remanent $753'.$ pro altitudine ipſius parietis.

Juxta Caſſini computum reſpondent $23''. 1\frac{3}{4}'''. 2157.$ pro altitudine perpendiculari a Mari ad Taminnam & $22''. 4\frac{1}{4}'''. 3156'.$ pro altitudine à Mari ad ſummum parietem; ſubtractione facta, remanent $999'.$ pro altitudine parietis; qui adeo

Fune dimenſus dat . . . . . . $766'.$
Ex Mariotti calculo Barometr. . . $753'.$
Ex Caſſini Hypotheſi . . . . . $999'.$

Quo Experimento Mariotti Hypotheſin referendam eſſe Caſſini calculo, quem voluit eſſe correctiorem, nemo non videt. Imò verò ad ipſum, quem Mechanica ſuppeditat, numerum ſurget Mariotte, ſi conſideres, funem ex tanta altitudine, a pondere unius circiter libræ, extendi potuiſſe 13. reſiduos pedes, quo ſuppoſito ex amuſſim congruit Mariotte, minutis neglectis, quas fractiones linearum ſuppeditant.

Inde ab illo tempore compoſuit frater Johannes aliam tabulam graduationis mediam inter Caſſinianam & Mariottianam, quam inſerui *Helvetiæ Stoicherographiæ* p. 24.

Nunc Thermis Fabariis valedico, ut itineris, quod præhabeo, Alpini filum protroham.


Die 25. Julii poſt meridiem in Thermis fuit Mercurii altitudo aëre inconſtanti $25''. 4'''.$ *Ragazii* ad veſperam $25''. 10'''.$

Die 26. Julii hora ſeptima matutina cœlo pluvioſo fuit Mercurii altitudo eadem cum heſterna.

Eſt *Ragazium, Ragaz,* Vicus in Comitatu Sarunetum haud ignobilis, Rheno ferè adſitus. Hujus fluminis Celeberrimi ductum nunc ſecuturi Acus Magneticæ ſubſidio delineabimus omnes, quot obſervare licet, flexus, ad prima uſque in Extrema *Sylva Rhenana* ſtamina, una cum juſtis Pagorum utrinque adſitorum diſtantiis, Rivis influis, Montibus ex utraque parte erectis, cum Veris ſingulorum nominibus, quibus obſervationibus nititur Geographiæ Helvetiæ correctior Tabula abs me edita 1712. Via, quæ *Ragazio Curiam* juxta Rheni

ductum


MUESAE
Prima Stamina
Misax
Darba
Alpe di Vignon
Alpe de Mugia
Val di Pesce
Val di Cadein
Val de Schlitte
Campell
Albula
Nolla Torrens
Maseino
Cazis
Reichenau
Razuns
Bonaduz
Ober Embs
SCHALFICK
Plessur Fl
Plessur Fl
Chur
Rhein
Trimmis
Languart Fl
Meyenfeld
Ragaz


VI
Moschel Horn
Alpe di Vignon
Mittag Horn
Paradies
Zum Port
Kalch Alpen
Tell Horn
Medels
Ebi
Zum Rhein
CEPINA
RHEINWALD
RHENI
POSTERIORIS
ET
MUESAE
PRIMA STAMINA
et Progreſsus
Juxta Obſervationes omnia cura factas
in Itinere Alpino
A JOANNE JACOBO SCHEUCHZERO
LUGD BAT
Sumptibus PETRI VANDER Aa

ductum vehit, plana ferè eſt, tamarice, Rhamno Oleæ folio fructu flaveſcente, & variis ſalicum ſpeciebus obſita. Ex Pagis eos duntaxat in Deſcriptione memoro, quos ipſi pertransivimus, reliquos tabulæ reſervans Geographicæ.

Terminus primus, a quo iter hodiernum, & Rheni Mappam ope pyxidis Magneticæ a me omni curâ elaboratam *Fig. 6.* ordimur, eſt Vicus *Ragaz*, *Raguſium*, *Ragazium*, in Comitatu *Sarunetum* ſitus, Principi & Abbati Monaſterii Fabarienſis in multis quoad juriſdictionem baſſam addictus, ad Taminnæ, qui rivus aliis *der Taminenbach*, *Tamingenbach*, Gulero perperam *Camingenbach* dicitur, ripam ſitus, vix ultra jactum ſclopeti à Rheno, celebris propter tranſitum ferè quotidianum ex Rhætia in Helvetiam & Germaniam.

Horâ abhinc eſt *Rheni Pons*, *die Vndere Zollbruck*, ad quem vectigal ſolvitur, & mox quadrantis horæ intervallo *Pons* alius *ſuperior* telonii, *die Obere Zollbruck*, qui *Langari*, *Longari*, *Landquart* ripas jungit.

Semihorâ fere ab utroque Ponte diſtat *Malantium*, *Malanzes*, *Malanſium*, *Malanz.* Cenſus primus Dominii Majæ Villani, in fœdere decem judiciorum vicus non ignobilis, & tractu amœno ſimul ac fertili ſitus, in cujus proximo Monte trium Caſtrorum imi *Ruchenberg*, *Vnder-Rauchenberg*, *Klingenhorn*, *Weinegk* rudera viſuntur. Multa paſſus eſt Bellonæ incommoda hîc pagus, & incendii triſtia damna in bello flagrante inter Domum Auſtriacam & Rhætos.

A primo Ponte Telonii horæ ſpatio pervenitur ad Pagum *Ciceronium*, *Ciceres*, *Zizuriam*, *Zizers*, qui communitati ſecundæ Fœderis domus DEI, & ſpeciatim *quatuor Pagis*, *Vierdörffer*, adjudicatur.

Tres autem reliqui ſunt *Igis*, *Trimontium*, *Trimmis*, & *Vatium inferius*, *Vazes*, *Vndervatz.* Hæc regio olim ſubjecta erat Dominio *Aſperi-Montis*, a quo pervenit ad *Epiſcopatum Curienſem*, nunc vero partem Reipublicæ Rhætiæ liberæ conſtituit.

Supra *Ciceronium* Curiam verſùs in Montis præcipiti jugo viſuntur *Caſtri* Aſpermontii, *Rauch Aſpermont*, *Ruchaſper-*

 montium

montium Sprechero dicti, cujus appellationem a *Rhucantiis* populis, *den Rauchen*, deducit *Guler. Rhæt.* p. 6.

Ciceres inter & Curiam non alius eſt locus quàm *Maleſanus*, *Maſſans*, uti Leproſorium, ad civitatem pertinens.

Curia ipſa *Coira*, *Cora*, *Chur*, urbs in Campo Corvantiorum fertili & jucundo, vini & variorum fructuum ferace, ad radices Montium a Meridie & Ortu imminentium, ſitæ; Prænobilis, Epiſcopatus antiqui ſede, prærogativâ in toto fœdere Cathedrali (quæ tamen ante paucos Annos quoad Authoritatem Conſulis, antehac Præſidis perpetui fuit limitata, interventu Tigurinorum, & Bernenſium) & frequentiâ Comitiorum tum publicorum fœderis totius, quæ *Pundstäge* dicuntur, tum ſubcomitiorum, quæ hîc ob loci commoditatem peragi ſolent.

Curiæ fuit veſpera diei 26. Julii Barometri altitudo 25″. 9‴.

Die 27. horâ ſextâ ante meridiem 25″. 10‴. veſperi verò horâ quartâ poſt Meridiem Thuſciæ in Vallis Domeſticæ ſumma 25″. 4‴.

Primus Pagus, quem tranſivimus, horâ diſtans Curia eſt *Embs*, *Amades*, *Amides*, ad diſtinctionem inferioris Amiſii, quod ad dextrum Rheni ripam, e Regione Vallis Rhenanæ conſpicitur, *Ober Embs* dictus, Rhætienſis juriſdictionis; ubi viſuntur adhuc rudera Caſtri ejuſdem nominis.

Horæ alterius ſpatio attigimus *Richenoviam*, *Reichenou*, *Reichenow*, *Reychenaw*, ubi Arx & pontes duo, occaſione confluentis ibi Rheni *anterioris* & *poſterioris* exſtructi, & telonium ſolvitur, unde & loco ipſi *Confluentiæ* nomen dat Tſchudius Helv. Antiq. MSC.

Utrumque hunc Pontem tranſgreſſi pertranſivimus loca ſequentia.

Bonædulcium, *Benedutium*, *Bonaduz*, qui Pagus Rhætienſis quoque Dominii eſt, & ſic ad Decimam Fœderis Griſei communitatem pertinet.

Rhætium, *Rhetium*, *Retzüns*, *Rhetzüns*, *Rezim*, *Rheziim*, q. d. *Rhætia ima*, *Räzüns*, Pagus, & caſtrum, à Rhæto Tuſcorum Duce nomen habens, ſedes ordinaria Ablegati,

gati, qui Rhætienſe dominium Imperatoris Auguſtiſſimi nomine adminiſtrat. Diſtat hoc Caſtrum a Richenoviâ ſemihorâ.

Rhætio Tuſciam pervenitur trium ferè horarum intervallo. In via eſt *Cacium*, *Cacias*, *Catz*, ubi quondam fuit Arx *Montera* dicta, & *Monaſterium* Nobilium Fœminarum, fundatum Anno Chriſti 720 ab Epiſcopo Victore II. Situm eſt hoc Cazium in *Valle Domeſtica Domleſchg*, ſemihorâ a Tuſciâ, & adjudicatur communitati undecimæ fœderis ſuperioris, ſeu Griſei.

Thuſcia, *Tuſana*, *Tuſcorum vicus*, *Tuſcia*, *Tuſciana vicus*, *Toſcana*, *Tuſiſs*, *Thuſſiſs*, *Tuſis*, vicus Vallis Domeſticæ Prænobilis, conditus a Thuſcis, quos Galli Senones Italiâ pepulêre. Hunc vicum, qui oppidi formam habet, ornat antiqua proſapiâ & virtutibus multifariis Nobilis Familia D^ni^ de Roſenroll, quæ poſſidet antiquum & forte Caſtrum *Baldenſtein*, loco percommodo in confluxu *Rheni* & *Albulæ* ſitum. Ex Familia nominandus mihi ſpeciatim venit Nob. D^nus^ *Rodolphus de Roſenroll*, Vicarii Vallis Tellinæ, & nuperrimè legati fœderis Griſei ad renovandum Fœdus ſolemne inter Reſpublicas Rhæticas & Tigurinam, munere ſummâ cum laude defunctus, cujus humanitatem ſingularem cum prudentia & eruditione junctam amplis extollerem laudibus, niſi diffuſa Encomia prohiberet arctum amicitiæ, quo tenemur, vinculum.

Tuſciam præterfluit *Nolla* torrens, qui Rheno infra vicum aquas ſuas cœno nigro turbatas communicat, Valles Tumiliacam & Sexamnienſem diſtinguit, & trihorio ferè abhinc fontes ſuos habet in *Cepina*, ſilveſtri, habitato tamen ab Alpicolis loco, ad radices altiſſimi Montis *Spitz Beüerin*. Accolis quoque *Horn*, *Cornu* dicti, hinc autem defluens Vallem perluit limo molli, facilè ſolubili, atro potius quàm terra firmâ, utrinque aggeſto, ſtipatam, quam magis magiſque excavat, excavando plures Fontes detegit, qui una cum nive ſoluta & pluvia lapſa torrentem hunc ita augent, ut maxima Thuſcienſibus, & Heinſiliani Montis, Domeſticæque Vallis incolis aliis, inferat damna, cavando fundamina Agrorum,

Pratorum & Ædium ipſarum, quæ poſtmodùm ſubſident, propriâ mole lapſæ, perrumpendo aggeres, diruendo Pontes, ſuperando obſtacula quævis, variando curſum ipſius Rheni, (& Albulæ in eum influæ) cujus alveus a limo illo Nollæ, ſaxiſque, quæ ſecum vehit magnæ molis torrens hic oppletur ita, ut a curſu ſolito divertere, & novam per ipſa prata humili loco ſita viam ſibi parare cogatur.

Altiſſimum montem *Spitz Beüerin* dictum, qui Sexamnienſium (*Schams*) Juriſdictioni ſubeſt, non conſcendi quidem ipſe, ſed poſt meum diſceſſum prænobilis ſupra nominatus, & ſemper laudandus *Rodolphus de Roſenroll*, qui ſequentem impertivit deſcriptionem. Tuſciâ, ad occaſum magis quàm meridiem 6. horarum ſpatio conſcenditur, per plana ſemper acclivia, nunc tamen præcipitia magis, nunc faciliora. Difficillimum præprimis eſt ultimæ horæ cacumen, quod propter Ventorum cum impetu ſpirantium rigorem paucis herbulis alpinis, ne dum arboribus, non certè ceſpite graminoſo, eſt conſitum. Difficultatem ſcandendi auget non præceps duntaxat ſitus, ſed inſuper limus mollis, veluti putridus, pedibus facilè cedens, (quam *Guſer* accolæ vocant) ſaxis aſperis ſine ordine locatis interceptus. Altitudo perpendicularis Barometro menſurata, quod ſecum portavit Nobilis Roſenrollius, ſurgit, reſpectu ad Thuſciam habito, ad 3360. juxta priorem, 3780. juxta poſteriorem Hypotheſin, nullâ ad gradualem rarefactionem Aëris attentione habitâ. Proſpectus ſereno Aëre, qui rarus aliàs Obſervatori noſtro contigit, latiſſimus pariter eſt, ac jucundiſſimus in ſubjectas Valles, & Catenas circumſtantium undique montium, quarum quinque numeravit verſus Ortum & Septentrionem diſtinctas, & ultimam quidem ad Tirolenſis Comitatus Montafunenſem diſtrictum pertinentem, ex quo ſolo latè patente proſpectu judicium ferri poteſt de inſigni ſuper alios montes, montis hujus eminentiâ.

Hodie per Viam Malam, anguſtas montium, quas Rhenus ſpumante curſu perluit, fauces umbra tenebroſa horridas, horridas item ob horrendam pluſquam belluinam, cædem commiſſam ante biennium in miſerâ, deſponſata ea quæ gravida, in medio ferè viæ malæ Itinere, ad ſacelli diruti muros. Ad

Ad viæ malæ initium Pagus eſt *Roncalea*, *Roncalia*, ad finem vero Pons, quo Rhenus tranſitur, lapideus. Hic ingredimus *Vallem* ipſam Sexamnienſem (incipit enim juriſdictio è regione Thuſciæ trans Nollam, qui torrens limitaneus eſt) *Sexamninam*, *Sexamnium*, *Schams* ita dictam, vel a ſex Amnibus in Rhenum ex vicinis Montibus defluis, vel à *ſaſſam*, quod ſaxum notat, unde quoque *lapidariam* in Mappis nuncupari vult Sprecheri Rhet. Chronic. l. VI. p. 267. Vallis hæc unâ *cum Valle Rheni* (*Rheinwald*) unum conſtituit Fœderis ſuperioris conventum magnum. *Ein Hochgericht im Oberen pundt.* Devenitque ejus dominium à Baronibus Vatienſibus ad Comites Verdenbergicos, ab his ad Epiſcopum Curienſem, à quo dehinc Sexamnienſes A. 1458. pro 3200. florenis ſe redemere.

In hac Valle tranſivimus per Pagos *Ziles*, *Siles*, qui cum *Raſeino*, *Raſebein*, primam ex quatuor *directuris* vallis conſtituit: *Ander*, *Anderum*, quod cum *Pignolo*, *Berenburg* Arce diruta, & *Ferrara* valle, *Ferrera*, Venis Ferri, Argenti, Cupri, Plumbi, divite ſecundam directuram componit.

Anderi poſtquam fuimus pranſi, ulterius itineris noſtri curſum proſecuti, juxta Arcis *Bärenburg* rudera, per viam malâ haud meliorem & ſæpe pejorem Pontem Rheni ad fluminis hujus Cataractam ſpecioſam alibi à me delineatam devenimus trium, pro quibus quatuor numerare poteris, horarum ſpatio *Spelugam*, *Splügen*, per *Suffers*, *Suferum*, qui à Speluga diſtat horæ ſpatio, & primus eſt vicus in Valle *Rheni*, *Sylva Rheni*, *Rheinwald.*

Speluga ipſa, ſpeluca in antiquis Chartis *Speluca poſterior* dicta, *Splugen*, Pagus eſt ad radicem montis ejuſdem nominis ſitus, celebris propter quotidianum fere tranſitum in Italiam, & viciſſim in Rhætiam, & Helvetiam.

Prope hunc Pagum eſt *das ſtolten Waſſer*, Aqua Martialis rubro colore tingens quævis obvia & ſimul ſapida.

Alia in *Vogtswald* proſtat limpida, uſurpatur pro antifebrili Balneo.

Die 29. Jul. hora quinta matutina fuit Spelugæ Mercurii altitudo 23″. 4‴. hora tertia poſt meridiem in Alpe *San Porta*,

Zur

Zur Porten, ad origines Rheni poſterioris 21". 4"'. hora octava veſpertina in Pago *Hinder Rhein* 23". 0"'.

Nunc ipſum ad Rheni fontes proſequemur iter. Semihorâ à Speluga diſtat *Medelum, Medels, Mädel*, ubi nunc quoque templum extruitur. Horæ ſpatio à Speluga abeſt *Planura*, Ebi, Æbi, ubi conventus habentur totius juriſdictionis, *da die Landsgemeinden gehalten werden.*

Semihoram ſi pergas ulterius, occurrit *Novena, Nuffenen*, & hora abhinc Pagus *Zum Rhein, Zum hinderen Rhein, ad Rhenum poſteriorem*, qui duo Pagi antehac unam conſtituebant Parochiam, nunc vero binas diſtinctas.

A Pago *Zum Rhein* ad Fontes Rheni numerantur tres horæ, quarum prima medietas plana eſt, & amœna, per paſcua, pinguia progreſſiva, altera verò aſpera, inæqualis & montoſa. Aſcendimus nos dextri lateris juga ad paſcua Alpina *Zum Port* dicta, quæ ovibus Bergomatum pabula præbent. Degunt horum Paſtores Itali, qui quotannis in Rhæticas alpes plura ovium millia abducunt (magno Rhætorum emolumento, qui pro paucis menſibus pinguem, è paſcuis, quæ elocant, cenſum trahunt) vitam ſimpliciſſimam & miſerrimam: cibus eſt farina Milii Aquâ ſine ſale, ſine butyro ſubacta, carnes cadaverum, ovium ſcil. quæ fortè è Petris ſeſe præcipitarunt, vel morbo quodam affectæ alias perirent ſemiputridæ. Optimum, quod reperire licet in extrema hac mundi ſolitudine eſt *Caſeus ſecundarius ovillus, Schaffziger*, quæ nos quoque Bellariorum loco deguſtavimus, teneritudine ſuâ caſeos omnes vaccinos, & caprillos longè ſuperans. Caſeos primarios abducunt in Italiam. Habitatio eſt ſexpedalis caſula, ad Petram quandam inordinatâ lapidum congerie exſtructa, & fiſſilibus quibuſdam lapidibus vel aſſulis contra Aëris injurias aliquantulum præſervata. Lectus è molli fœno, tenuique ſtragulo conſtans; omnia ſordida, horrida, loci ſylveſtri conditioni reſpondent. E regione paſcui hujus, in quo ſubſtitimus, à Paſtore Italo comiter tractati, eſt *Paradiſus*, paſcuum aliud Glacialibus Montibus ſubjectum, cui denominationi non certo anſam dedit loci amœnitas, nec fertilitas, nec ulla alia cum Paradiſo terreſtri convenientia, ut Ironiam hîc latere ſuſpicer.

Nos,



A. La Cour de l'Eveque
B Le Chateau
C. Egliſe Cathedrale

D. S. Lucie.
E. Egliſe Parois ſiale de S.t Martin.
F Dominicains.

La Ville de CHUR, ou COIRE, en Suisſe.

G Maiſon de Ville.
H. La Douane.
I Egliſe Paroisſiale de S.t Regule.

K Riviere de Pleſſur.
L. Le Rhin.
M. Le Chateau Haldeſtein.



Nos, poſtquam Glaciales Montes primos Rheni poſterioris fontes delineavimus, rediimus hac veſperâ in Pagum ipſum *Zum Rhein.*

Montium illa juga, quæ Rheno primas aquas largiuntur, uti & illa, quæ craſtino die conſcendemus, vocantur *Avicula* &c.

Avicula, der Vogel, Culmen Aviculæ, Colmen del Oſcello, Colmen de Oſcello, aut *Ocello, Monſted del Uccello* Rhætis, *Monte del Uccello* Italis, aliàs etiam *Mons St. Bernhardini*, Culmen de *S. Bernhardino, der St. Bernhardin*, quod in honorem Sancti hujus Viri Sacellum in hoc Monte fuerit extructum, pars eſt *Adulæ*, Rhætos dividens à *Meſaucis*, qui *Meſoltinam Vallem (das Maſaxerthal)* incolunt; Scaturiginem præbens *Rheno poſteriori*, ſed & *Mueſæ* fluvio (*Mous*) qui Vallem Meſoltinam perfluit, & Thicino (*Theſin*) aquas ſuas infundit. *Sprech. Pall. Rhæt.* Lib. VII. quo referente in loco Scaturiginis Rheni adhuc veſtigia cernuntur Sacelli, Nymphis olim dicati, Montem hunc carminicè deſcribit *Chytræus* in Itinere *Veneto.* p. 54. 55.

Helvetios Italis dirimit mons aſper ab oris, Pars Adulæ, *Bernhardinum dixêre Meſauci. Ejus inacceſſas nunquam contingere rupes Ver potuit, non huc Bacchus, Philomela, Ceresve, non Æſtas adiit.*

Ad Fontes Rheni nos comitabantur

Dⁿ. *Johannes Bernhardus von der Wies*, Paſtor Novenenſis.

Dⁿ. *Martinus Höslin*, Landſchreiber.

Dⁿ. *Johannes* } *Lorenzii*, fratres, quorum eſt paſcuum Al-
Dⁿ. *Chriſtianus* } pinum Zum Port ad Fontes Rheni.

Joh. Jacobus Lorenz, & } Venatores
Geörgius Schäni, } Rupicaprarum.

Prope Pagum *Zum Rhein*, & in eo eſt *Saxum arenoſum molle*, lutei coloris veluti Ochra, quo pro Scripturaria utuntur arenâ.

In hoc diſtrictu ſunt quoque *Venæ Ferri*, ſed non quæſitæ.

Die 30. hora quinta ante meridiem fuit in Pago *Hinder Rhein* eadem altitudo Mercurii, quæ heſternâ veſpera, 23″.0‴.

Aſt hora decima in Bernhardini ſeu Avicula, quod tranſitur, culmine 22″. 11‴. & hora ſeptimâ veſpertinâ Meſauci 25″. 6‴.

Ex Pago *Hinder Rhein* poſtquam tranſivimus Rhenum, conſcendimus mox *Aviculæ* eam partem, quæ κατ' ἐξοχὴν, *S. Bernhardini* nomen fert, *St. Bernhardin berg*, & ordinarium dat ex Valle Rheni in Meſaucinam tranſitum.

In Culmine Montis, arboribus nudo, occurrit paſſim terra paludoſa bituminoſa, quâ Turffæ loco uti poſſent Accolæ.

In deſcenſu Meridionalis Montis partis occurrit primum Pagus S. *Bernhardini*, ſupra quem *Mueſæ* origo eſt, in *alpibus de Mugia* & *Vignon* dictis, non ſolum Mueſæ ſcaturigines, ſed ejus ad fontium uſque progreſſum, methodo nobis conſuetâ delineatum.

Prope Pagum S. Bernhardini, in prato ſcaturit *Acidulus Fons*, copioſo croco martiali prægnans, qui nullius ferè eſt uſus, & ſine dubio magnarum virium, præponendus multis aliis acidulis, quæ minorem Croci copiam ſecum ferunt. ſaporis eſt admodum penetrantis.

Hic poſtquam fuimus pranſi hodierni diei penſum ulterius proſecuti perreximus deſcendendo ſemper ad Pagum *Miſaucum*, *Maſox*, *Maſocho*, *Meſaucum*, *Monſaxum*, *Crimè* vel *Cremé*, *Cremetum* aliàs dictum, qui cùm ſeptem aliis pagulis primam Meſaucinæ vallis ſquadram conſtituit. Pagulorum autem, qui haud longè diſſiti ab invicem unicam Parochiam conſtituunt, nomina ſunt *Les*: *Leſum*, *Gabia*, *Cebia*; *Andersla*, *Doire*, *Anzon*; *Logian*; *Logianum*; *Darba*.

Quadrante horæ infra Pagum Cremé, ſeu Miſaucum, eſt Caſtrum ipſum hujus nominis munitiſſimum, in Vallis Faucibus, & edito colle vix ab hoſte ſuperabili ſitum. Comitum ejus familiæ ſedes, quod Valli ipſi nomen dedit, & juſſu Reipublicæ totius Rhæticæ A°. 1521. deſtructum fuit. Caſtrum, cujus integri Muri, iique craſſiſſimi decempedales ferè, ad angulos turribus, pro defenſione mutua, inſtructis ſuperſunt, occaſione quavis belli ingruentis adverſus Excercitus integri impetus brevi tempore muniri, & Vallem totam ſuperiorem claudere poſſet. Delineatum hoc Caſtrum, prouti ex imâ planitie ad ejus radicem ſita conſpicitur, exhibet *Fig*. 7. & *Fig*. 8.

Rude-

Castellum MESAUCI, MASOX, in faucibus Vallis MESAUCINÆ.



Iter 6.



Proſpectus interior Caſtelli MESAUCINI.



Rudera quædam Turris, Sacelli, & Ædium adjacentium intra muri exterioris ambitum reſidua.

In ipſo Pago aſſervantur tormenta duo ænea, ex caſtro illuc delata, Trivultinæ illuſtris domus, quæ A°. 1494. Miſaucinam Vallem à Comite Meſaucorum ultimo, Johanne Petro emtionis jure accepit, reliquiæ, in quibus Inſcriptiones conſpicuæ; globi, quos ejaculantur hæc tormenta, ſunt in circa 24. librarum. Nomen ferunt Johannis Jacobi Trivultii Mediolanenſis, qui biennio poſt emtionem Vallis, nempe A°. 1496. Fœdus ſuperius, ſeu Griſeum, intravit.

Horæ ſpatio infra Meſaucum eſt *Soatia*, *Soatzen*, ubi, ſicuti Clavennæ, eruuntur & ad uſus varios culinarios atque Oeconomicos alios tornantur *Ollares*, ſeu *Lebetum lapides*, *Lavezzi* vulgo dicti, alibi à me deſcripti.

Die 31. Julii Miſauco diſceſſimus, tranſituri per altiſſimum Montem *Furculam* ex Meſaucina Valle in Clavennenſem; id quod nobis reluctantibus licet, præ laſſitudine, Equis, & viæ ex una parte acclivi declivique difficultate, feliciter per DEI gratiam ceſſit.

Furculæ ſummæ adſtat jugum aliud *Alſchinſch* dictum, è quo menſe Junio 1705. devoluta eſt maximo cum ſonitu Saxorum ad invicem alliſorum, & ſuper invicem prolapſorum, Montis magna portio, *Caſibus Montium* adnumeranda. Novas minantur fracturas hiatus atque fiſſuræ profundæ ad *Gazugam* Montem vicinum.

In Furculæ jugo horâ 12. fuit Mercurii altitudo Cœlo ſereno 21″. 5‴.

Horâ hujus diei 8. veſpertina Clavennæ numeravimus 26″. 11‴.

Quæ de cryptis *Clavennenſium Æoliis*, *Ollaribus lapidibus* (unde nunc parant quoque vaſa decoquendæ Theæ & & Caffæ apta) & triſtibus *Plurii*, quæ haud procul Clavennâ, in Palatio Nobilium Francorum Vertematorum viſundæ ſunt, reliquiis locuti ſumus alibi; in hoc Palatio extat Genealogica Familiæ Arbor, ubi primus legitur *Oſpino della Porta Milaneſe Signore del Caſtello di Vertema* 1100, & mox indicatur Plurium veniſſe Vertematios A°. 1146.

Nunc animus eſt, poſtquam Clariſſ. D^n. *Jacobo Hermanno* Baſileenſi Batavium concedenti, ut Cathedram conſcendat Mathematicam humeris ſuis à Sereniſſ. Republica Veneta impoſitam, amicum diximus Vale, (Tiguro enim nobiſcum profectus in toto itineris decurſu hactenus fideliter adſtitit) Clavennâ relictâ, juxta *Mairæ* ductum, petere Solium.


Trihorium eſt, quo Clavennâ venimus Solium, per tres Juriſdictiones diſtinctas.

Prima eſt *Clavennæ* ipſius oppidi, ubi ut & reliquo Comitatu Commiſſarius, nomine Reipublicæ Rhæticæ reſidet, mero & mixto imperio gaudens.

Altera eſt *Plurienſis* prætura à Clavennenſi juriſdictione per flumen Pluviam diſtincta, pertinent eo *Plurium*, *Plurs* & *Villa*.

In hac juriſdictione ex *Savonio* ſeſe in Vallem præcipitat aqua *Fraccia* ſub ſpecie ſpumantis Catarrhactæ pulcherrimæ, quam rurſum ut A°. 1703. ſole ἀγαθῇ τύχῃ à tergo lucente fuimus ingreſſi, ut recrearemur jucundiſſimo Iridis circularis ſpectaculo, quod non minus oculorum meretur obtutum, quam mentis ſcrutinium. Siſtit hoc Naturæ pictricis productum *Fig.* 9. ubi AB. notat radium ſolis per oculum ad centrum Iridis tendentem EBC. & D. B. F. angulos 42. graduum iridis primariæ, & 52. ſecundariæ. Ætiologiam Iridis hujus expoſui in *Meteorolog. Helvetica* p. 89. Nimirum ita res concipi debet, ut oculus ſit in apice Coni, & omnes guttulæ in tota hujus Coni ſuperficie, in certa anguli apertura, ſuis pictæ ſint ad oculum uſque coloribus. Inde tamen argui nequit, totam aream circularem vel Coni integrum corpus, quod ſub figura Circuli, vel Ellipſeos aſpicitur, nec peripheriam duntaxat coloratam eſſe debere, quandoquidem paucæ illæ guttulæ, quæ apicem Coni conſtituunt, utut coloratæ, tam vivis coloribus pingi nequeunt, quam innumeræ aliæ ſecundum Coni latera per conjunctionem opticam ſpectatæ, quæ extremi ab oculo remotiſſimi Coni Peripheriam ſiſtunt. Diſtinguenda ſic venit Iris hæc Circularis in media rorida Catarrhacta conſpicua, ab Iride ordinaria, quod hæc ſit circulo minor, & rariſſimè ſemicirculo major, illa Circularis integra: hæc




MAIRAE Ortus et Progreſſus
LUGD. BAT. Excudit PETRUS VAN DER Aa
Fig 9
Axis Coni
Fig 10
Piz delle Nove
Piz delle Dieci
Piz delle Undeci
Furcula del Mezzodi
Burgo novo
Stampa
Castell muro
Bondasca
Cultura
Montasch
Spino
Castasegno
Villa
Caneto
S. Croce
Nuovo Puiro
Chiavena
S. Prost
Ordlegna
Hora

hæc oculum ſpectatoris habeat a nube rorida remotum, ut alterum Coni latus in terram ſe abſcondat, in illa verò ſit oculus ipſis ſalientibus guttulis immerſus, ut integer Conus cum ſuis lateribus maneat ſupra terram oculis prope expoſitus: ordinaria proin major, hæc minor, vix ultra 12. pedes in Diametro habens.

Tertia Juriſdictio, quæ ad Aquam *Luveram*, *Aqua di Luver* incipit infra *Caſtaſegnam* eſt *Prægalliæ*, *Prægallienſis Vallis*, *Bregeller*, *Pregeller*, *Bergellerthals*, quam alii *Præjuliam* vocant, quod ad pedem Juliarum Alpium jaceat. Conſtituit hæc Vallis Partem Fœderis domus DEI, *des Gottshautspundts*, ac protendit ſe ad radices uſque Malojæ Montis, *Caſacciam* uſque, quæ huic quoque Prægallienſi communitati includitur. Diſtinguitur hæc Vallis in binas partes, quas antiquum Caſtellum, *Murum*, *Muri*, *Caſtellmur*, Antonino quoque memoratum, dirimit in Juriſdictionem *Supra Portanam*, *Sopra Porta*, & *Infra Portanam*, *Infra Porta*, cui diviſioni atque denominationi anſam dedit, haud dubiè faucium infra Caſtellum jam nominatum Anguſtia, quæ portæ ad inſtar Vallem ſuperiorem ab inferiore ſeparat. Vallem totam cum perfluente *Maira* ſeu *Mera* ſiſtit *Fig.* 10. Fluvius *Mera* prope *Caſacciam*, ſive *Caſatium*, *Caſatſch* bina veluti Cornua habet, duplicis ſcaturiginis viam. Una derivatur ex Monte *di Sett*, Septimi illo jugo, quod A°. 1703. conſcendi, ubi trium Fluminum origines ſpectantur, ad totidem Plagas defluæ, *Mairæ*, de qua nunc, *Rheni*, qui poſteà Albulam influit, & tandem Rheno poſteriori ſe in Valle domeſtica miſcet: Mairæ hoc brachium *Aqua di Maroz* Cæſatianis dicitur, & à Senioribus Pagi civibus pro vera habetur Mairæ Scaturigine. Alterum Brachium, juxta quod nos Iter noſtrum proſecuti ſumus aliquo uſque, ſe ſe protendit per *Vallem di Forgano*, *ad Vallem* & *montem Malengo*. Hæc Mairæ portio *Ordlegnia* vocatur Caſatienſibus.

Solium, perantiqua Prænobilis Familiæ *Salicea*, *de Salis* ſedes, ſub Portanis Prægalliæ Vallis adnumeratur. Hîc nos detinuit per quatriduum ferè perſpecta dudum, & mihi & multis aliis prælaudatæ Familiæ humanitas, & liberalis admodum

tractatio. Detinuit inſimul & recreavit dulcis, atque erudita, qua in Parnaſſo hoc Rhætico frui licuit, converſatio, nominatim cum Ill°. D.no *Friderico Antonio de Salis*, Regis Galliarum Capitaneo proximo, & fœderis Domus DEI Directore, generoſæ prudentiæ, & reconditæ eruditionis Viro, Ill°. D.no Fratre *Rodolfo de Salis*, Ex Gubernatore Vallis Tellinæ, Humanitatis, Eruditæ pietatis & multarum virtutum exemplo, Ill^a. D.na *Hortenſia de Salis & Gugelberg*, cujus rara eruditio in Theologicis, non minus quàm Phyſicis ipſi jam innotuit literato Orbi, & cujus Experientia in re Medica, multis ægris in illa περιχώρῳ Medicis deſtituta eſt ſolatio inſigni, Ill^a. item D.na *Margaretha de Salis*, fratrum prælaudatorum humaniſſima ac pientiſſima ſorore. Quibus acceſſit Ill.mi D.ni Marchionis *Barbo* Cremonenſis & virtuoſiſſimæ conjugis, ex Italiâ ob ipſum matrimonium, unâ cum Marito, digniſſimo Thori juſtiſſimi Socio, profugæ commercium, cujus dulcis memoria nunquam mente meâ excidet. Ab hoc Ill.mo Viro rerum naturalium ſcrutatore indefeſſo didici, quod nunquam antea noveram, Ægagropilas quoad maximam partem conflari ex Trichomonis herbæ ſurculis, cujus integra ferè foliola paucis antè adventum noſtrum ſeptimanis invenit in ipſo Rupicapræ ventriculo, & pilâ nondum ſatis compactâ. Lubet hic meminiſſe obſervationis alius, quam à Venatore Novenenſi Georgio Schänio habeo, quod Ægagropilarum ubicunque adſint, formatio incipiat in ipſis ferè Rupicapris, antequam anniculæ fiunt vel bimulæ, in adulta enim filamenta plantarum, vel fibroſas radices non amplius in glomerem coire, ſed in Chylum reſolvi.

Ab Ill.bus D.nis *de Salis* percepi, Ventos Prægallienſem Vallem perſpirantes ſtatos plerumque eſſe, manè Euros, à meridie Zephyros, cujus reciproci motus cauſa eadem eſt cum reſolutione ventorum ſtatorum, qui Lacum Rivarium perflant, alibi latius expoſita, & ab Aëris ſucceſſiva juxta ſolis motum rarefactione petenda: pugnare ſæpe Ventos occidentales cum Borea in confiniis Septimi & Malojæ montis, ubi ſcil. Valles veluti in angulo concurrunt, & contrarios ſæpe nec ordinarios exerere effectus: a Zephyro, ſi vincat, nec tamen Septimum

mum tranſeat, humectari Vallem cis Malojanam, ſeu Prægallienſem, exiccari è contra à Borea Victore Tranſmalojanas, Oeni Valles à Zephyro victore, ſi juga Malojæ ſuperet, humectari Valles Trans Malojanas, ſiccari Prægallienſem; à Borea Victore, ſi in Prægallienſem Vallem tranſeat, hanc humectari, Oeni Valles verò exiccari. In Prægallienſi Valle ſi ante nonam vel decimam horam antemeridianam ſpiret Zephyrus, ſequi ordinariè pluviam, ſi verò poſt Meridiem demum flare incipiat, ſerenitatem. Quoniam in hoc caſu indicat prædominium hujus venti, & copiam vaporum, in ordinaria verò Zephyri a Meridie perſpiratione Aëris duntaxat rarefacti expanſionem. Phænomeni prioris ratio hæc eſt, Zephyri proprium eſt, adferre vapores, qui in guttulas reſoluti pluviam conſtituunt; quod ſi ſeſe regimen hujus Venti terminet intra Vallis Prægallienſis confinia, non mirum ex occurſu Boreæ, qui tranſitum illi diſputat, condenſari vapores in pluviam; quod ſi vincatur Boreas à Zephyro, hicque juga Malojæ ſuperet, tranſportabuntur vapores, Pluviæ illuc & cadent, aëre Prægallienſis Vallis manente ſereno. Eadem ferè ratio prædominantis Boreæ, &, qui ſequuntur, effectuum.

Solii fuit die 3. Auguſti hora decima ante meridiem Cœlo pluvioſo Mercurii altitudo 24″. 8‴.

Die 4. Auguſti aëre ſereno, 24″. 8¼‴.

Die 5. Auguſti ante meridiem Cœlo ſereno 25″. 0‴. poſt meridiem 24″. 8‴. aëre nubibus tecto.

Die 6. Auguſti prænobili, quæ Solii eſt, Societati valediximus, ut reliquam emetiremur Vallem Prægallienſem.

Solio poſtquam deſcendimus denuo in Vallem, vidimus ad dextram locum, ubi ſtetit *Murum, Muro, Muri*, oppidum Antonino quoque memoratum in ſuo Itinerario, & rudera ipſius arcis *Caſtellmur*, Caſtelmuro, quam Clavennenſes & Plurienſes ſuperarunt A°. 1271.

Tranſivimus nos per Pagos *Culturam*, qui ſupraportanis accenſetur, *Stampam, Burgum novum, Borgo nuovo, Vico ſupranum, Veſpran; Caſatiæ* autem *Caſatſch, Caſaccia* fuimus pranſi: ſitus eſt hic Pagus ad Brachiorum Mairæ conflu-

fluxum, ad pedes Septimi & Malojæ Montium, ubi etiam itinera diſpertiuntur; celebris ob S. Gaudentii corpus, ibi ſepultum, in cujus honorem haud procul à Pago erectum fuit quondam Monaſterium, cujus rudera adhuc ad viam viſuntur.

Superato *Maloja* Monte ingreſſi fuimus Engadinam ſuperiorem *in Co d'Oeno*, in capite Oeni ſitam, quæ alium Fœderis Domus DEI conventum magnum conſtituit. Aſpera quidem & frigido cœlo eſt, ſed amœnitate, & fructuoſis pratis, campis & alpibus felix. *Sprecher. Pallad. Rhætic.* l. VIII. 232. Oeni fontes & progreſſus delineavi in *Fig.* II. quorum ductu Lector mecum iter porrò proſequi mox poterit. Sunt autem Oeni primæ ſcaturigines quærendæ in Montis Septimi jugo, *Monte di Sette* dicto, quod A°. 1703. conſcendi. Inde enim defluens *Aqua di Pila*, in planitie Majolana *Aqua Deng*, *Aqua d'Oen*, *Aqua Oeni* dicta, mox *Lacum Silienſem* influit. Conſtituit autem hic & ſequentes alii *ſylvaplanenſis* ac Sancto-Mauritianus, cum Rivis montanis influis, veros Oeni fontes, quorum ultima & ſumma duntaxat ſtamina dat *Aqua di Pila.*


Pagi, per quos tranſivimus hodie, ſunt *Maloja*, ad radices Montis Septimi ſita; *Silium*, *Siglio*, *Siliſs*, *ſylva plana*, *ſelva piana*, ad radices Julii Montis ſita, quem tranſivi A°. 1703. *Sancti Mauritii* Pagus, *S. Mauritio*, *Sant Moritz*, Celebratiſſimus propter acidulas, quæ quartâ horæ parte abhinc diſtant, & quotannis à magna Italorum, Sabaudorum, Pedemontanorum, Germanorum & Helvetiorum frequentia bibuntur. De harum aquarum Natura & viribus alibi. Diſtat Malogia à Caſaccia horâ. Silium à Maloja $1\frac{1}{2}$. hinc Sylva plana 1. hor. & S. Mauritii pagus 1. hor. hic pernoctavimus.

Die 7. Aug. horâ ſeptima matutina fuit Mercurii altitudo 22″. 7‴. Aëre inconſtanti.

Hodie perreximus juxta Oeni ductum per Pagos *Celerinam*, q. d. *Celer Oenus*, quoniam eò Oenus ex Lacu S. Mauritiano per rupium anguſtias celeriter fluit; *Samadenum* q. ſummum *Oeni*, *Beverum*, *Bevers*. *Ad Pontem*, *al Ponte*. Hîc Oenum deſeruimus, ut per *Albulam* Montem (qui aliis nominibus *Albulenberg*, *Albeln*, *Aelbelen*, *Elbelen*, *Albäll*,

nun-

Fig. II.



LUGD. BAT. excudit PETRUS VAN DER Aa.


La Ville de LVCERN, en Suiſſe.
DER SEE.

vocant, peculiari libro deſcripto à *Joh. Leopoldo Cyſato* Polygrammateo Lucernenſi A. 1661. præ aliis Ventis maxime ſævire dicunt Aquil-Occidentem (NW,) quem timent quoque Tugienſes & utrobique *Arbiſs* vocant, q. d. *Twerbiſs*, *Zwerchbiſs*, *Boream lateralem* ſeu *obliquum*.

Portu Kuſnacenſi ſoluti præ oculis habuimus *Montem Pilati*, *Fractum* alias dictum, qui craſtino die Crurum noſtrorum robur quoque franget, fractus ipſe in innumeros ſcopulos, à quibus nomen habet. Eſt hic mons, quod in ὀρεσιφ. A. 1702. innui, Accolis, qui eum vident, Calendarii in vicem, vel potius Barometri loco, quoniam ſerenitatem ipſis vel tempeſtuoſum cælum prænuntiat; Hinc nata loquendi formula, Temporis Regula, *wann der Pilatus hat ein Hutt, ſo iſt das Wetter fein und gutt*; ſi Pilatus eſt pileatus, Æther erit ſerenus. Contrarium accidit, ſi mons hic Pilati conſpicitur Pallio cinctus, *wann er einen Mantel an hat*. In priori nempe caſu Nubes Montis Caput obvolvunt integrum, Oculiſque aſpectantium ſurripiunt; in poſteriori vero Atmoſphæra graviori reddita, & ad reſolutionem in guttas aqueas proclivi, infra Montis Cacumen ſeſe demittunt, & caput Montis è medio Nubium in Æthera ſurgens ſpectatoribus ſiſtunt, obvoluto interim & pallio veluti circumdato reliquo Monte ad Radices ferè. *Mons Pilati.*

Lucernam, Urbem amœniſſimi ad Lacum ejuſdem nominis, & Montis Pilati Radicem ſitûs, appulimus circa Meridiem hujus Diei. Tertium hæc conſtituit cum ſua Ditione Helvetiæ totius, & primum Pontificiæ Religionis Pagum, ubi ordinarie reſident Pontificis Romani & Hiſpaniæ Regis Ablegati, & convenire ſolent ordinarie Cantones Cultui Romano devoti. *Lucerna.*

Occurrunt in hac urbe varia notatu digna, quæ Rem Hiſtorico-Naturalem attinent.

In Curiæ Conclavi primario, ubi Senatus Ampliſſimi membra convenire ſolent, ſuſpenſa viſitur *Joh. Henrici Wagmanni*, Geometræ Lucernenſis, Tabula Territorii Lucernenſis Geographica prelo publico digna, quam minori quidem forma, ſed eadem Authoris manu, poſſidet quoque Muſeum Tigurinum Civicum.

Reliquiæ Gigantis. In Archivo ejuſdem Curiæ aſſervantur reliquiæ paucæ Gigantis, *Reidæ* (qui Pagus eſt præfecturæ *Villoſovienſis*, Ditionis *Lucernenſis*) A. 1577. ſub Quercu annoſa effoſſæ, quæ leves admodum ſunt & friabiles. Reſtant autem tres duntaxat ſceleti Gigantei partes, ſcapulæ portio & oſſa duo Carpi, ut autumo. In *Hallori Chronico MSC. Lib. XLI. Cap.* 5. Invenio ex relatione Civium quorundam Tigurinorum αὐτόπτων, pedes infra genu longos fuiſſe 5. pedes, Tibiam infra genu craſſam $\frac{3}{4}$. ulnæ, patellam penè ulnarem, Femur ſupra Genu ulnare, digiti majoris pedis Articulum ſemiulnarem. coſtam latam $\frac{1}{4}$ ulnæ. Cæterum de hoc immani Longurione ſilent Hiſtoriæ Patriæ, quis fuerit, vel unde, an ex Ætneis Antris huc venerit Cyclops, vel unus ex impia illa cohorte, quæ auſa fuit affectare cœlum? Habuit certè, quæcunque fuit, conjurata Juventus, cur ſeſe in Helvetiam reciperet, potius quam in ullam aliam Terræ Regionem, ad propoſitum exequendum. Animus erat provocare Divos ad prælia, quem in finem oportuit ad cœlum propius ire, imo, quod Fabulæ narrant, humeris monti ſuperaddere montem, pervius ut fieret congeſtis molibus Æther. Nullibi autem hoc commodius fieri potuit, quam in Patria noſtra, ubi Juga alpina propius Ætheri accedunt, quam ulla Terrarum alia, ubi,

Quantum Tartareus Regni pallentis hiatus
Ad manes imos, atque atræ ſtagna Paludis
A ſupera Tellure patet; tam longa per auras
Erigitur Tellus & Cœlum intercipit umbra.
abeunt in nubila Montes.
Mixtus Athos Tauro, Rhodopeque adjuncta Mimanti,
Oſſaque cum Pelio, cumque Hemo ceſſerit Othrys.

Sil. Italic.

Ducerem ab hoc noſtro Helvetico Gigante, ut Nationis Helveticæ genitore, Proſapiam noſtram, ſi ulla extarent uſpiam hujus rei monumenta, & hinc derivarem Gentis noſtræ tam celebratum, & tot bellis ad hæc uſque Tempora probatum robur, ſi vel minimam præviderem perſuaſionis in Animis Lectorum erigendæ ſpem, quam nec mihi pollicere auſim. ſunt equidem, qui pertendunt, degeneraſſe nos

à

à Majoribus noſtris, fuiſſe eos prægrandi & ferè Gigantea mole Homines: aſpectare nos jubent Alpicolarum & Vallicolarum plerorumque hodiernorum quadratam proceritatem, ſpeciatim *im Iſelwaldberg*, prope Brientium, & in *Grindellia Valle*, Ditionis Bernenſis; oſtendunt nobis in oſſuario quodam Vallis Alpinæ *Calfeiſanæ*, Comitatus Sarunetum, collapſo, oſſa Hominum, quæ ordinariam ſuperant hominum ſtaturam, & de portentoſo eorum, qui olim ibi vixerint, nam nunc præter ſacellum à ſenis vicinorum Montium frequentari ſolitum, & domuum quædam rudera, nihil amplius reſtat, robore; In ipſo quoque Agro *Tigurino* ad Arcem *Utikonam* ex Tumulis, Rupibus & Tofaceis inciſis, oſſa eruta humana, magnitudinis prope incredibilis memorat *Wagner Hiſt. Nat. Helv.* p. 152. & in *Vallis Vreel*, apud *Volturenos*, campo de *Luco* dicto, in quo conflictum magnum contra Arianos tempore Divi Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis, Oſſa giganteæ ſtaturæ humana reperta teſtatur *Sprecher Pallad. Rhæt.* Lib. X. p. 276. & *Guler Deſcript. Rhætiæ.* L. XI. p. 171. Adducunt porro Teſtimonium *Julii Cæſaris* admirantis olim *corpora Gallorum*, (quibus Helvetii quoque accenſebantur) *Germanorumque* cæſa, quæ *mirifica corpora*, & *corpora mirifica ſpecie amplitudineque vocat* A. *Hircius* De Bello *Africano* Lib. V. Argumenta quoque petunt ex ipſa Regionis *indole*, *cui incolæ ut plurimum reſpondere ſoleant*, *cum enim Helvetia celſiſſimis orna-nata ſit montibus*, *proceras Arbores*, *magnaque armenta proferat*, *Incolæ quoque Regionis Naturæ reſpondere debebant*; *Helvetii enim montium*, & *montes Helvetiorum Gratia producti eſſe videntur*; *Et Philoſophi doceant locatum conſequi locorum conditiones.* Wagn. Hiſt. Nat. Helv. p. 145. Dehinc ex ipſis Helvetiæ Gentis Annalibus Hiſtorias paſſim congerunt Gigantei roboris & molis. De *Teutoboccho*, ſeu *Teutobeccho* Duce Tigurinorum, Ambronum, Cimbrorum atque Teutonum, proceritatis eximiæ Viro, qui ſupra Trophæa eminebat, teſte *L. Floro* L. III. C. 3. *P. Oroſio* Hiſt. L. V. C. 16. & à *Cajo Mario* Conſule Romano occiſus eſt Anno ante Chriſtum natum 105. fuit ſane Tigurinus hic Gi-

gas Lucernenſi haud inferior, ſi verum foret, quod de illius Sceleto 25. pedum A. 1613. ad Caſtrum *Langon*, prope *Sanctum Romanum* Delphinatus Oppidum (haud procul ab Oppido *Beaurepaire* in Agro *Viennenſi* locat Chiffletius *Veſontion* Part. I. c. 47.) in Tumulo peculiari reperto narrant peculiaribus Libellis *Jacobus Tiſſot* & *Nicolaus Habigot*, quorum fidem infringit *Gaſſendus* in *Vita Peireskii*, Lib. III. p. m. 205.

De *Mario Roſtio*, (*Röüſt*) & *Anglardo* (*Conrad Engelhart*) Tigurinis, quorum fortitudinem ſingularem laudat *Jovius Hiſt.* L. XV.

De *Melchiore Petermanno*, Cive Lucernenſi, *Jodoco Meyero*, *Neukilchenſi*, ex præfectura *Rotenburgenſi*, *Caſparo Lütoldo*, Monaſterienſi, *Jodoco Rodolpho Redingio* Suitenſi, *Johanne Petatore*, dicto *Muſculo*, Monaſterienſi, & Ruſticis quibusdam aliis Lucernenſibus, eorumque prævalido robore, Cyſat. *Beſchreibung des IV. Waldſtetten See.* p. 144.

De *Jordino* (Weybel Arnold Jordin) ſubſylvano, cujus *immanem & prope efferam virtutem* deprædicat *Jovius Hiſt.* L. XI.

De *Winkelriediis* Subſylvanis Nobilibus, quorum unus immanem Draconem interfecit, & patriam ferâ hac belluâ liberavit; alter *Arnoldus* nomine in Sempacenſi pugna haſtarum hoſtilium in acie porrectarum faſciculum collegit, & Helvetiis ad ipſos hoſtes pontem ſtruxit, imo viam ad Victoriam, perenni memoria dignam paravit.

De *Johanne Wala* Glaronenſi, cujus fortitudo bellica inſignis laudatur in *Sprecheri Pallad. Rhæt.* L. IV. p. 110.

De *Rodolpho V. Tſchudio* Glaronenſi, cujus Hiſtoria digna, quæ huc inſeratur abs me ex Hermanni Hermanni J.C. Pinu Tſchudiana ſeu Genealogica Familiæ hujus prænobilis Hiſtoria MSC. *Rodolphum hunc, quod Auſtriacas partes tutaretur adverſus 3. montanas Communitates. A.* 1316. *Johannes à Scedorff & Vranienſes hæreditatem quandam apud ſe interverterant; Armis itaque repetendam arbitratus Tſchudius, aliquoties cum ſuis Auxiliaribus in Vallem Schæſkianam hoſtiliter irrupit: Contra Seedorffius cum ſuis Glaro-*

nen-

nenſium vallem, cui à Limago Fluvio nomen, invaſit. Varia hinc inde damna illata, Bellum tamen ſopitum. Seedorffius à Glaronenſibus Cacodæmon ex Vri, Tſchudius verò, quod eſſet viſendæ Longitudinis, longus Riebingus vocitabatur. Die quodam ſuis inſtructi copiis utrinque acerrimè congrediebantur, adeo quidem, ut fortiter cædendo Hoſtem Tſchudius cuncta ſua Arma perfringeret, perderetque, cui tamen ſpoliato furor mox alia miniſtravit. Mirum dictu, viderat is forte adoleſcentem Pinum, hanc itaque ingenti, ut erat, corporis proceritate, animique fortitudine invadens, ſine mora radicitus Terrâ revulſit, eaque armatus renovato prælio novem ex hoſtibus proſtravit, cæteriſque in fugam actis, haud ſane ignobili potitus eſt victoria.

De *Ænothero* (*Einheer*) ita, quod exercitum æquiparaverit, nuncupato. Hic ex Turgia Pago Sueviæ. (Turgoja Helvetiæ) *oriundus, Flumina, quæ pontibus non juncta erant, poſt ſe Equum ſuum trahens ſuperare ſolitus fuit, adjecto in reluctantem loripedem hoc joco: Ita meus Deus adjuvet me, vel ingratus ſequare neceſſe eſt. Is Venedos, Avareſque in modum fœni demetebat, & in morem avicularum, haſtæ velut cuſpide fixos humeris ſuſpendebat; teſte Aventino* Hiſt. Bojar. Lib. IV. p. 208.

Plures poſſem Catalogo ſemigigantum inſerere Helvetos, ſi per tempus id liceret, quod monet me redire ad Gigantem noſtrum Lucernenſem, Icone duplici repræſentatum, quarum una omnium oculis expoſita in Turris facie exteriore, cum hac Epigraphe Rhythmica.

In der Statt Lucern, da unden
Bey dem Dorff Reyden hat man funden
Schröcklich groſſe Menſchen Gebein,
Vnder einer Eich, auf einem Reyn:
Die Oberkeit derſelben Statt,
Glerhten leuthen die zugſchikt hat:
Welche nach der proportion,
Geometriſch das Mäss han gnon,
Hiemit erſcheint unfehlbar gwiss,
Wann aufrecht gſtanden diſer Riss,

Sey er gſin mit der Länge gleich
Vierzehen mahl diſen ſtrich:
Beſchach im 1577. *Jahr.*
Gott weiſs, wie lang er vor da war
Was man g'funden, noch b'halten werden
Was überig verbleibt in der Erden.

Addita huic inſcriptioni eſt linea, quæ quatuor decies ſumta Longitudinem Gigantis adæquare debet. Eandem proportionem ſervat adjecta linea recta, ſed quadragies & bis ſumta.

In ipſa vero Curia ſuſpenſa videtur Tabula integrum exhibens ſceleton, ad nutum *Felicis Plateri Medici Baſileenſis*, cui examen oſſium repertorum demandatum fuit à Senatu Ampliſſ. Lucernenſi, à *Johanne Bock* picta. Picturæ huic adjecta eſt Inſcriptio ſequens Latina & Germanica.

Delineatio Sceleti Gigantis, cujus oſſium portiones aliquot, veluti femoris, tibiæ, ſcapularum, vertebrarum, Oſſis ſacri, Coccygis clavicularis, Coſtarum, calvariæque fragmenta, pollicis quoque ſecundum os, atque Calx, mala item integra fere (è quibus & tanquam illis, quæ in homine longè aliter quam cæteris animantibus formata ſint, humani corporis hæc oſſa fuiſſe præcipuè indicium deſumtum fuit,) in ditione Lucernatum Helvetiæ juxta vicum Reyden, quercu antiqua dejecta, ſub illa inventa, Senatuique Lucernenſi tranſmiſſa, & ad horum dimenſionem reliqua totius Sceleti oſſa, quæ ut aberant, nec non abſoluta erant à Felice Platero, Ordinario Baſileenſi, ad imitationem veri Sceleti delineata, atque à Joanne Bock Pictore Baſileenſi depicta, Illuſtriſſimoque Senatui Lucernenſi præſentata fuerunt, Anno ſal. 1584. *Julio Menſe.*

Idiomate Germanico.

VerZeichnuſs eines Riſen beinern Cörpers, deſſen etliche ſtuck Beins, als von dem knochen und Röhren der Schencklen, Armſchinen, von der Achslen, Laffen, wirten oder wirbel, des Ruckgradts, und anderen Stucken der Rippen and Hauptſchidlen, ſampt dem underſten Daumenbein, Sporenbein, und Knieſchyben, die vaſt gantz geweſen, (darauſs man auch am mei-

meiſten, daſs diſe Gebein von einem Menſchen har kommen, dieweill ſie an ihme vil anderſt, dann an anderen thieren gſtaltet, hat abnemmen können) im Lucerner gebieth im Schweitzerland, bey einen fleken Reyden genannt, under einer alten Eychen, die nidergefallen, gefunden, und der Oberkeit zu Lucern zugeſchickt ſindt worden, nach welcher Glidmaſs unnd Proportion des Gantzen beinern Cörpers Gröſſe unnd ſtatur, von eines rechten Menſchen Cörpers Linien iſt ausgezeichnet unnd abgemeſſen worden durch Doctor Felix Plattern Statt artzet unnd Profeſſorn zu Baſel, unnd durch Meiſter Hans Bock den Mahler daſelbſten gemahlet, den Edlen Herren Schultheiſs unnd Rath der Statt Lucern præſentirt und überſchickt, im Jahr Chriſti 1584. im Monat Julii.

Conferri merentur, quæ recenſet ipſe Felix Platerus Obſervat. Medic. L. III. Cap. 586. *Cum Lucernæ*, inquit, *A.* 1584. *Menſe Julio degiſſem, accidit, ut mihi oſſium quorundam fragmenta, immenſæ magnitudinis, quæ in Curia aſſervabantur, Senatores demonſtrarent, quæ in ditione eorum, non procul à Cœnobio Reyden, in montis vicini ſpecu, ſub annoſa Quercu vi ventorum dejecta, inventa, collectaque, atque eo delata fuerunt. Quæ cum conſiderarem, atque è minoribus pleraque, & ex illis, quæ tenuibus laminis conſtant, ut ſunt Calvariæ oſſa, Carie vetuſtateque conſumta, vel quia comminuta neglectaque erant, quam portiones majorum oſſium, licet exeſa & fungoſa leviaque eſſent, quantum cognoſcere potui, humanis oſſibus reſpondere obſervavi, atque mox qualia eſſent, ſingulis inſcripſi; eoque magis Gigantis alicujus oſſa fuiſſe ex eo collegi, quod Pollicis os infimum inter ea invenerim, nec non molam, dein & Calcis os, Scapulasque cum Clavicula, quæ tantum in homine ea forma deprehenduntur. Ad hæc & longa & craſſa femorum, tibiarum, humeri & brachii, quorum extrema cum capitibus reſtabant, ab humanis oſſibus formâ nihil differebant. Quæ omnia occaſionem mihi præbuerunt, ut cum ſingula ad me Baſileam hæc oſſa, Magiſtratus illius loci juſſu tranſmiſſa eſſent, ea diligentius inſpiciens & cum Sceleti mei oſſibus conferens, magis in ea ſententia confirma-*

marer, atque ad Sceleti mei oſſa, majora hæc & confracta conferendo, integrum Sceleton, tantæ magnitudinis, quantum oſſa, ſi integra fuiſſent, delineari & depingi curarim. Quod Sceleton decem & novem pedes longitudine adæquat. Inde cum nullum animal quadrupes tantæ altitudinis inveniatur, magis oſſa illa Gigantis alicujus fuiſſe, probari poteſt.


Athanaſius Kircherus Mund. ſubterran. Lib VIII. Sect. II. p. 56. Gigantem hunc Helveticum ita cum aliis aliarum Gentium comparat, ut judicet,

	Cubit.	Pedes.	Palm.
Goliathum altum fuiſſe	$6\frac{1}{2}$ ——	13 ——	19.
Gigas Helvetius	9 ——	18 ——	27.
Oreſtis Cadaver oraculi juſſu effoſſum	7 ——	14 ——	21.
Aſterii Anactis Filii Cadaver	10 ——	20 ——	30.
Cadaver ex Creta monte effoſſum	46 ——	92 ——	138.
Gigantis Tingæ in Mauritania effoſſi	60 ——	120 ——	180.
Gigantem in Erice monte Drepanitani ſedentem	200 ——	400 ----	138.
			Subſtitue 600.

& pag. 58. De ipſius noſtri Gigantis Lucernenſis exiſtentia dubitare videtur, *quoniam præter Coſtas, Tibias, Femora, neque caput, neque pedes, manuſque oſtendi poſſint, quæ partes organizatæ uti deſint, ita veritatem rei ſuſpectam faciant*, & tamen p. 57. ſicuti Goliathi ita & Helvetii Gigantis, atque Oreſtis magnitudinem pro poſſibili habet, reliquos omni Jure habens pro anilibus deliramentis, cui & ego ſubſcribo, conſcius, quam ſæpe, & paſſim in Cimeliothecis Principum, atque Muſæis Curioſorum, Dentes Elephantum aliarumque beſtiarum grandiorum foſſiles monſtrentur pro Dentibus Gigantum.

Sed mitto nunc Gigantem Hominis ejuſque reliquias, ut Conſiderationi meæ veſtræque ſimul ſubjiciam monſtra Brutorum, puto, immanes Belluas, *Dracones* vulgò nuncupatas, de quarum exiſtentia dubitant adhuc multi. Commodam hic nanciſcor occaſionem explanandi integram de *Draconibus Helveticis* Hiſtoriam. Invitat me, præter materiæ raritatem, loci ipſius circumſtantia, quandoquidem plurimi Ditionis

Dracones Helvetici.


Fig 12
ALBULA
FLUVII
Prima Stamina
et Progressus
LUGD BAT
excudit Petrus van der
Albula M.
Zum weissen stein
Mulix
Rots
Bergun
Greiſſen stein
Filisur
Alve neuer Bad
Suraua
Brienz
Portar
Tieffen
Caſten
Vatzerol
Lentz
Hora Helvetica

nuncupatur) peteremus *Bergünium*. In montis hujus editiori loco, ubi nullum fuit ex Petrarum vel ſylvarum Aſylo ſolatium, corripuit nos gravis tempeſtas: Murmurabant Tonitrua, jaciebantur Fulmina, micabant fulgura, ſpirabat Zephyro Boreas interfuſo Imbre & grandine juxta tantâ vehementiâ, quæ equis omnem ulteriorem inhibuit progreſſum, vertebant hi terga tempeſtati, nec amplius fræno obediebant, ſed aliqui ex illis in fugam à grandine acti veloci curſu remeabant cum ſeſſoribus ſuis ad proximam caſam alpinam: per ſummum Albulæ cacumen ad crucem tranſeunt limites territoriales Engadinæ ſuperioris & juriſdictionis Bergünenſis. Eſt deſcenſus Occidentalis hujus Montis lateris periculoſior tam hyeme quam æſtate, orientali, tum propter ſaxa ex alto decidua, tum propter labinas, quæ ex Borealibus Jugis devolvi ſolent; ſpecialis periculi locus eſt ſupra diverſorium, *Zum Weiſſen Stein*, in peregrinantium ſolatium infra culmen Montis extructum. Ad viam ſupra idem hoc Diverſorium monſtrantur pro *Albulæ* fluvii fontibus bini fontes perennes vivi ex terræ viſceribus profluentes, qui error Accolarum jungi debet errori Valleſiorum, juxta immenſæ molis glaciales Montes exiguos Fonticulos pro Rhodani ſcaturigine oſtendentium. Confluunt ex Albulæ Montis parte Occidentali undique rivi, qui *Albulam* fluvium conſtituunt. Delineata prima hæc ſtamina & progreſſus ad *Imum Caſtrum* uſque exhibet *Fig*. 12.

Bihorium æſtimatur à diverſorio *Zum Weiſſen Stein* ad Bergünium, Bergün, & trihorium à *Ponte* ad *diverſorium:* Bihorium aliud à Bergünio ad *Feliſurum*, *Filiſur*, in cujus viciniâ ſunt venæ cupri, plumbi & argenti, nunc vacuæ. Supra Feliſurum rudera ſunt Arcis *Gryphenſtein*, *Griffenſtein*. Semihorâ à Feliſuro abeſt *Balneum Alvonovanum*, *Alvanienſe*, *das Alvaneller Bad*, & *Balneum*, *das Bad* ſimpliciter dictum: Nomen id habet à vico *Alvanio*, *Alvum novum* olim, *Alven new*, *Alve neü;* memoratum quoque *Wagnero Helv. Cur*. p. 117. Fons eſt frigidus, ſulphureus è divite ſcaturigine ſtatim in ahenum, ubi coquitur, derivatus, ut uſui balneantium inſerviat; Non enim dubium, quin balnei optimi ſul-

phurei vires in morbis ſcabioſis, aliiſque externis exerat, quandoquidem ſulphure copioſo ſcatet, quod ſub filamentorum formâ fonti innatat, & canali æque ac rebus quibusvis obviis, ut Gramini, lapidibus, adhæreſcit. In Aheno quoque, ubi coquitur, accreſcit Tofus albidus inſipidus, uti alii Tofi Thermales. Filamentis ſulphureis irretiti ſunt vivi vermiculi pallidi, iis ferè ſimiles, ſed minores, quos miniati coloris offendi in mucilagine bituminoſa Fontis Ruſchlikonenſis, & alius conſimilis ad Lacum Rivarium; Copiam ſulphuris indicat quoque odor, qui eminus quoque, præſertim æſtate ad ſclopeti jactum ferè perſentitur.

Balneum hoc poſtquam guſtavimus, ſeſquihoræ intervallo per *Brienzolum*, *Brienz*, *Brienzolſæ* venimus *Lantium*, *Lenz*, ubi prandium ſumſimus, & hora 1. pomeridiana Mercurii altitudinem habuimus aëre inconſtanti 23″. 7‴.

Hac veſpera per Planuram, vel planitiem *Lantii Curiam* venimus, per *Corvantianam Vallem* ſpeciatim, per *Parpanum*, ſeu *Partipanum*, *Perpan*: *Monaſterium* ipſum *Corvatienſe*, *Churwalden*, ubi Conventus ordinis Præmonſtratenſium fuit A°. 1167. fundatum; Umbelicum, malix.

Sequenti manè, qui fuit 9. d. Auguſti, fuit Curiæ Mercurii altitudo 25″. 7‴.

Et die 10. 25″. 8‴.

Die 10. Auguſti poſtquam multa officioſæ humanitatis beneficia guſtavimus ab Ill°. D^no^. Hercule de Salis, Prætore antehac Morbennenſi, nunc Senatore Curienſi: nec non à Clariſſ. D^no^. Doctore Joh. Bavier, Præfecto Urbis Curienſis, diſceſſimus, repetituri Tigurum.

Hanc noctem autem tranſegimus in Oppido *Wallenſtatt*; & noctem ſequentem in Oppido *Raperſuilâ*, *Rapperſuil*, quò devenimus Lintha Flumine, & portione Lacus Tigurini ſuperiori vecti.

Die 12. verò ſalvi & incolumes, quæ DEI eſt gratia, appulimus Tigurum.

OBSER-




Fig. 14.
Fig. 15.
Fig. 16.
Fig. 13.

OBSERVATA BOTANICA, ANNO MDCCVII.

A.

Aſtrantia alpina minima. Helleborus niger Saniculæ folio minor. C.B. Prodr. 97. Hanc plantam confudi hactenus cum *Aſtrantia minima nigra alpina* Raji, nunc verò ab ea ſejungo, quod invenerim deſcriptioni Caſpari Bauhini reſpondentem, quæ à Rajana in hoc præcipuè differt, quod folia habeat ima in latiora & breviora ſegmenta diviſa, & florem in ſummo caule unicum, vel binos. In Furcula Monte, aliiſque Rhætiæ altiſſimis provenit.

Alchimilla alpina gramineo folio, ad nodos frequentes copioſiori elegans, Knaauwel ſimile. Ex una radice tereti longa ſurgunt reptantes primùm cauliculi plures frequentiſſimè nodoſi, ita ut in caule vix palmari 14. genicula numerare liceat, nodis protuberantibus, quos ſingulos 10. & plura ſtipant folia graminea anguſta 4. vel 5 lineas longa, ſæpe recurva, rigida, è quorum alis verſus cauliculorum ſummitatem prodeunt ramuli ſuſtinentes veluti Umbellam florum ſtamineorum, quibus ſubſunt calices quinque partiti, ſegmentis acutis læte viridibus, argenteo colore marginatis. Cœterum tota planta læto & ſplendenti virore oculos mirè recreat. In alpibus Rhæticis Italiæ finitimis.

B.

Bellis alpina minor Silveſtri minori ſimilis, quæ capite eſt villoſo, petala habet dilutè carnea, ad fundum purpurea, floſculos diſci purpureos. *Fig.* 13.

C.

Cyperus alpinus ſpinâ Ruffâ ſplendente, è pluribus velut ſpicis compoſitâ. Creſcit hic quem ſupra Valentiam, Comitatus Sarunetum offendi, locis humidis, quem hactenus non ad deſcriptas ſpecies reducere potui. Folia ei ſunt cubitalia, & ſeſquicubitalia, vaginâ ad radicem obvoluta, aſpera, ſi deorſum ducas digitum, lineas quatuor lata. Culmo inſidet ſpica rufeſcens, vel fuſci coloris è pluribus velut partialibus ſpicis, iiſque ſplendentibus compoſita ſeſquiuncialis.

Caryophyllus Silveſtris flore laciniato albo inodoro. C.B. Pin. 210. *Betonica, Coronaria ſive Caryophyllea, flore tenuiter laciniato, majore albo & dilutiùs rubente.* J. B. III. 331. Quem in St. Bernhardini Montis aſcenſu ſupra ſylvam Rheni (*Rheinwald*) ad viæ latera offendi, flore eſt carneo, vel juxta J.B. expreſſionem dilutè rubente quinque partito in tenuiſſimas lacinias diſſecto. Umbilicus eſt viridi luteolus cum

lanugine barbata purpurei coloris. Apices & ſtylus candidi, apices etiam flaveſcentes.

Carlina Silveſtris quibuſdam, aliis Atractylis Polycephalos. Cnicus Silveſtris ſpinoſior Polycephalos. C. B. Pin. 379. Elegans planta, quam in Valle Prægallienſi prope Soglium offendi, à *Cnico Silveſtri ſpinoſiori.* C. B. ſeu vulgato, differt ramorum & florum numero, quandoquidem 15. 20. & plures in eodem caule adſint.

Cardamine alpina minor Reſedæ foliis. Tour. *Naſturtium alpinum minus Reſedæ foliis.* C. B. Offendi ſatis copioſè in deſcenſu Furculæ Montis ad Vallem Clavennenſem. Iconi convenit & Deſcriptioni quæ extat in Prodr. 45. ab uncia una ſurgit ad dodrantalem uſque altitudinem. *Quid per cauliculos communiter indiviſos intelligat* C. B. me latet. Ex eadem radice ſurgunt cauliculi plures, aliquando duodeni, iique plerunque ramoſi. Folia aliquando in lobos 5. vel 6. diſpeſcuntur. Infima haud rarò ſunt unica ſubrotunda, uti in Cochlearia. Ex alis foliorum oriuntur ramuli florum quandam veluti umbellam vel ſpicam ſuſtinentes. Flos ipſe cruciformis eſt albus, ſtylus è flore ſurgens pallidè viret, quem cingunt apices exigui quatuor luteoli.

Cardamine alpina, foliis latis teneris longis pediculis inſidentibus. Alia hæc à *Cardamine alpina trifolia.* Cluſ. ſeu *Naſturtio alpino trifolio.* C. B. naſcitur locis umbroſis ſub Saxo, ad torrentis Montani è furcula deflui ripam foliis plerunque ternis, admodum teneris in uno pediculo palmari, tenui, quorum extremum latiſſimum & rotundum unciale eſt in Diametro. Aliquando ad eundem pediculum infra terna jam memorata naſcuntur conjugata bina alia ſubrotunda, lineas duas lata. Adſunt ex eadem radice alia minora duplo triplove. Fervidi admodum & ſubtilis ſunt ſaporis, ſaturi, viroris glabra. Caulis è radice fibroſa erigitur debilis, palmaris & dodrantalis, veſtitus aliquot foliis, glaber, in cujus ſumma ſpica eſt florum laxè diſpoſitorum, quos ſequuntur ſiliquæ ſemunciales anguſtiſſimæ.

Campanula alpina linifolia cœrulea, flore unico grandi in ſummo cauliculo. Ex flore medio ſurgit ſtylus cœruleus, ſupernè in tria viridia Cornicula ſeſe aperiens; ſtamina ſunt alba, apices in circulum reflexi rubelli. *Fig.* 14.

Campanula Serpilli folia. C. B. è foliorum alis ſurgunt pediculi palmares & altiores, lanugine rarâ leviter hærente donati, tertia ſui parte foliis veſtiti, etiam ut in cauliculis, ex adverſo ſitis, dein nudi. In ſummitate floſculus eſt unicus, vel duo pulchelli, ſuaveolentes, dilutè purpurei, campanæ formes quinque partiti interne lætè purpureo colore ſtellati, quorum umbilicus pulchro luteo colore ſe commendat. Calice ſuſtentantur, quinque partito in mucrones acutos terminato, qui abit in vaſculum ſeminale oblongum vel oblongo rotundum, ipſum va-

vaſculum ſuſtinetur foliolis exiguis binis hirſutis. Stamina & apices foris candicant.

D.

Doronicum longifolium hirſutie aſperum. C.B. Pin. 185. *Doronici ſpecies ex horto Ferrarienſi folio longo hirſuto.* J.B.III. 19. raram hanc Doronici ſpeciem offendi in Albula, aliiſque Rhætiæ alpibus: Foliis eſt ad margines non crenatis, nec ſerratis, hirſutis, digitum ferè latis, ſeſquidigitum longis pediculis uncialibus & biuncialibus inſidentibus, in caule ex lata baſi in acutum mucronem deſinentibus & anguſtioribus. Planta tota, quæ dodrantem vix excedit, hirſutiâ aſperâ eſt obſeſſa, in foliis, caulibus & calice. Folia in Iconibus Cluſianis & Bauhinianis pinguntur anguſtiora multo, quàm in noſtra planta, ſi eadem eſt, conſpiciuntur.

E.

Evonymus latifolius. C. B. ad Thermas Fabarias.

F.

Feſtuca avenacea alpina anguſtiſſimis junceis foliis, locuſtis parvis purpuro argenteis ſplendentibus ariſtatis in ſpicam collectis, Petiolis tamen longis & tenuiſſimis inſidentibus. E radice fibroſa ſurgit ceſpes foliis conſtans anguſtiſſimis, junceis, juncialibus & palmaribus, & ex horum medio cauliculi dodrantales & ſemipedales, duobus vel tribus interſtincti geniculis, ad primum ſurſum reflexi: Internodia media obvolvit vagina læte purpurea, e qua ſe liberat foliolum tenue unciale viridi purpuraſcens: cauliculorum ſummitatem occupant locuſtæ parvæ, ſeſquilinearis longitudinis, lineam dimidiam lata, media ſui parte tumidiores, ex purpura & argenteo nitore ſplendentes, in binas breves ariſtas, viridis vel purpurei coloris terminatæ, capillaribus, petiolis, ſemuncialibus & uncialibus tortuoſis, ſæpe, inſidentes, quæ per intervalla e cauliculo prodeunt, non tamen ſe in latum diffundunt, ſed erecti, & caulibus adſtantes ſpicam fere conſtituunt. In S. Bernhardino. *Fig.* 15. Extat hæc in Fratris *Agroſtographia* p. 216. Titulo *Graminis Avenacei paniculati alpini foliis capillaceis brevibus, Locuſtis purpuro-argenteis ſplendentibus & ariſtatis.*

Feſtuca avenacea humilior alpina, locuſtis varicoloribus majoribus, in Ariſtas purpureas deſinentibus. Ex radice fibroſa ſurgunt cauliculi ſemipedales, paucis foliis veſtiti, iiſque anguſtis, viridibus, glabris, biuncialibus & palmaribus. Caulis ſummum occupat ſpica e locuſtis quinquelinearibus ex colore viridi, luteo, ſpadiceo & argenteo variis compoſita, in ariſtas ejuſdem cum locuſtis ipſis longitudinis purpureas terminata. In Adulæ jugis. *Fig.* 19. Eſt hoc *Gramen avenaceum paniculatum alpinum locuſtis varicoloribus majoribus ariſtatis.* Fratr. *Agroſtogr.* p.231.*Prodr.* p.23.Tab.III.

Feſtuca avenacea humillima alpina locuſtis varicoloribus ſplendentibus in purpureas ariſtas deſinentibus, *caule hirſuto.* A ſuperiori, quæ idem fere nomen geſtat, differt caule hirſuto, craſſiori, & magnitudine: hæc quippe non ultra palmum aſſurgit. In paniculâ, quæ ſpicæ formam præ ſe fert, prædominatur color fulgens luteus, ut ſpicâ ſpecioſâ aureâ cognominari poſſet.

Filago alpina capite folioſo. Tour. cui jungo præeunte Rajo, *Gnaphalium alpinum magno flore folio brevi*, *& folio oblongo.* C. B. creſcit ad fontes Rheni poſterioris e regione Montium Glacialium. Miror quod *magnum florem* huic Plantæ adſcripſerit C. B. & ſuſpicor, ipſum totum capitulum florigerum pro flore aſpexiſſe. Eſt autem hæc congeries ex plurimis floſculis fiſtuloſis marginibus quinque partitis, luteis, ſplendentibus, ſed parvis, e copioſâ lanugine intertextâ promicantibus.

G.

Gentiana paluſtris latifolia flore punctato C. B. *Gentiana punctato flore ſubcœruleo Pennæi* J. B. flore non eſt Monopetalo campaniformi, ut in aliis Gentianis, ſed pentapetaloide, dilute cœruleo, purpureis lineis interſtincto, quæ paſſim abrupte punctorum ſpeciem præ ſe ferunt, unde punctatæ nomen. aliqui etiam Flores ſunt tetrapetaloidei, ita quoque calyx viridi cœruleus nunc pentaphyllos eſt, nunc tetraphyllus; petala floris lineam vel ſeſquilineam ſunt lata, ſex lineas longa, in acutum mucronem terminata, uti quoque ſegmenta calycis; piſtillum circumſtant 5. ſtamina obſoleti coloris cœrulei, recurva extrorſum, cum apicibus viridi luteis; flos primo intuitu polypetalos videtur, aſt probe intuenti 5. occurrunt ſegmenta ad unguem fere diviſa, ad ungues cujusvis petali vel ſegmenti adſunt intus bina tubercula rotunda coloris purpuro cœrulei ſaturatioris. In Regina Montium ditionis Suitenſis. *Juncum parvum paluſtrem cum parvis capitulis Equiſeti* Raji, qui idem eſt cum *ſcirpo montano capitulo breviore.* Tour. & *Junco montano parvo cum parvis capitulis luteis.* J. B. eundem in Obſervationibus A°. 1706. judicavi cum *Junco exiguo montano mucrone carente.* C. B. ut ſubſcriberem Ill. ac Βοτανικωτάτῳ Dn. *Guil. Sherardo*, ſed nunc diverſum ſentio, quod binas diſtinctas poſſideam plantas, quæ deſcriptionibus etiam diſtinctis Authorum reſpondent. Reſpondet autem Plantæ noſtræ montaneæ Icon *graminis Juncei foliis & ſpicâ Junci minoris.* C. B. Theatr. 79. non tamen deſcriptio, nunquam enim ſurgit ad altitudinem pedalem; Spicarum colorem ſi expreſſiſſet, felicius judicaremus, an hoc *Gramen Junceum* C. B. idem ſit cum præſenti, vel potiùs *Juncus* noſter *alpinus capitulo glomerato è nigro ſplendente.*

Gramen Sparteum alpinum paniculâ albâ compactâ in alâ foliorum Seſ-

ſili.

ſili. Ex radice fibroſa ſurgunt plures ſimul calami dodrantales & ſemipedales, folioſi, foliis quæ ad radicem vaginâ communi obvolvuntur dodrantalibus, aliquibus calamum ipſum longitudine æquantibus; ſupra medium ſcapum liberat ſeſe a culmo aliud folium; quod culmum ipſum ſuperat: duas fere uncias infra ſummitatem calami panicula jacet in ala culmi & tenuiſſimi folii ſpartea, ex duobus vel tribus ſpicis partialibus folioſis compacta albida: accedit fere ad *Gramen Sparteum ſecundum paniculâ brevi folliculo incluſa.* C. B. ſi modò adeſſet folliculus.

Gramen Sparteum alpinum paniculâ Spadiceo-viridi uno plerunque verſu diſpoſitâ ſpicatâ. Ex radice fibroſâ fuſcâ ſurgit e medio foliorum triuncialium & palmarium tenuiſſimorum calamus, junceus enodis dodrantalis & ſemipedalis, in ſummo faſtigio ſpicam ferens uncialem, viridem vel viridi ſpadiceam, in unum plerunque latus projectam, conſtantem e ſpicis partialibus, quæ e pluribus componuntur glumis folioſis, extremo luxuriante & cornu inſtar ſe protendente: Calami imam partem obvolvunt duo vel tria folia vaginalia, anguſta. Spicæ partiales totalem componentes non abſimiles ſunt iis, quæ componunt ſpicam *Graminis montani Cambro Brittannici ſpicâ foliaceâ gramineâ* Raji. In paſcuis udis Alpium Rhæticarum, ad fontes Rheni poſterioris. *Fig.* 20. Eſt id *Gramen paniculatum, ſparteum, alpinum, paniculâ anguſtâ ſpadiceo viridi proliferum* Fratr. *Agroſtogr.* p. 213. *Prodr.* p. 21. Tab. I.

Gramen paniculatum alpinum parvum, paniculâ ſpicatâ ſpadiceo viridi elegans. Ex radice tenui fibroſâ ſurgunt plures cauliculi ab unciali ad palmarem altitudinem accedentes, propter radicem præcipue, ſed quoque ad mediam ſui partem folioſi, foliis cincti viridibus ex lato ſemilineari principio in tenue acumen deſinentibus uncialibus & ſeſquiuncialibus: Ima cauliculorum pars aliquando læte purpuraſcit: cauliculorum ſummo aliquando unica inſidet locuſta, ex 4. vel 6. ſquamis muticis compoſita, aliquando duæ, plerunque 8. 20. & plures in ſpicam congeſtæ, ſpadiceo virides, oris argenteis, quæ bilinearibus tenuibus inſident petiolis. Ex locuſtis ſurgunt ſtamina & apices luteoli. In Alpibus Rhætiæ ſummo, ſ. Bernhardino, & ad Fontes Rheni poſterioris. Idem cum hoc, locuſtas ſi addas, eſt *Gramen paniculatum Alpinum paniculâ ſpicatâ ſpadiceo viridi locuſtis ariſtatis*, quod eadem quoque agnoſcit loca natalia. *Fig.* 16. Eſt hoc *Gramen alpinum paniculatum minus, paniculâ ſpadiceo-viridi elegans.* Fratr. *Agroſtogr.* p. 163. *Prodr.* XIX. Tab. IV.

Gramen paniculatum alpinum elegans paniculis ex ſpadiceo viridi, & argenteo variis. Ex radice geniculata & fibroſa albida ſurgunt cauliculi tenues, dodrantales, duobus vel tribus geniculis diſtincti, inferne ad ſingula genicula foliis viridibus anguſtis veſtiti, in ſummo paniculo

culo adeſt ſparſa inſtar *Graminis paniculati minoris ſeu pratenſis*, conſtans ex locuſtis tenuiſſimo bilineari vel trilineari petiolo inſidentibus: has componunt tria ſquamarum paria, quæ ſingulæ ima parte virideſcunt vel e viridi flaveſcunt, media ſpadicei vel nigricantis coloris habitu apparent, & ſummo apice argenteo nitore ſplendent. Locuſtæ ipſæ ſunt, ut in Gramine Amoris compreſſæ & erectæ. In paſcuis ad fontes Rheni poſterioris. *Fig.* 17. Extat hoc in Fratris *Agroſtogr. Prodr.* p. 20. Tab. III. titulo: *Gramen paniculatum elegans, paniculis ex ſpadiceo, viridi, & argenteo variegatis.* Et in *Agroſtographia* ipſa p. 190. jungitur *Gramini pratenſi paniculato minori rubro.* C. B.

Gramen alpinum parvum latifolium ſpica ſubrotunda ferruginea: brevis palmaris eſt planta vel dodrantalis ſemipedalis, ex radice fibroſa, in longa tenacia filamenta abeunte cauliculi ſurgunt, pro plantæ magnitudine craſſi, enodes, foliis ad imum veſtiti viridibus, glabris, lineam unam & duas latis, triuncialis & palmaris & ſemipedalis longitudinis, quæ caulem ipſum excedit. Cauli ſummo unica inſidet ſpica ſubrotunda vel pyramidalis, brevis, fuſci vel ferruginei coloris e ſquamis compoſita; ſpicæ ſubeſt folium nunc tenue, vix conſpicuum, nunc ſemunciale latius in acutum mucronem deſinens. Ex ſquamis capitulum componentibus, prodeunt copioſa ſtamina lutea. In S. Bernhardini Monte. *Fig.* 18. Eſt id *Gramen alpinum enode, ſpicâ parvâ ſubrotundâ ferrugineâ.* Fratr. *Agroſtogr.* p. 495. *Prodr.* p. 18. Tab. IV.

Gramen hirſutum anguſtifolium minus alpinum paniculis rufeſcentibus. Ex radice lignoſa rufeſcente cauliculi ſurgunt tenues dodrantales & ſemipedales, foliis veſtiti anguſtis, leviter hirſutis, duplo quam in hirſuto latifolio minori anguſtioribus: panicula verò rufeſcente, latè diffuſâ, cum hoc convenit in Monte S. Bernhardini

Gramen Cyperoides anguſtifolium, ſpica ſpadiceo viridi minus alpinum ſpicis brevioribus & habitioribus. Palmaris eſt planta vel dodrantalis, fibris fuſcis radicata & propter radicem foliis veſtita uncialibus, & palmaribus anguſtis: ſummo cauli in alis foliorum inſident ſpicæ breves erectæ, ſpadiceo virides, cauli applicitæ, vel brevibus admodum pediculis inſidentes: ſuprema eſt ſemine caſſa. In udis Alpium Rhæticarum ut S. Bernhardini.

Gramen Cyperoides anguſtifolium ſpicâ ſpadiceo viridi minus alpinum, ſpicis longioribus. A præcedenti differt ſpicis longioribus uncialibus; in reliquis convenit: ſpicæ primæ ſubjacet plerunque folium ſeſquiunciale, & reliquis gradatim tenuius.

Gramen Cyperoides anguſtifolium alpinum ſpicis tenuibus rufeſcentibus. Ex radice fibroſa ſurgit Ceſpes folioſus foliis viridibus glabris ſemuncialibus, anguſtis, lineam dimidiam latis, ſtriatis e quorum medio eriguntur caules dodrantales, & ſemipedales, inferne paucis foliis veſtiti;



Iter 6.

veſtiti; verſus caulis ſummum prodeunt ex foliorum alis ſpicæ lineam latæ, quinque longæ, tenui inſidentes petiolo, compoſitæ è ſquamis fuſcis ſplendentibus, quarum margines albent in Udis Adulæ.

J.

Jacea unicaulis folioſa alpina latifolia calyce è ſquamis pennatis compoſito. Reſpondet ſatis benè hæc deſcriptionibus *Jaceæ latifoliæ capite hirſuto.* C. B. *Jaceæ cum ſquamis pennatis, ſive capite villoſo elatiori.* J. B. apud Cluſium & J. B. niſi quod unicaulis ſit noſtra, non ramoſa; ſeſquipedem alta, ab imo caule ad ſummum foliis ſtipata. In pratis udis & montoſis ſylvæ Rhenanæ, *des Rhein Walds*, & alibi in Rhætia.

Jacobæa Alpina foliis rotundis ſerratis C. B. floris corona conſtat ſemifloſculis luteis ſtriatis, in extremo bifidis, ſeu parum ſinuatis, diſcus medius ex floſculis floſculoſis ſaturatioris coloris in 5. apices terminatis, è quorum medio ſurgit ſtylus bifurcatus, ſemifloſculi ſunt lineas 5. vel 6. longi, unam lati, Floſculi abeunt in ſemina papposa.

L.

Laſerpitium v. *Liguſticum.*

Liguſticum quod Seſeli officinarum. C. B. Pin. 162. *Seſeli ſive Siler montanum vulgare.* J. B. III. P. II. 168. Quod ad Lacum Rivarium & alibi in alpibus creſcit. *Laſerpitii* notam præ ſe fert, quoniam ſemen criſpatur, alis quatuor foliaceis.

Lichen alpinum glaucum ramoſum botryoides ramulorum extremitatibus nigris & tumentibus. Deſcriptioni A°. 1703. factæ adde, quod ramulorum extremitatibus inſideant ſæpe tubercula nigricantis coloris, tumentia, parva, haud raro in botros collecta. In Adulæ Jugis.

Lactuca montana latifolia laciniata flore cæruleo. Tour. *Sonchus lævis laciniatus cæruleus vel Sonchus alpinus, cæruleus.* C. B. caulem habet infernè glabrum, nonnunquam dilutè purpurantem, foliis alternatim veſtitur laciniatis, crenatis, extimo ſegmento inſtar haſtæ ferri in acutum mucronem deſinente, pilis eſt hiſpidus, in ſummo flores geſtat, quaſi in ſpicam congeſtos, læte cæruleos, quorum petala fimbriata ſunt. Ex floſculis mediis ſurgunt filamenta cærulea ſupernè recurva. Calyx eſt folioſus hiſpidus.

Lychnis alpina pumila, folio gramineo, ſive muſcus alpinus, Lychnidis flore. C. B. *Muſcus alpinus flore inſigni dilutè rubente.* J. B. alia eſt flore *majore*, alia flore *minore.* Hæc petala habet vix ſemilinearia in latitudines ſeſquilineam longa ſinuata purpurea, ſtamina dilutè purpurantia vel albentia. Apices ſunt ſublutei, calyx viridis vel purpuraſcens. illa flores majores, ejuſdem ſtructuræ & coloris.

P.

Pinus conis erectis. Tour. Inſt. 586. *Pinaſter conis erectis*. C. B. Pin. 492. *Pinaſter alpinus pumilio*. Cluſ. Pann. 14. *Pinaſter pumilio montanus* Park. ad radices alpium ſublimiorum Rhæticarum, quæ Italiam ſpectant, uti in deſcenſu S. Bernhardini ad pagum ejuſdem nominis, & Vallem Meſaucinam: in deſcenſu Furculæ ad Vallem Clavennenſem: Rhætis, *Cimber*, Cembro, diſtinguendus tamen probè venit à *Pinu*, *cui oſſicula fragili putamine ſive Cembro*. J. B. quæ circa S. Mauritii pagum in Rhætia copioſe creſcit. Noſtra pinus pumilio optimè deſcribitur à Cluſio & ipſo J. B. l. 246. ſub titulo *Pini Sylveſtris Mugho ſive Crein*, ut nullus dubitem, quin una eademque ſit Arbuſcula cum noſtra *Pinu conis erectis*, roborandus adeo ſit ipſe J. B. & Rajus, qui dubitanter Identitatem hanc poſuere: atque adeò huc etiam reducenda optimo jure veniat *Pinus ſylveſtris montana altera:* C. B. pin. 491. utpote ſynonima *Pini ſylveſtris Mugho* dictæ apud Math. & modo citatæ. J. B.

Pinus ſylveſtris montana tertia. C. B. in Engadina ſuperiori circa S. Mauritii acidulas, ſpecialiter prope Celerinam in Sylva *Stazz* dicta.

Polemonium vulgare cœruleum. Tour. *Valeriana cœrulea*. C. B. in deſcenſu Albulæ montis ad Bergün jugum.

Polypodium minus alpinum. ſubſcribo J. B. qui III. 738. *Polypodium minus*. C. B. ſuperfluis adſcribit, ſane *Polypodium alterum* Matth. Lugd. & *minus* Dod. quæ minoris C. B. ſunt ſynonyma, vix à *vulgari* differt, niſi foliorum tenuiori paulò dubio procul macilentiori, ob ſterilitatem ſoli, diviſurâ. Hic verò, de quo nunc, minoris cognomen meretur, quoniam ſemunciale eſt vel unciale, pediculis inſidens ſemuncialibus, & radice quoque tenuiori, cœterum quoad diviſionem folii idem cum vulgari, licet in pauciora pro ratione longitudinis totius ſegmenta diviſum. In ruderibus ſaxoſis *Vallis prægallienſis* prope *Culturam* Pagum.

Q.

Quinquefolium album majus alterum. C. B. petala habet 5. in extremo ſubrotunda candida, lineam lata, tres longa, ſtaminibus hirſutis albis inſident apices fuſci, calyx decaphyllos hirſutus. Ad pontem, quo Rheni ripæ junguntur ad initium Viæ malæ in Sexamnina Valle.

R.

Rapunculus alpinus petræus cœruleus foliis flori ſubſtratis longis anguſtioribus. Radix eſt craſſa, ad dimidii pedis profunditatem fiſſuris rupium in-

infixa, ſaporis mucilaginoſi, ſubdulcis aliquando media ſui parte tumida, radicum Aſphodeli inſtar. Ex una tali radice ſurgunt capita aliquot, quæ ſtatim demittunt folia, ex lata ſubrotunda baſi in acutum mucronem deſinentia, violæ Marianæ inſtar, ad margines ſerrata pediculis palmaribus & dodrantalibus fulta: e quorum medio caules ſurgunt dodrantales & pedales foliis, per longa ſatis intervalla veſtiti, ſenſim anguſtioribus inferioribus quidem pediculis etiam longis inſidentibus, ſuperioribus verò cauli immediatè appreſſis, anguſtis, longitudine ſua inferiora æquantibus, imo ſuperantibus: Folia omnia ſunt tenuia, glabra vel exili hirſutie aſperſa, uti quoque caules, & modicè ſerrata. Capitulo florum cœruleorum ſubrotundo ſubſtrata ſunt foliola quædam inæqualis longitudinis, longiſſimum eſt ſesquiunciale vel biunciale, lineam latum, ſine ſerratis marginibus. Varietas eſt hæc *Rapunculi alpini corniculati.* C. B. *ſeu Rapunculo comoſo ſpicato aliquatenus affinis ex Baldo.* J. B. uti & ſequens. *Rapunculo* ſuo *corniculato* radices grumoſas vel tuberoſas adſcribunt Pona & C. B. noſtri Rapunculi, cujus radices ſunt prælongæ, craſſæ, ita ſæpe in capita extuberant, ut pro grumoſis facile accipi queant; oportet autem ſtudio eradicare integram hanc plantam, nec ſolis manibus è fiſſuris rupium protrahere.

Rapunculus alpinus corniculatus foliis ab imo caule ad ſummum anguſtioribus. Ima folia, quæ è radice prodeunt, vix unciali pediculo pendent, latiora quidem ſuperioribus ſunt, & per ambitum ſerrata, ſed prope pediculum vix duas ſunt lineas lata, ſemunciam longa, quæ caulem veſtiunt inferiora, ſemunciali vel unciali pediculo ſunt nixa, vix lineam lata, ſequidigitum longa, quæ ſequuntur ejuſdem ſtructuræ alia cauli applicita per longa ſatis intervalla, omnia raris denticulis ſerrata, qui etiam conſpiciuntur in foliis flori ſubjectis. Uterque è rupium Rhæticarum fiſſuris prodit in via Mala & Anderam inter ac Spelugam.

Rubus alpinus humilis. J. B. *Chamæ rubus ſaxatilis.* C. B. circa Thermas Fabarias; fructum habet coloris miniati, ſaporis acidiuſculi, grati, baccæ nunc ſimplices piſiformes, nunc binæ, nunc plures ad ſex uſque conglomeratæ, eidem calici Pentaphyllo inſidentes, quibus ſingulis ineſt ſemen oblongum.

Ruta muraria alpina latifolia. Tour. *Adiantum album criſpum alpinum.* Schwenkf. jungi debet *Adianto albo florido ſeu Filiculæ petreæ criſpæ* Raji Hiſt. 153. imo & *Adianto albo petræo Rutæ murariæ accedenti* J. B. III. 735. ac in conſortium trahi Rutæ murariæ fortè affinis *Adiantum album criſpum alpinum* Schwenck. J. B. III. 732. diſtinguenda tamen hæc planta *à filicula alpina criſpa.* C. B. quippe quæ foliola habet rotundiora, minora, cauliculos minores, & Filicis Rhæticæ inſtar muco vel muſco fuſci coloris aſperſos. Circa noſtram rutam murariam alpinam in deſcri-

prione Raji ſingulatim animadvertendum, *folia eſſe duum generum, alia conſtare ſegmentis ſeu pinnulis latioribus, eſſeque tenuiter inciſa, & Coriandri ſeu Petroſelini criſpi folia quadantenus referre; alia ſegmentis longis, anguſtis ad margines undique reflexis, & flores dictos Oſmundæ regalis referentibus.* Copioſè offendi hanc plantam ſub umbra ſaxorum in deſcenſu Furculæ Montis ad Vallem Clavennenſem.

S.

Saxifraga ſedifolio flore albo multiflora. Tour. cui in itinere Anni 17 3. alia ſociavi ſynonyma, quæ mihi occurrit ſaxis innaſcens in viâ, quâ Anderâ Spelugam itur, elegans eſt planta polyanthos florum ſpicam pyramidatam geſtans, caule hirſuto viſcoſo. flores ſunt candidi pentapetali, ſtamina luteola, apices candidi, calyx pentaphyllos hirſutus viſcidus.

Sedum ſaxatile Teretifolium floſculis luteis, conceptaculis ſeminum ſtellatis viridantibus, petala 5. habet lutea, apices quoque flaveſcentes, vaſculum ſeminale ſtellatum.

Serpillum alpinum latifolium ſubhirſutum, Hoc quod *à ſerpillo vulgari majori* C. B. ſeparo, in Alpibus Rhæticis Italiam verſus ſpectantibus creſcit, foliis ſupina parte ſaturatius virentibus, pronâ ſplendentibus, oblonge rotundis Majoranæ æmulis ſubhirſutis, viticulis lignoſioribus purpuraſcentibus.

Serpillum latifolium hirſutum. C. B. ſub hoc titulo recondo aliud ſerpilli alpini genus, quod radices habet numeroſas, longas, lignoſas & fibroſas, ſubfuſcas, cauliculos plures etiam lignoſos in ceſpitis formam ſuper terram expanſos, foliis cinctos oblongo rotundis, lineas duas longis, unam latis, tota planta in foliis, cauliculis & capitulis florum hirſutiè tota eſt obducta. In Alpibus Rhæticis, quæ verſus Italiam ſpectant, ſpeciatim in Valle Prægallienſi.

T.

Tanacetum alpinum odoratum. C. B. flores in ſummo caulè veluti in umbellam diſponuntur. Calyx è ſquamis componitur viridibus limbo nigro cinctis, Corona floris conſtat floſculis ſemifiſtuloſis, latis, candidis, leviter ſinuatis, floſculi diſci medii ſunt pallidi, piſtillum croceum.

V.

Veronica alpina fruteſcens, C. B. flores aliquot in ſummo caule ſuſtinet pediculis purpurantibus exili hirſutie obductis. Flos tetrapetaloides intenſè Cœruleus, ſaturatioribus venis ſtriatus. Stylus prætenuis cœruleus apice cinereo terminatus. Stamina duo Cœrulea, apices magni albidi, floris umbilicus quoque albet.

Ve-

Veronica ſpicata anguſtifolia. C. B. Flos ex tubo albido in 4. ſegmenta panditur dilutè cœrulea, ſtamina & apices ſunt concolores, apices pro ratione floris ſatis magni.

Viciæ pulchrum genus multifolium, ſive Galegæ ſpecies quibusdam. J. B. II. 316. paucis Botanicis cognitam hanc plantam, & J. B. ipſi ex ſicca ſaltem deſcriptam, veluti ex orco revoco potius, quam ut novo baptizem nomine. Planta eſt cubitalis & bicubitalis, paſſim in Alpibus, ſpeciatim ſupra Thermas Fabarias obvia, caule ſtriato, cujus geniculis, binis foliis ſtipatis, prodit juxta coſtam folioſam, foliis oblongis & oblongo rotundis glabris, in acutum mucronem vulgaris viciæ inſtar terminatis, rarò tamen conjugatis, conſtantem, in capreolos deſinentem, prodit pediculus dodrantalis, foliis ipſe nudus, ſuſtinens ſpicam florum elegantium uno verſu diſpoſitorum. Sunt hi albo virides, lineis cœruleo purpuraſcentibus pulchre intus præſertim ſtriati, Galegæ magnitudine, calyci inſidentes in quinque acutos mucrones terminato. Apices ſtylis albis inſidentes ſunt flavi exigui. Piſtillum abit in ſiliquam uncialem tres lineas latam, compreſſam, rotundis tribus vel quatuor ſeminibus fœtam. Caules ſunt crebro geniculati.

Virga aurea montana minor. Bocc. flores integros, cum ſtaminibus & floſculis mediis ſiſtuloſis habet luteos, vel aurei coloris.

FINIS.

JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,

Tigurin. Med. Doct. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolin. & Socc. Regg. Anglic. ac Pruſſic. Membr.

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

SIVE

ITINERIS ALPINI Deſcriptio Septima, ANNI MDCCIX.

Nunc primum Edita.

ITER ALPINUM SEPTIMUM,

ANNI MDCCIX.

S*apientiſſimum illud Poëtæ*, invitâ nihil agendum Minervâ, *ſi ullibi, locum certe invenit in hiſtoriâ Naturali Regionibus ſpeciali, imo omne fert punctum in perquiſitione Naturæ Helveticæ. Non ſola hîc ſufficit inclinatio, non ſolæ expenſæ, non ſoli labores, ſudores, non fundamenta phyſica ſola. Inclinatio ſine ſumtibus vanus eſt impetus, ſumtus ſine notitiâ in caſſum adhibentur, notitia ſine laboribus, ſine excurſionibus inania gignit Cerebri figmenta; Jungenda ſimul hæc omnia, coadunanda, pro extruendo ædificio firmo. Deſiderio aſſocianda perennis applicatio, judicio continuatæ vires. Ita ſecundo vento, & affluente Mari ſecuri intremus portum. Hæc conſiderans inde à tribus fermè annorum luſtris, ex quo tempore Hiſtoriæ Naturalis Helveticæ opus in me ſuſcepi, animum meum nutrivi non interrupto ſcientiæ hujus deſiderio, excurſiones inſtitui quotannis, ut autopſiæ inædificarem ſtructuram hiſtoriæ ipſius. Quo autem ſucceſſu tot labores fuerint ſuſcepti, tot itinera per Montium altiſſima juga, & profundiſſimas valles peracta, monſtrabit aliquando, quod DEO volente ſub ampliſſimo Magiſtratus Tigurini protectione elaboro opus Hiſtoriæ Naturalis Helveticæ, cujus ne quidem lacinia eſt præſens itineris Alpini deſcriptio, quæ*

quidem lapides aliquot & arenam, & Trabeculas confert ad ædificium ipſum extruendum.

Alpium Amœnus Proſpectus. Die 25. Jun. quo Lacui Tigurino me concredidi *Horgam* Navi, & *Tugium* equo petiturus, horâ 5. matutina fuit Barometri altitudo in meo Muſeo 26 digg. 6¼'''. Pariſ. cœlo ſereno. Navigantium oculos mentesque mirum in modum recreat amœniſſimus in Alpes Suitenſes, Glaronenſes, & Rhæticas proſpectus. Non hic è veſtigio ſurgunt immenſæ altitudinis juga, non percellunt formidine minantia caſum ſaxa, procul abeſt omne, quod metum incutit, ſpectantur eminus ſecure, quæ cominus ſunt horrori, gradualis eſt, quem natura ſibi amicum habet, & familiarem, à collibus ipſis viniferis, frumentive feracibus ad altiſſimas ſterileſque cautes, æterna Nive glacieve obſitas, *proſpectus*.

Quæ ad ripam lacus Tigurini ſunt obſervanda, alibi expoſui, ſpeciatim *in Itinere Alpino Anni* 1703. impenſis regiæ Societatis Anglicæ Londini edito, ubi quoque proſtat Examen *Aquæ ſulphureo-bituminoſæ Ruſchliconenſis*, quæ nunc, felicibus forſan auſpiciis recoli incipit, & ad uſum trahi, per ſeſquiſeculum, & ultra fortè, neglecta. Ita & Aquæ ſuos patiuntur manes, ſuas viciſſitudines, pariter ac veſtes, homines ipſi, eorumque actiones. Vereor tamen, ut ab uſu in affectibus cutaneis, ulceribus, debilitate membrorum, morbis arthriticis probando, tranſeatur ad abuſum, uſum ipſum internum, & externum ipſum in affectibus, quibus non convenit. *Aqua Ruſchliconenſis.*

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum. Fluit hæc aqua per ſolum Ceſpitum bituminoſorum ſeu Turffaceum, ſi ita loqui licet, ut conjectare liceat, aſſumere Aquas alias fontanas in tranſitu per tale ſolum particulas ſulphureas bituminoſas. Aurum aquæ huic injectum in colore ſuo exaltatur, Argentum verò aliquantum denigratur. Conf. *Hydrograph. Helv.* p. 310. Supra *Horgam, Horgen,* ubi appulimus, trihorio peracto, pagus eſt *Käpfnen, Käpfnach,* ſupra quem vena eſt Lithrantracum examinata ſuperiori anno à me ſub præſidio Prænobilis & non Senatoriâ duntaxat dignitate, ſed variis muneribus Inclyti Domini *Jacobi Eſcheri,* poſt ad ſummam Conſulis dignitatem evecti,

juſſu

juſſu Magiſtratus Ampliſſimi Tigurini, qui perquiſitione Naturalium rerum combuſtibilium, intra noſtræ ditionis confinia exiſtentium, Turffæ ſpeciatim & Carbonum foſſilium exactâ prævenire & ſubvenire voluit ligno, Carbonumve Annonæ, nec id quidem invitâ fortunâ, infidoque ſucceſſu. Meretur hiſtoria rei eo modo narrari, quo fuit peracta. Decretum, quo mandabatur inquiſitio à numeroſiori, qui ex Ducentum viris componitur, Senatu exaratum fuit d. 19. Jul. Anni præteriti 1708, & ante finem ejuſdem anni effectui ita datum, gubernante prælaudato D.^no^ *Eſchero*, cujus induſtria pro communi bono plenis ſemper vehitur velis, ut ſatis fuerit Ampliſſ. Magiſtratui factum, & multa detecta, quæ uſui erant futura populo, in Urbibus & agris Reipublicæ Tigurinæ degenti, ſudes quidem in oculis vicinorum, à quibus hactenus maximam ſubſidiorum combuſtibilium partem coëmere neceſſe habuimus.

Venæ Lithantracum Horgenſium.


Venæ *Lithantracum* indicia proſtabant paſſim *Horgam* inter & *Käpfnacum* Pagos, *an dem Meilibach*, *Aabach im Aa tobel*, in pratis ipſis & agris, humiliori & decliviori loco ſitis. Haud difficulter verò ex collatione locorum colligi potuit, eſſe hoc unicum Carbonum foſſilium ſtratum arcuatim per totam montis longitudinem protenſum. *Im Aa tobel* vena fuit bipollicaris, pedis unius interjecto ſpatio infra eam alia, tripollicaris; paucis digitis infra hanc alia craſſior 8. digitorum, ut integra ſi continua foret vena æſtimari poſſit 13. digitorum, vel in circa pedis unius. Strata ſumma media, & ima ſunt ſaxea, Carbones ipſi tecti immediatè ſtrato terreo nigricante, quod ipſorum ferè Carbonum conſiſtentiam & formam habet, nec paucis partibus ſulphureis eſt intermiſtum, nimia tamen terreſtrium particularum copiâ, quæ ignem ſuffocat, abundans. Infra imam Carbonum venam 4. pedum profunditate occurrit Marga, nigro-cinerea, prægnans cochleis conchulisvè marinis, quales in fodinis Lithantracum Anglicis quoque reperiuntur, Diluvii, ut ſtrata ipſa, indices, & reliquiæ. Offendimus quoque in inferioribus Carbonum ſtratis ipſis Carbonibus intertexta Teſtaceorum contuſorum fragmenta innumera, colore candida, veluti ab igne calcinata.

Ex innumeris fruſtis Lithantracum occurrit quoddam non

maſſulatim concretum, ſed in forma culmorum plurium in faſciculos congeſtorum, uti indicat *Fig.* I. Apud ſcriptores Hiſtoriæ Naturalis, ſi circumſpicio, occurrit ad rem præſentem faciens *Alcyoniis accedens faſciculus, ſeu geniculatus lapis faſciatim manipuli frumentarii ritu coalitus, inter Entrochos & Alcyonia ambigens. Luid. Lithoph. Britt. Lond.* n. 105. *An virgultum corallinum Beaumontii, Act. Philoſoph.* n. 150. Fig. 26. nec non *Brush-Iron, & Brush-Iron ore,* vena Ferri, quam depingit *Grew. Muſ. Societ. Reg.* Tab. 22. & his verbis deſcribit, pag. 330. *It conſiſteth of ſtrait round, long ſtyria, about the thickneſs, of a ſmall kniting-Pin, bolt upright, like the briſtles of a ſtyff Brush, or the Teeth of a Wool Comb.* Carbonibus foſſilibus Horgenſibus intermixti ſunt *Pyritæ,* ex eorum genere, quos *parentes ſuccorum* vocat Kentmann Nomenclat. foſſil. p. 82. b. Effloreſcit enim ex his noſtris pyritis, ſi humido exponantur aëri, alimentum formâ pilorum cinereorum, imò & ſoli diu expoſiti collabuntur in cineres, venia ſit verbo, atramenti ſeu vitrioli feraces, quod inde per varias operationes elici poteſt, cœruleo-viride. Eſtque hoc *Vitriolum viride optimum Hungaricum viribus æquans, cujus minera prope Horgam ad locum Käpfnen eruitur, minerâ ſeu terrâ hac vitriolatâ aëri expoſitâ, brevi tempore album tenue, die Kupfer* Waſſer blume *emergit. Wagner Hiſt. Nat. Helv.* p. 335. Elicui ego ex vena hac pyrite vitriolica, quæ per decennium ferè jacuit, magno ſtudio ad ſolem calcinata, & hinc undique effloreſcente ℥ 285. Vitrioli ℥ 43.

. . . . nondum tamen examinare licuit, an Vitriolo huic aliquid intermixtum ſit aluminis, cujus præſentiam conjecto ex ſapore ſubdulci.

Commiſi quoque examini ignis Lithanthraces noſtros Horgenſes, & per Retortam prolicui ſpiritum forte odoris fœtidi, ſulphurei, coloris rubelli, in quo ſeſe ad fundum præcipitavit Craſſamentum nigerrimi coloris mucilaginoſum, & magis reſinoſum in aqua & ſpiritu vini reſolubile. Innatavit eidem liquori, cuticula ejuſdem materiei eò ferè modo ſtriata, quo fruſtum Lithanthracinum ſupra memoratum faſciculatim concretum,



PROSPECTUS MONTIUM GLACIALIUM GRINDELIANORUM,
prout eos ad vivum delineavit insignis Pictor Topiarius MEYERUS *Vitoduranus.*

Ta. 7

cretum, ut ſuſpicari liceat, annon id ipſum concreverit ex craſſamento tali materiæ Carbonum, dum fluida adhuc fuit. Spiritus Lithantracum, cum ſpiritu nitri affuſo admodum efferveſcit, cum ſolutione ſacchari ſaturni in aceto deſtillato ad fundum præcipitat materiam griſei coloris copioſam: cum aceto deſtillato, aliquid pulveris fuſci: cum ſale Tartari nullam patitur mutationem. Carbonum foſſilium fruſta groſſè contuſa impaſtavi cum luto, experturus uſum in furnis Chymicis, & ſub camino, qui ex voto ſuccedit, & fœtidum Carbonum ipſorum odorem non parum temperat. *Paſtilli* hi in aqua frigida extincti reddunt eam Schinznacenſibus Thermis odore, & forte uſu ſimilem: nigrum verò ex aſtuſâ ſolutione filtratâ Pyritæ Horgenſis anteà memorati.

Invitaret me loci materiæque affinitas ad Turffam, ſeu *ceſpites bituminoſos*, qui nunc magnâ copiâ nec exiguâ uſus in civitatem & agrum redundaturi ſpe, effodiuntur haud longè à Lacu Tigurino, ad Cœnobium *Ruti*, nec non ad *Lacum Felinum;* ſed adeo ampla eſt obſervationum, quas hactenus circa Turffam collegi, ſeges, ut malim illas reſervare in aliam occaſionem.

Nunc iter noſtrum proſequimur juxta *Balneum Valterſuilanum*, deſcriptum in ὀρεσιφ A°. 1705. & *Schweitzer. Naturgeſch.* Tom. II. p. 1. petituri *Tugium*, *Zug*, ſeptimi Cantonis oppictum primarium, ubi horâ 3. p. m. Barometri altitudo fuit, cœlo turbido 26″. 6‴. & poſt pluviam h. 6. 26″. 4½‴. Tiguri cecidit pluvia modica ¼‴. Pariſ. *Tugium.*

In vico Baar Campana una ex maximis hanc habet inſcriptionem. *Campanarum, in vico Baar, Inſcriptiones.*

O ✠ REX ✠ GLORIE ✠ VENI ✠ NOBIS ✠ CUM ✠ PACE ✠ ANO ✠ 1465. maxima ſequentem.

IN DER EHR GOTTES UND MARIAE LAÜTET MAN MICH. ALLE TODTEN BEWEINE ICH. ALLE UNGEWITTER VERTREIBE ICH. IN DER EHR S. MARTIN WEICHT MAN MICH. AUS DEM FEUR FLOSS ICH. MORITZ SCHWARTZ VON LUCERN GOSS MICH. A°. 1597.

Tugii

Tugii Antiquitatis Monumenta. D. Oſwaldi Templum.

Tugii obſervavimus ſequentia Antiquitatis monumenta, uſui Hiſtoriæ potiùs quàm Phyſicæ inſervitura.

In templo D. Oſwaldi ad dextram portæ primariæ legitur.

Juſtus erat Karolus, Konſtantinuſque devotus
Clemens Ludovicus, Henricus corpore caſtus.
Templa DEO fundant, ea dotant, idola calcant
Auctores Fidei pugiles pro Nomine Chriſti
Hæc quia fecerunt
Intrare Polos meruerunt.

Sub ipſa porta viſuntur Effigies horum Imperatorum; ad dextram S. KONSTANTINVS M. S. KAROLVS M. S. LVDOVICVS. S. HENRICVS Imp.

Ad lævam legitur.

Melchior ex gente, cum Balthaſar ob Oriente
Et Caſpar comite venerunt ſidere Duce,
Quem ſolum quærunt Ephrata monſtrat eum
Dona ſibi dantes aurum cum Thure libantes.
Diis myrrham ſociant, proni ſua corpora curvant.

In ipſo templo viſuntur

Statua Equeſtris.

Statua Equeſtris lignea, ſub quo Clypeus Angliæ inſignia oſtendens, circa quem legitur. SANCTVS OSWALDVS REX ANGLIÆ PATRONVS HVIVS ECCLESIE. Figura Oſwaldi regium oſtendit amictum, & caput coronâ redimitum.

Epitaphia Familiæ Zur Lauben.

Epitaphia per-Illuſtrium quondam D^n. D^n. Generoſiſſimæ familiæ Zur Lauben L. B. de Thurn & Geſtelenburg, in hac D. Oſwaldi Eccleſia quieſcentium.

Non ingratum erit Lectori φιλωίςωρι Illuſtriſſimæ hujus familiæ, de Patria & Rege Chriſtianiſſimo multa promeritæ Fata ex Epitaphiis, quæ deſcripſi, perſcire.

BEATVS I. ANTONII *Filius, Tugienſium Ammanus* CAROLI. IX. HENRICI III. *Galliæ Regum Regalis cuſtodiæ Capitaneus; hic ſemper infracto ſtetit animo pro DEO & Patria contra Religionis & Regiæ dignitatis hoſtes, candorem animi effuſione ſanguinis ſæpius purpuravit.* CAROLVS IX *in fortitudinis Tropheum, fideique ſignum Sublaubiano ſtemmati implantavit Lilium, Franciæ decus & inſigne,*

inſigne, primus motor omnem movit lapidem, ut de vivis Seraph. Ord. lapidibus Domus DEI Tugiæ ædificaretur, Choro & altari ſummo propriis expenſis conſtructo: Legationes, fœdera, amicabiles compoſitiones beatè ſemper terminavit, ſed nunquam beatius quàm Anno 1596. *d.* 18. *Dec. ætat. ſuæ* 63. *dum obiit & abiit ad Beatos Beatus.*

Vivere mundo mori eſt, mori mundo vivere.

Quieſcit hic ſepultus CONRADVS BEATI *Filius, Chriſtianiſſimi Gallorum Regis* LVDOVICI XIII. *Ordinis S. Michaelis Eques, Regalis Cuſtodiæ Capitaneus, Tugienſium Ammanus, qui vigilans, agens, atque conſulens, DEO, patriæ & amicis inſerviens, in vivis non quievit, ut reſurgens felix in æterna quiete requieſcat. Obiit d.* 31. *Martii* 1629. *ætatis ſuæ* 58.

Ingreſſus viam univerſæ Carnis tranſiit.

A°. 1650. *d.* 5. *Oct. Starb der Hoch adeliche und Generoſe* HENRICVS CONRADI *Sohn, Königl. Majeſt. zu Franckreich Kammer Edelmann, und Leibguardi Hauptmann, ſeines alters im* 43. *jahr. Gott begnade die Seel.*

Noſſe cupis lector, Tumulo quis conditus iſto,
Ah! jacet hic Patriæ vera Columna ſuæ,
Multa tulit fecitque ſua, ſudavit & alſit
Pro patria, Patriæ quis neget eſſe Patrem?
Nunc jacet & taceat, licet hic poſt funera virtus.
Hic loquitur Patriæ, quid? memor eſto mei.

BEATVS CONRADI *filius, Regis* LVDOVICI XIII. *Regalis Cuſtodiæ Capitaneus, Tugienſium Ammanus, obiit d.* 2. *Maji* 1661.

Hoc cuſtode, Argo, Patriæque parente beato
Nonne beata parens urbs Tugienſis eras.

HENRICVS BEATI SDI *Filius, Galliarum Regis* LVDOVICI XIV. *Regalis Cuſtodiæ Capitaneus, ſupremæ Vigiliarum Tugienſium Præpoſitus, Præfectus quondam Badenæ, obiit* 2. *Maji* 1676. *æt. ſuæ* 55.

Quid Lacrymas fundis, vel cur ſuſpiria laſſo
Pectore deducis nobile ſtemma tuo.

Nam placet exciſam fatali vulnere frondem
Turgenti Lacrymis fonte rigare tuam.
Nil opus, his tua frons etiam poſt fata vireſcet,
Inſita nam ſuperûm frons tua vivet agris.

Hic jacet extinctus Fato BEATVS JACOBVS BEATI SDI *Filius, Dominus in Hembrunn & Anglichon, Eques, Tugienſium Ammanus, in Conflictu Vilmergenſi* 1656. *ſupremus Vigiliarum Præfectus, ac liberæ Provinciæ Capitaneus Generalis. vixit* 74. *annos* 4. *menſ.* 18. *d. devixit* 21. *April.* 1690.

Noctes atque dies vixit Patriæque DEOque
Vivat ut æternos jam ſine nocte dies.

BEATVS CASPARVS BEATI JACOBI *Filius, Dominus in Hembrunn, Anglichon & Neulenbach, SS. Mauritii & Lazari ac Regalis Ord. S. Michaelis Eques, liberæ Provinciæ Capitaneus Generalis, Primi Illuſtriſſimi S. R. I. Principis Murenſis primus Marſchallus hæreditarius, Tugienſium Ammanus, genere, genio, ingenio, Reges, Principes, Patriam, Palladem, Martem in ſui favoris triumphum duxit, morte tandem pallida in hunc Tum. ductus d.* 15. *Apr.* 1706. *Æt.* 62. *menſ.* 9. *d.* 3.

BEATVS JACOBVS HENRICI II^di^ *Filius, Comes de Wylerthal in Alſatia, Eques Ord. S. Ludovici, Colonellus locum Tenens Generalis Regiarum Copiarum* LVDOVICI M. XIV. *quem Gallia, Italia, Flandria, Catalonia, Hibernia, victorioſum agnovit militem & glorioſum ſanguine & virtute, Illuſtriſſimus Generalis Hochſtädtiano in Conflictu acerrimè confligans ſepteno ex vulnere occumbens, non ſuccumbens, generalem primum ſubiit mortis legem* 21. *Sept. Vlmæ Corpus Eccleſiæ P. P. Auguſt. Pectus Tugio, Animam tradidit Cœlo.* 1704. *æt. ſuæ* 48. *menſ.* 6. *d.* 3.

Hier ruhet die Woledelgebohrne Frau Maria Margaretha Pfeiffer van Weyer, Weiland Herren, Herren, Ritter und Amman, BEATI JACOBI *Zur Lauben von Geſtelenburg Ehegemahel, ſtarb den* 1. *April* 1705. *æt.* 70. *jahr.*

In eodem hoc templo extat altare multa arte è ligno, a Tigurino, ut ajunt, cive, ante bina fortè ſecula ſculptum, repræſentans Hiſtoriam filii cujuſdam unici in Hiſpania capite trun-

truncati, & Tugii reſuſcitati, vi interceſſionis factæ à D. Jacobo, qui innocentem filium parentibus reddidiſſe perhibetur.

In templo Parochiali viſitur eodem ſculptore fabricatum Altare; accedit hic labor ad tempora & peritiem Alberti Düreri, & ſui generis Magiſtrorum. Circa Campanam leguntur hi verſus,

Feſta Colo, plango functos, fulgura frango.
A°. 1619.
Aus hitz und feür bin ich gfloſſen,
Peter Fueslin von Zurich hat mich goſſen.

S. Michaeli. S. Wolfangus. S. F. S. Theodulus. S. Baſchia. S. Chriſtophorus. S. Carolus Borromeus. S Salvator. S. Peter. S. Barbara. S. S. Maria. S. Catharina. S. Oſwald. A°. 1404.

In orbe quodam vitreo legitur,

M. Joh. s. Schönbrunn Rect. & Decan. in Zug, & Canonicus Thuricenſis.

In Cœmitorio inter alias cruces viſitur hæc inſcriptio Centenarii.

Erreicht hab ich das 100. *jahr,*
50. *davon im Rath ich war.*
Erzeugt hab ich 15. *Kind,*
Deren noch 9. *bei leben ſind,*
Kindskinder und der Enkel z'mal
Sind 150. *an der Zahl.*
Von diſen viel in Geiſtlichem ſtand,
Gott helff uns zamen ins Vatterland.
Joh. Caſpar Landtwing geſtorben A°. 1701.

A°. 1435. d. 4. Martii horâ 5. pomeridianâ in *Lacum Tugienſem* ſubmergebantur duæ ædium ſeries, & 60. interiere homines. *Stumpf. Chorogr. Helv.* L. VI. c. 31. *Sprenger. Chron.* ad h. a. In memoriam hujus infortunii extat ad ædem Telonii, *am Zollhaus*, ſequens inſcriptio, in Cruce: *MCCCCXXXV. Da gieng Zug unter, und ertranck Schreiber Wickhart.*

Die 26. Jun. h. 5. a. m. fuit Tugii Mercurii in Barometro altitudo 26". 6"'.

Lacu Tugienſi trium horarum ſpatio trajecto *Immenſeam*, quæ Ditionis *Suitenſis* eſt, venimus, & mox per Iſthmum

dimidiæ horæ *Kuſnacum* vicum, ad Lacum IV. Civitatum Sylveſtrium ſitum, ubi nunc templum extruitur ex Toſo foliis arborum ſubinde prægnante, qui effoditur ad Pagum *Greppen*.

Campanæ Inſcriptio.

Circum Campanam hujus templi legitur,

Alle abgeſtorbne beweine ich,
Vnd alle ungewitter vertreibe ich,
Zu der Ehr Gottes und Mariæ laütet man mich,
Aus dem feur floſs ich,
Moritz Schwartz von Lucern goſs mich. 1597.

Circa aliam,

Te matrem pietatis opem efflagitat orbis,
Subvenias famulis, o Benedicta, tuis.

Fuſor idem qui ante.

Hic Lacui nos commiſimus, Lucernam petituri. Ejuſdem verò diei veſperâ attigimus, *Stationem, Stationum, Stansſtad*, ubi Barometri altitudo fuit 26″. 1½‴. cœlo nunc ſereno, nunc pluvioſo. Tiguri aër fuit hoc die Nubilus ſubſerenus. Barometri altitudo h. 1. p. 26″. 6‴.

Die 27. Jun. Lacu Vectore venimus *Alpnacum, Alpnach*, ubi pariter atque in Stansſtad ſtatio eſt Subſylvanorum. Hinc per Pagos *Schlieren, Kägisweil, Sarnam, Sarnen*, qui vicus primarius eſt Supraſylvanorum. Diſtinguitur namque *Subſylvania* integra in *Supraſylvaniam, Vnderwalden, ob dem Wald, & Infraſylvaniam, Vnderwalden nidt dem Wald*, cujus vicus primarius eſt *Statio, Stantium, Stantz*. Mercurii altitudo bono manè in Stansſtad fuit ut heri ſub veſperam 26″. 1½‴. Sarnæ vero h. 10. a. m. 26″. 2‴. cœlo pluvioſo. Tiguri toto hoc die 26″. 5‴. manè quoque lapſa pluvia 1¾‴. Pariſ. *Sarnæ* commiſimus nos *Lacui Sarnenſi, Sarner See*, appulimus autem ſemihorulæ ſpatio *Saxulam, Saxlen*, viſuri templum, ubi ſepultus,

Templum Saxulæ.

vaſtæ pius incola Eremi
Nicoleos, qui uno & viginti ſobrius annis,
Nil potus eſuſque tulit, myſteria cœli
Edoctus, ſacro vivebat corpore Chriſti.

Canente *Glareano*.

Ornant


Le Canton d'UNDERWALD, en Suisse.
Der Brunig berg
Das Melchthal
Sachslen da Br. Claus begraben
Gyßwyl
Sonnenberg von Stalden
Sarnen
S. Anthoni
Kerns
Saa brucke
Kagiswyl
Stantz
Alpnach
Schifflandung zu Alpnach
Im Rotzloch Pappyr muhlen
Der vier Waldt Stetten See.
A. Maiſon du Frere Claus. B Son Hermitage. C Chapelle de N. Dame. D. Hermitage de F. Ulrich.
G. La Caverne du Dragon. H. Rivage de Stantz

Ornant hoc templum Columnæ *marmoreæ nigræ venis albis* diſtinctæ, quod marmor huc aſportatum fuit ex Valle *Melchana, Melchthal.*

Supra portam Templi hujus Magnifici, in honorem Eremitæ Beati Nicolai A°. 1678. extructi, & A°. 1684. inaugurati legitur hæc inſcriptio,

D. O. M.
ET B. NICOLAO VON FLVE
PIORVM OPE ET AVXILIO CONSTRVCTVM.
A°. 1678.

In marmoreo ſepulchro ante altare jacent oſſa B. Nicolai à Capucinis huc A°. 1679. tranſportata:

Epitaphium hoc legitur meritis tanti viri vix reſpondens.

Allhier ruhet die Gebein des ſeligen Bruder Clauſen von Flue, dahero geſetzet, da man diſe Kirchen gebuwet. A°. 1679.

Monſtratur hic Semi Sancti, (Canoniſationem enim integram obtinere nondum hactenus valuerunt inſignia viri merita) vera, quam corpore geſtavit tunica: cum hac inſcriptione rhythmica, alpeſtrem Poëtæ, quiſquis ille fuit, conditionem ac eruditionem redolens.

Das is das recht und warhaſt Kleid
So Bruder Claus hat angetreit
Am bloſſen leib, Gott dient mit fleiſs
Glebt zwanzigthalb Jahr ohn menſchlich ſpeis.
Den Rock ihm g'ſchenkt und geben hat,
Ein Burger z' Lucern in der ſtatt,
N-Utenberger ward genant,
Dem Bruder Clauſen wolbekant,
Verehrt ihm den umb ſein den alten,
Der heutigs tags noch auch wird b'halten,
In hoher reverentz und ehren,
Z'Lucern bey Jeſuiter Herren.

I H S

Legitur ibidem Precatiuncula ejus quotidiana, Homine Chriſtiano, DEO devoto, perdigna.

O mein Gott und Herr; Nimm mich mir, und gib mich gantz eigen dir. O Herr, gib alles mir, was mich förderet zu dir. O mein Gott und Herr, nimm alles von mir, das mich wendet von dir.

Quæ de Viri hujus, vitæ *Sanctimonia valde inſignis*, quem primis *Eremitis, viris ſanctis & bonis* accenſent ipſi majores noſtri *Bullingerus*, & *Hoſpinianus*, & alii, Inedia, vita, memoratu ſunt digna, contraxit ἱστορικώτατος noſter Eruditione ampla & profundâ inſignis *Joh. Jac. Hottingerus* S. Th. P. *Hiſtor.* Eccleſiaſt. Helvet. vernaculo Idiomate editæ, Lib. v. p. 477. &c. ad Ann. 1481.

Sarnæ in muris paſſim vidi *Lapidem* illum *Frumentalem*, quem fuſius deſcripſi in Specim. *Lithogr. Helvet.* p. 30. ſub titulo: *Lentes lapideæ ſtriatæ, utrinque convexæ, vitreis figurâ ſimiles, in maſſa lapidea vario ſub ſchemate conſpicuæ.*

Lacus Sarnenſis trajectus *Sarnâ Giſswilam* uſque eſt 2½. horar.

Giſswilæ, *Giſsweil*, Pago adjacet *Lacus* vel Lacuna potiùs, *Giſswilanus*, *Giſsweiler See.*

Giſswilâ aſcenditur per acclivia ad pagulum *Keiſerſtul*, cui adjacet *Lacus Lungeranus*, *Lungern See.*

Pagus Lungern. Hunc horæ ſpatio trajecimus, pernoctaturi in Pago *Lungern*, Subſylvaniæ ultimo, ubi veſperi appulimus horâ 6. ab Imbre lapſo benè madidi.

Fuit Barometri altitudo 25″. 3‴. Tiguri lapſa quoque fuit veſperi pluvia 1½. lin. & per noctem ſecutam largior 4¾‴. continuavit quoque per noctem in Pago Lungern Pluvia.

In Tabula Mariottiana reſpondent Altitudini Mercurii ſupra Mare.

	dig.	lin.	toiſ.	ped.
In Stansſtadt . . .	26.	1½.	245.	1.
Sarnæ . . .	26.	2.	239.	1.
Differ. inter Sarnen & Stansſtad			6.	0.

In

	dig.	lin.	toiſ.	ped.
In Lungern	25.	3.	365.	1.
Tiguri	26.	5.	205.	4.
Differ. inter Tigurum & Lungern			159.	3.
Differ. inter Lungern & Stansſtad			120.	0.

In Tabula Caſſiniana.

	dig.	lin.	toiſ.	ped.
In Stansſtad	26.	$1\frac{1}{2}$.	269.	$\frac{1}{2}$.
Sarnæ	26.	2.	262.	1.
Differ. inter Sarnen & Stansſtad			6.	$5\frac{1}{2}$.
In Lungern	25.	3.	423.	3.
Tiguri	26.	5.	221.	4.
Differ. inter Tig. & Lungern			201.	5.
Differ. inter Lungern & Stansſtad			154	$2\frac{1}{2}$.

Omnia hæc ſalvo errore Experimenti & calculi ipſius. Cœlum quippe admodum fuit inconſtans, ut ei minus fidere queam.

Die 28. Jun. h. 6. mat. cœlo inconſtanti pluvioſo fuit Mercurii altitudo 25. $2\frac{1}{2}$. Tiguri h. 8. cœlo quoque dubio 26 5. ubi forte non attendenda venit dimidia lineæ differentia inter hodie & heri, quandoquidem Barometrum noſtrum Lungeranum facile potuit ſubſediſſe per noctem $\frac{1}{2}$ lin.

Lungerâ poſtquam diſceſſimus, aſcendimus ſenſim Montem *Brünig*, Subſylvanis atque Bernenſibus conterminum, ubi fuit Mercurii altitudo 24. 4. quibus reſpondent *Mons Brünig.*

In Tab. Mariott.		In Tab. Caſſin.	
toiſ.	ped.	toiſ. ped. ſupra Mare.	
495.	5.	605.	10.

Collatis his menſuris cum altitudine

Lungeranâ ſuppoſitâ		25.	3.
365.	1.	423.	3.
& Tigurina		26.	5.
205.	4.	221.	4.
manent			
130.	4.	177.	3.

pro differentia inter Pagum Lungern, & Montis Brünig eam ſummitatem, quæ tranſitur,

&

&

290. 1. | 383. 2.

pro differ. inter Montis Brünig ſupremum tranſitum & Tigurum,

nec non

159. 3. | 205. 5.

pro altitudine differentiali inter Lungern Pagum & Tigurum, conferenda cum ſupra ſcripta.

Ex Monte Brünig deſcendimus porrò ad Pagum ditionis Bernenſis, *Brientium, Brientz,* per declivitatem *Ruſiberg.*

Pagus Brientium. Brientii h. 11. fuit Merc. Alt. 25. 10. cœlo adhuc inconſtanti. Lungerâ Brientium æſtimatur via 3. hor. ad 4. Brientianæ altitudini Barometr. reſpondent

In Tab. Mariott.	Caſſin.
284. 3.	318. 3.
Collata cum Lungeranâ	
365. 1.	423. 3.
& Tigurina	
205. 4.	221. 4.
dat	
80. 4.	105. 0.

pro differentia inter Lungeram & Brientium, quibus ſcil. hexempedis, pedibuſque altior eſt Lacus Lungeranus Brientiano,

&

80. 5. | 96. 5.

pro differentia inter Brientium vel Brientianum Lacum, & Muſeum meum Tigurinum, quibus ſcilicet Brientianus Lacu altior eſt meo Muſeo.

item

159. 3. | 201. 5.

pro differ. inter Lungeram altiorem & Tigurum depreſſius.

Oppidum Underſeen. Hoc die *Lacu Brientiano* ulterius vecti venimus *ſub Lacum, Underſeen,* quod oppidum Arolæ, quæ Brientianum inter & Thunenſem Lacum jacet, mediæ jucundiſſimo ſitu locatum, certis ſuis privilegiis, Sculteto moderante, Ampliſſ. Senatus perſonam referente, gaudet.

Eſt

Eſt Brientianus, Brientius lacus, der Brienzer See, *Thunenſi* longè ſævior, quia editioribus montibus clauſus. *Lacus Brientianus.*

Capiuntur in hoc Lacu certi piſciculi delicati, *Brientzling* dicti, diſtinguuntur autem hi in *Majales* & *Auguſtales*, *Meyen* & *Augſten Brientzling*, quorum illi minores, hi majores. Fert idem Lacus Truttas prægrandes, quæ prope Cœnobium *Inter Lacum*, *Hinter Lachen* capiuntur verſus Autumnum 20. ad 30. libr.

Aſt memorabilis magis eſt captura Albularum cœrulearum, quas *Allböke* nuncupant, & *Bernam* uſque vehunt; videntur autem hi piſces iidem eſſe cum *Ferra Lacus Lemani Piſce deſcripto Rondelet. Geſner.* p. 35. *Lavareto perſimili Willougby Ichtyolog.* p. 185. In profundo Lacus Thunenſis degunt, aſt verſus æſtatem Anadromi fiunt, delectaturi, ut videtur, aquæ Glacialis, quæ ex Grindelia Valle in Brientianum Lacum effluit, frigore: Hinc Arolæ, quæ binos Lacus, Brientianum & Thunenſem jungit, ductu gregatim, & maximâ copiâ ad oppidum uſque *Sublacum*, *Vnterſeen* pergunt, ibi vero aggere interjecto ſiſtuntur, & naſſis, retibus, aliisve modis capiuntur, maximo Præfecti Inter Lacenſis, atque Sculteti Sublacenſis, qui piſcaturæ præcipuas partes habent, emolumento.

Horâ 6. veſpertina hujus diei fuit in oppido *Vnderſeen* Mercurii altitudo 25. 9. unâ ſic lineâ minor Brientianâ, cœlo dubio.

Hic loci Sculteti munere nunc fungitur Vir Nob. Dn. *Joh. Jacobus Groſs*, cujus Filius Dn. Capitaneus *Emanuel Groſs*, peculiari amicitiæ vinculo mihi eſt obſtrictus, confecit is Tabulam *Comitatus Neocaſtrenſis* ſpecialiſſimam.

Ex Manuali Sublacenſi excerpſi ſequentia circa ordinem Sultetorum.

A°. 1352. Scultetus fuit Dn. *Jacobus de Brandis.*
- 1370. Dn. *Thuring de Brandis, Baro de Weiſſenburg, & Dominus in Vnterſeen.*
- 1378. D. *Joh. de Rinckenberg*, cognomento dictus *der Pfaff.*
- 1386. Oppidum hoc Regimini *Bernenſi* fuit ſubjectum.
- 1401. Scultetus fuit Dn. *Johannes Henricus Jonas*, Civis Sublacenſis.

A°. 1490. D^n. *Simon Tendtenberg*, Civis Bernenſis.
- 1573. D. *Joh. Rodolfus Sager*, poſteà Venner & Scultetus Bernenſis.

Die 29. Jun. in Unterſeen fuit altitudo Mercurii 25. 8. cœlo dubio nubilo, quod ipſum dubios nos reddidit, num iter inſtitueremus *in Grindeliam Vallem*, *ad Glaciales Montes*, *Gletſcher* dictos, totâ ferè Helvetiâ celeberrimos. Pluviæ metu nos abſterruerunt Nivoſæ Alpes Grindelianæ Nubibus non planè, ut ſereno cœlo ex oppido Unterſeen conſpici ſolent, denudatæ, Nubes item circum *Neſſi*, *Nieſen*, montis Caput volitantes, idque quandoque obvelantes. Serenum quippe cœlum Sublacenſibus prænuntiat Neſſus pileatus in proverbium apud illos ductus: *Wann der Nieſen hat ein Hut*, *ſo iſt das Wetter gut*, de quo Prognoſtico alibi fuſius. Sed vicit, omnemque timorem diſcuſſit rarum naturæ Helveticæ ſpectaculum, quod abhinc non ultra 5. horas diſtet, videndi cupido. Accinximus igitur nos viæ, & per Pagos *Wintersweil* h. 1. *Zweylitſchinen* h. 1. *Grindelwald*, h. 2. vel 3.

Montes Glaciales Grindeliani. *Fig. II. III.* In Montium Glacialium generali, vel etiam Grindelianorum ſpeciali, Deſcriptione non ero nunc occupatus, quandoquidem hoc officio defunctus fui alibi, ſpeciatim in Itinere Alpino A°. 1705. Conf. *Fig.* II. III. quæ aliquot proſpectus ſiſtunt Montium Glacialium Grindelianorum, prout eos ad vivum delineavit inſignis Pictor Topiarius *Meyerus* Vitoduranus.

Mons Glacialis uterque, ſuperior & inferior, ex poſtica Montis *Mettenberg* parte ſe ſe jungunt, ibique corpus ingens horribile glaciale efformant, indèque per Montium interſtitia veluti crura ſe ſe dimittunt,ronteſque exiſtunt *Litſchinæ* utriuſque torrentis Glacialis, albæ, nigræque, (a limo, quem vehit, margaceo atro ita dictæ, ſicuti prior ab Aquis Glacialibus lacteis) quæ ſtatim infra Grindeliam Pagum unum Torrentem, *Litſchina* dictum conſtituunt.

Mettenberg mons dictus videtur quaſi medius. q. d. *Mittenberg* & *Eyger*, q. *Reiger*, quoniam Ardeæ inſtar præ reliquis vicinis montibus altius in Æthera ſurgit.

Supra montem Glacialem inferiorem mons Saxeus eſt foramine pertuſus, per quod tranſlucet ſol die 13. Febr. Ibi-



Prospectus Montium Glacialium Grindelianorum,
prout eos ad vivum delineavit inſignis Pictor Topiarius MEYERUS *Vitoduranus*.

Tur. 7

Ibidem locus eſt, ubi nulla unquam manet Nix, ne per hyemem ipſam quidem, caloris ſubterranei, fortè ab ipſis Glacialibus Montibus retenti ac concentrati, fortè Thermarum latentium indicium.

Aquæ Glaciales præ aliis abſterſivæ.

De aquis Glacialibus, earum natura, proprietatibus & viribus, alibi plura expoſui; hoc unicum nunc addo, illas albidiora reddere lintea præ fontanis & fluvialibus aliis; ſunt enim ob particulas Glaciales intermixtas magis abſterſivæ.

Fons temporarius Lugibach.

Haud longè a Glaciali Monte inferiori fuit ante paucos annos Fons temporarius *Lugibach*, q. d. *rivus mendax*, qui ſubinde cum impetu derepente profluit, & rurſum ſubito ſeſe abſcondit: Annumerandus fonti illi miro *Engſtlano*, cujus hiſtoriam alibi fuſiùs expoſui. Utriuſque αὐτόπτης Teſtis eſt Rev. D^n^. *Hallerus*, civis Tigurinus, Grindelianus paſtor, cujus Hypotheſis de hujuſmodi Fontium fluxu non contemnenda huc redit, latere alicubi in viſceribus terræ ſaxum planum ſupra Hypomochlium alterius ſaxi mobile, tunc demum ex altera parte ſe ſe demittens, ubi ab Aquæ ſufficienti quantitate fuit preſſa, & facilis ſimul apparet ratio, cur cum impetu & ſubito proruat, rurſumque Aquâ defluxâ, ſaxoque ſurſum lato meatus obſtruitur.

In diverſorio Grindeliæ Vallis fuit hodie die 29. Jun. h. 2. p. cœlo dubio Mercurii altitudo 24. 4. & die 30. h. 8. a. aëre ſereno calido, 24. 5. Tiguri fuit ejuſdem diei 29. toto decurſu cœlum inconſtans, nunc ſerenum, nunc tenui pluvia irroratum, altitudo Mercurii 26. 5½.

		Tab. Mariott.	Caſſin.
In Underſeen	25. 8. -	307. 2.	347. 4.
Grindelwald	24. 4. -	495. 5.	605. 0.
Tiguri	26. 5½. -	200. 0.	212. 3.
Differ. inter Underſeen & Tigurum		107. 2.	135. 1.
- - - inter Grindeliam & Tigurum		29. 5.	392. 3.
- - - inter Underſeen & Grindeliam		188. 3.	257. 2.

Die 30. Jun. ex Grindeliâ Valle reduces h. 8. mat. habuimus ibidem Mercurii altit. 24. 5.

Lacus Thunenſis. Inde diſcedentes *Lacui* nos commiſimus *Thunenſi*, *Thuner See*, qui 5. horas eſt longus, ½. latus, & in 140. Orgyiarum profunditate Anguillas habet ac Truttas, quæ hamis extrahi ſolent.

A littore Lacus ad oppidum *Faulenſee* trajecimus per trihorium; Hinc per pagum *Aeſchi*, altiori loco ſitum, venimus ſerâ veſperâ in Pagum *Mullenen*, qui 1½. horis à ſtatione in *Faulenſee* diſtat.

Die 1. Jul. h. 6. a. in Pago *Mullenen* fuit altitudo Mercurii 25. 7. cœlo per integrum diem conſtanter ſereno.

Vallis Frutingenſis. Peragravimus hinc *Vallem Frutingenſem*, *das Frutinger Thal*, tranſivimuſque per Kandelbruck 1. h. Kandelgrund 1. h. Kandelſtäg 1. h. ubi Mercurii altitudo, h. 11. 24. 2. ſumto alio Tubulo, quam quo hactenus uſi fuimus. Hinc porrò per *Gemmium* montem, multis in locis nive tectum, ad ſpeculam *Zur Dauben* 5. vel 6. hor. ubi veſperi fuit Merc. alt. 21. 3.

Tiguri toto hoc die cœlum fuit quoque ſerenum, & æſtus intenſus. Merc. altit. manè 26. 6. veſperi 26. 5.

Nunc pro computo		Tab. Mariott.	Caſſin.
Mullenen.	25. 7.	318. 5.	362. 3.
Kandelſtäg	24. 2.	520. 1.	640. 1.
Zur Dauben.	21. 3.	974. 5.	1363. 3.
Tiguri	26. 6.	194. 3.	208. 3.
Diff. inter Mullenen & Kandelſtäg.		201. 2.	277. 4.
Diff. inter Kandelſtäg & ſpeculam Zur Dauben.		454. 4.	723. 2.
Diff. inter Mullenen & Gemmii ſpeculam.		656. 0.	1001. 0.
Diſt. inter Tigurum & Gemmii ſpeculam.		780. 2.	1155. 0.

Quæ

Quæ nunc inventa eſt Gemmii montis altitudo ſupra Horizontem Maris juxta hypotheſin Mariotti 5849. pedd. Pariſ. & juxta Caſſinum 8181. hæc fuit A°. 1705. quo Experimentum eodem loco d. 16. Aug. inſtitui 5437. & 7486. Forſan differentia hæc dependet ex Tuborum, quos adhibui, varietate.

Complementum Laſſitudini hodiernæ dedit via anfractuoſa mirâ arte ſaxo inciſa ex ſpecula Gemmii montis deorſum ducens ad Thermas Leucenſes, deſcripta & æri inciſa in ὀρεσιφ alpino A°. 1705. *Thermæ Leucenſes.*

Die 2. Jul. *in Thermis Leucenſibus Valleſiæ, Leuker, Walliſſer Bad,* vulgo dictis, h. 10. a. Mercurii altitudo 23. 9.

Cui reſpondent		in Tabb. Mariott.	Caſſin.
In Thermis	23. 9.	581. 4.	731. 0.
Tiguri	26. 6½.	188. 5.	202. 0.
Differ.		392. 5.	529. 0.

Cœlum utrobique fuit dubium, in Thermis demittebant ſe Nubes infra cacumina Montium & veſperi erat altitudo 23. 8. lineâ minor. Tiguri ſubinde per decurſum diei pluit, veſperi verò pluvia cecidit denſior: 1. lin.

Die 3. Jul. in Thermis æquè ac Tiguri rurſum fuit eadem Aëris inconſtantia; mane pluvia denſa, Tiguri 1½. lin. veſperi cœlum nubilum dubium.

		Mariott.	Caſſin.
In Thermis h. 6. a. Merc. alt.	23. 8.	594. 0.	749. 4.
Tiguri	26. 7½.	177. 5.	189. 0.
In Thermis veſperi	23. 8½.		
Tiguri	26. 7¾.		
Differ.		416. 1.	560. 4.

Die 4. Jul. aëre per totum diem calido atque ſereno, Tiguri æque ac in Thermis,

		Mariott.	Caſſin.
In Thermis h. 5. a	23. 9.	581. 4.	731. 0
Tiguri	26. 8½.	166. 5.	176. 2.
Differ.		414. 5.	554. 4.

Differentia maxima differentialis altitudinis.

Tigurum inter & Thermas Leucenſes eſt juxta Mariottum


22. toiſ. 0. ped. juxta Caſſinum. 25. toiſ. 4. ped. rectificanda fortè per alias obſervationes aliis temporibus deſtinatas.

Eſt hodiernus dies deſtinatus diſceſſui ex Thermis, Itinerique per Valleſiam inferiorem inſtituendo. Fuêre Thermæ hæ præ multis aliis nobiliſſimæ Examini ſatis accurato ſubjectæ A°. 1705, & tunc quoque præſertim in Tomo III. *Schweitzer. Natur Geſchichten*, ſive *Relationum Hiſtorico-Naturalium Helveticarum* deſcripta. Nunc, ne ſicco pede nobile fluentum, nobile Naturæ productum, prætereamus, ſequentia inſuper adnotari velim, ad Hiſtoriam generalem Thermarum pertinentia.

Thermarum origo. Dudum eſt, ex quo Hypotheſes de Thermarum Origine variantes juxta invicem examinare, atque ſi pote conciliare conſtitui, ſed irrito ſemper ſucceſſu. Lucem tandem rei obſcuræ, in Terræ interioribus receſſibus obſtetricante Naturâ, productæ accendit ſitus conſideratio. Sunt pleræque ex Thermis Helveticis, Piperinæ certè, Badenſes, noſtræ nunc Leucenſes, in Bohemia Carolinæ, alibi fortè aliæ, in profundis Montium Vallibus, vel voraginibus locatæ, ubi terra inter prominentes partes, ſubtracto laqueari intermedio, ſubſedit, ita ut parvæ manſerint, vel nullæ, cavitates, omniaque interſtitia exactè fuerint à collapſâ utrinque Terra repleta. Hanc circumſtantiam ſi animo mecum perpendo, & inſuper ex variis Naturæ Phænomenis, mihi perſuadeo, eſſe in terræ viſceribus, quo intimiora ſunt, majorem æſtum, haud difficulter concipio ibi locorum, ubi Thermæ occurrunt, majorem imprimi caloris interni ſaxis terræve ſolidiori effectum, quàm alibi, ubi pori Terræ patentiores liberum calori concedunt tranſitum. Ab hac Saxorum infraterraneorum calefactione potiùs, quam ab effervescentia alcali cum acido deduci debere Thermarum calorem, confirmant ſpeciatim Thermæ Piperinæ in Comitatu Sarunetum, quæ ex Helveticis, imò forſan Europæis omnibus, ſolæ nihil ſulphuris, nihil Aluminis, nihil ferè aliorum Mineralium in Examine Chymico offerunt, ſed aliud nihil ſunt, quam Aqua ſubtilior fontana calefacta, vel ex Fratris conjectura, in ipſis Terræ cavitatibus deſtillata, guſtu omni atque odore deſtituta.

In


Leuck
Ullgraben
Dalo
Siders
Sider
Alt Sider
Gradetz
Rayin M
Sanetsch
Borne
Sitten
Gundes
Eben Gundes
Lisserna
Ardon
S Peter
Leitron
Schallion
Sasson
Schachan
Riso
Octodorum
Martinach
Burg
Octodurum
Vetus
S.Moritz
Agaunum


RHODANI
Progreſſus per
VALLESIAM.
Juxta
Obſervationes proprias factas in
Itinere Alpino
A JOANNE JACOBO SCHEUCHZERO
LUGD BAT
Petri vander Aa
BANGI THAL

In Thermis Leucianis deponit *Fons calidus*, dictus *der Warme Brunn*, juxta Balneum generale ſcaturiens in media platea, & præter uſum potatorium præcipuè lotioni vaſorum culinariorum inſerviens, item *Fons aureus*, *das guldene Brünnelin*, in Balneum commune effluens, arenam nigricantem, quæ igne fortiori calcinata nullam ferè ſubit mutationem, niſi quod reddatur albidior. Crocus verò *martialis* flavus, quem ſuperiores produnt ſcaturigines in pratis effluentes, obſcuriorem ſeu brunum induit colorem à calcinatione in Crucibulo.

Fons calidus.

Fons aureus.

Nunc iter noſtrum porrò proſequimur, *Leucam* primum, & porrò juxta Rhodani ductum *Sedunum* petituri. Proſequemur autem hoc iter tum Equis, tum pedibus, tum curribus, prout occaſio ſe feret, in ipſa Valleſia, ſed & oculis ὡς ἐν συνόψει, contemplabimur Rhodani progreſſum *Leucâ Agaunum* uſque, cum flexibus ſuis accuratè deſignatum in *Fig.* IV.

Fig. IV.

Leucâ Sideras venere Itineris comites à Septentrionali Rhodani latere per Pagum *Salges*, ego verò à Meridionali per campos, ſylvam, & colles arenoſos. Diſtant *Sideræ*, vicus elegans, à Leucâ circiter $2\frac{1}{2}$. horis, & tantundem ferè à *Sideris*, *Sedunum*, *Sitten*, quod fluvio, *Sittæ* adjacet. Huc venimus veſperi, habuimuſque Mercurii altitudinem h. 7. p. 26. 3. Aëris conſtitutio per totum diem fuit calida & ſerena. Tiguri eadem.

Sideræ, vicus.

		Mar.	Caſſin.
In Thermis Leucianis Merc. alt.	23. 9.	581. 4.	731. 0.
Tiguri	26. $8\frac{1}{2}$.	166. 5.	176. 2.
Seduni	26. 3.	228. 0.	248. 3.
Differ. Sedunum inter & Tigurum.		61. 1.	72. 2.
Differ. Sedunum inter & Thermas Leucenſes.		353. 4.	482. 3.

Hic Seduni humaniſſimè fui exceptus à Reverendiſſimo Principe & Epiſcopo *Franciſco Joſepho à Super Saxo*, viro antiquitate Generis, dignitatis ſplendore, humanitate & Eruditione Illuſtri, 44. annorum, pilis jam cano.

Die

Die 5 Jul. h. 8. mat. fuit Mercurii altitudo Seduni 26. 2½. Tiguri h. 7. 26 8. eadem adeo differentia utrobique, quæ heri coeli conſtitutio utrobique ſerena, calor intenſus, veſperi h. 5. p. Seduni 26. 1½. Tiguri 26. 7½.

Seduni Antiquitatis Monumenta. In urbe hac antiquiſſima plura ſuperſunt antiquitatis monumenta in Muris, vel Numis, qui per totam Valleſiam ſunt perrari ; vel Inſcriptionibus.

Ad templi D. Virginis Portam in Muro extat vetuſti Marmoris flavi fragmentum, cum hac Inſcriptione:

.. P CAESARIS DIVI. I.
.. V GVSTO COS XI.
.. RIBVNICIA POTESTATE XVI.
.. . . PATRIAE
.. . . ICI MAXIMO
.. . . . ITAS SEDVNORVM.
.. . . . . ATRONO.

Prorſus uti jam habet *Stumpf. Chorogr. Helv.* Lib. XI. c. 12. cum hac differentia, quod PATRIAE præfigat τὸ PATRI, quod ego obliteratum offendi.

Hanc ita legit, & interpretatur *Simler de Valleſ.* p. 24. b.

ImP. CAESARI DIVI Iuli f
aVGVSTO COS. XI. imp. XIII
tRIBVNICIA POTESTATE XVI.
PATRI PATRIAE
pontifICI MAXIMO
civITAS SEDVNORVM
pATRONO.

Guilliman, Rer. Helv. IV. p. 440.

IMP.



A. Chateau Tourbillon.
B. Chateau Valeria avec l'Egliſe St Catherine.
C. Chateau de la Majorie et Reſidence de l'Eveque.
D. Prevoté.

E. Maiſon de Ville.
F. Violle Reſidence de l'Eveque.
G. Egliſe Cathedrale de N. Dame.
H. St Theodore.
I. Egliſe de tous les Saints.
K. St Pierre.

La Ville
SITTEN, ou
dans le Pais d



…le de
… ou *SION*.
…s de Valais.

L. St. Trinité ruiné.
M. l'Ecole.
N. Lieu ou l'on tire a l'Arbalete.
O. Les Capucins.
P. Hospital.
Q. Porte de Leucker.

R. Porte de Sanciy.
S. Porte de Gundis.
T. Porte de Rhône.
V. Porte petite.
W. Tour du Chien.

Se
ti
M
ta



IMP. CAES. DIVI IVL. F.
AVGVSTO COS XI IMP. XIIII.
TRIBVNICIA POTEST XVI.
PATRI PATRIAE
PONTIFICI MAXIMO
CIVITAS SEDVNORVM
PATRONO.

In curia ſequens legitur Inſcriptio, aliis non memorata.

DEVOTIONE VIGENS
AVGVSTVS PONTIVS AEDIS A xω
RESTITVIT PRAETOR
LONGE PRAESTANTIVS ILLIS
NOVAE PRISCAE STETERANT
TALIS RESPVBLICA QVERE
D. N. GRATIANO AVG. IIIII. TMIR. COS.
poNTIVS ASCI oooTVS VP. PI.

De hac inſcriptione ſequentia ad me perſcripſit Ill. *Cuperus.* Lit. 12. Oct. 1709.

Vellem equidem cognoſcere, an hæc Inſcriptio rectè excepta ſit, Gratiano Auguſto Conſule IIIII. ſive Quintum. Literæ TMIR videntur alterum conſulem deſignare, ſed is fuit Imperator Theodoſius, *cui nequaquam illæ conveniunt, neque etiam puto* Merobaudem *admitti poſſe, qui dignitatem illam geſſit cum Gratiano IV. conſule A. C.* 377; *Notandumque imprimis, privatum* Pontium *appellari* Auguſtum, & *eundem dici, niſi me planè fallo, Prætorem ædis, quanquam, ut verum fatear, ex carmine tam incondito nihil certi deduci poſſit. Apud* Gruterum *etiam* 5. 881. *invenio ſummi illud faſtigii nomen dari privato. D M SEIAE SYNETIAE M. AVGVSTVS HYPATVS.* & *hodie idem fieri Exempla nos docent.*

Supra Sedunum haud longè à Rhodani fluento offendi *Alabaſtritam* ſeu *gypſum* candidum in Rupibus integris.

Saxa ab ardore Solis veluti calcinata, quibus inſidet pulvis *candidus*, vel cinereus, vel ochraceus, paſſim etiam *ſalſus*, guſtu nitroſus.

Die 6. Jul. fuit h. 4. a. Mercurii altitudo 26. 2½. Tiguri per totum diem 26. 6½. ut differentia nunc ſit 4. linearum, quæ ſupra fuit 5½. & 6. Dies utrobique ſerenus. Veſperi horâ 5. habuimus Barometri altitudinem 26. 3.

		Mar.	Caſſin.
Igitur Seduni	26. 2½.	233. 2.	255. 2.
Tiguri	26. 6½.	188. 4.	202. 0.
Martiniaci	26. 3.	228. 0.	248. 3.
Diff. inter Sedunum & Tigurum		44. 4.	53. 2.
Diff. inter Tigurum & Martiniacum		39. 2.	46. 3.
Diff. inter Sedunum & Martiniacum		5. 2.	6. 5.

Tranſivimus autem per *Contegium*, *Gundes*, primum Veragrorum Pagum, S. Petri Pontem, cujus reparatio Epiſcopo incumbit, Pagum *Ridun*, & *Saſſon*.

Martiniacum. *Martiniaci* fruſtrà inquiſivimus in Inſcriptiones Romanas, quarum meminit *Simler. Valleſ.* p. 30. ſunt eæ deperditæ, dubio procul occaſione reædificati Templi, atque ob ſacrificulorum negligentiam. Ita *Octodoro veterum*, quod *Martiniacum* noſtrum eſt, nil amplius reſtat, quam rudera arcis in præcipiti petra poſitæ fortiſſimæ.

In hac vicinia ſunt *les Eaux de Sierre* coquendis leguminibus ineptæ.

Aqua Sulphurea.

Vinum, quod hîc creſcit, præcellens multis in locis ſulphur redolet ob venas, ut putant, ſulphuris latentes.

Die 7. Jul. fuit Martiniaci h. 7. a. Merc. altit. 26. 1'. Tiguri, h. 9. a. 26. 4½. Ut differentia ſit 3, quæ heri fuit 3½. linear. Aëris conſtitutio utrobique eadem. Mane fuit cœlum ſereniſſimum ſimul & calidiſſimum: veſperi h. 5. & 7. tonârunt & fulgu-

fulgurârunt Nubes; effuſus imber, continuavit pluvia per totam noctem 8. linear. *Bactiaci*, ubi pernoctavimus, hora. 6. p. habuimus quoque pluviam, quæ continuavit per noctem.

Bihorio ferè infra Martiniacum ad lævam viſitur Cataracta pulcherrima, latè ſpargens pulverem, ut ita loquar, Aquarum. In hac quoniam cœlo gaviſi fuimus ſereno, & Sole lucente, oculis noſtris uſurpavimus integræ iridis circularis jucundiſſimum ſpectaculum, de quo plura memoravi in ὀρεσιφ. Ann. 1707. circumferentia iridis tranſit ſuper ipſos calceos. *Cataracta pulcherrima.*

Abhinc ad Tarnadæ uſque oppidulum, Agaunum aliàs dictum, & S. Mauritii Oppidum anguſtiori alveo ſtringitur Rhodanus, rupibus clauſus, ut *Agauni* ponte unico è lapidibus fornicato, & portâ unicâ integra claudi poſſit Valleſia. *Agaunum. S. Mauritii Oppidum.*

Hic exſtitere olim plures inſcriptiones antiquæ, ſed periere plures occaſione incendii fatalis A°. 1692, quo cum pleriſque oppiduli ædibus Abbatia antiquiſſima cum plurimis monumentis igne fuit conſumta.

Obtutui noſtro ſe ſe ſtitere Inſcriptiones ſequentes.

In Muro Cœmiterii.

P CAESA
Ɔ DIVI. P. AVGVST. C
OS. XI. TRIBVN. POTEST
ONTIFI - - - - MAX
NANT' - - - - S PATRON

A Nantuatibus Populis, ut videtur, fuit erectum hoc Monumentum in Imperatoris honorem, non alibi apud ſcriptores memoratum.

Supra Portam Turris.

D. M.
ItIN CIVI Re
CVND ' ONIN
bvs HONORI IIş
NOiO
SONIA. M. R
IVbooo --- O
VON - MARITV.

Eſt hæc quoque inter non deſcriptas. Alia

M. PANSIO COR
AVL FILIO SEVERO
II VIRO FLAMINI
IVLIA DECVMINA
MARITO

Hanc ita legit *Simler Valleſ.* 31. b. & *Stumpf. Chorogr. Helv.* L. XL. cap. 21.

X PANSIO COR
.. - FILIO SEVERO
II VIR. FLAMINI
IVLIA DECVMINA
MARITO

& *Plantin. Helvet. Novant.* p. 325. ex *Guillim.* p. 86.

VI. PANSIO COR
V FILIO SEVERO
II VIRO FLAMINI
IVLIA DECVMINA
MARITO

Bactiaci	h. 6. p.		Merc. altit.	26. 1½.
Tiguri	h. 4. p.			26. 4.
			Mariott.	Caſſin.
Bactiaci		26. 1½.	244. 3.	269. 0.
Tiguri		26. 4.	216. 5.	235. 0.
Differ.			27. 4.	34. 0.

Bactiaci & Martiniaci eadem eſt altitudo.

Die

Die 8. Jul.

			Matiott.	Caſſin.
Bactiaci	h. 7. a	26. 3½.	222. 2.	241. 4.
Tiguri	h. 10. a	26. 5.	205. 4.	221. 4.
Differ.			26. 4.	20. 0.

Cœlum utrobique hodie inconſtans, nunc nubilum, nunc pluvium.

Bactiacum, Bek, haud ignobilis in Præfectura Aquilegiæ Ditionis Bernenſis Pagus, hora circiter à Rhodani Ponte, qui Valleſiam à Bernenſi territorio diſterminat, diſtans, amœniſſimo loco ſitus, cui vicina Caſtanearum ſylva inſigni eſt, ut commodo, ita ornamento. Celebrem hunc Pagum reddunt varia Naturæ producta, in περιχώρῳ reperiunda. *Bactiacum, Pagus.*

Bactiacum præterfluit Torrens alpinus Avanſon, eodem monte cum *Liſernâ* Valleſiæ oriundus, juxta illud Bactiacorum vulgatum,

La Liſerne & l'Avanſon
Viennent d'une meſme maiſon.

In hunc torrentem *Avanſon* fluit ſupra Bactiacum alius *Griene* juxta montem Salinarum decurrens.

In Monte *d'Anziade*, vel *Anviade*, vena latet *Carbonum foſſilium.* In Monte *Morele* Vena *plumbi* A ſubli *au deſſus de Bevieux*, in duriſſimis Petris ſparſum reperitur, indeque non ſine labore multo excutitur *Sulphur vivum*, *ſeu virgineum*, *citrinum ſinceriſſimum*, *pellucidum*. *Wagnero* memoratum *in Hiſt. Nat. Helv.* 334.

Viſitavimus optima cum ſatisfactione *Salis* communis fodinas, *au fondement*, *au deſſus de Tenala*, ubi Aquæ ſalſæ fontes ſatis copioſi, qui quartæ Territorii Bernenſis parti ſuffenum ſal largiuntur: Scaturigines monſtrantur duæ, vetus exoleta, & nova, quæ nunc in optimo eſt ſtatu. Derivatur inde Aqua pretioſa partim à *Bevieux*, partim a *Roche*, ubi excoquitur: Derivatio hæc fit per 10. vel 12000, ut audivimus, canales ligneos, non ſine ingenti ſumtuum impendio per trihorii ferè longitudinem, ad Cartinas, *in die Pfannen*, ubi excoquitur. Antequam verò in ipſas cortinas, quæ ferreæ *Aquæ ſalſæ Fontes.*

 ſunt,

ſunt, admittitur, depuratur in alveo prælongo ducentorum forte pedum, decem circiter lato, tecto columnis inſiſtente à pluviæ miſcela munito: hic ordine ſuſpenduntur faſciculi ſtraminum octo circiter pedum, quibus aqua ſalſa ex alveo aſperſa affigit particulas terreas, quæ ſenſim ad digiti ferè craſſitiem incruſtant ſtramineos culmos, atque tunc rejiciuntur, ut novis faſciculis ſtramineis ſuſpendendis locum cedant; adnotari meretur horum Stalactitarum vel Stiriarum artefactarum non ex terna Solum cylindrica figura, ita ſæpe concreta, ut Maſſa Stelechiten, vel Stalactiten ramoſum referat, ſed præprimis ſtructura interna veluti radiata, radiis undique à peripheria ad Centrum convergentibus inſignita, cui geneſi anſam dedit æqualis undique partium terrearum ad ſtramen adhæſio; Materia harum Stiriarum eſt coloris terrei ferè vel flaveſcentis, ſubſtantiæ ſpecularis, ut ipſorum *Stalactitarum;* Lucem accendit, ut ſpero, hæc obſervatio, geneſi ipſorum Stalactitarum, *Pyritarum* ænei coloris globoſorum alpinorum, ferreorum item Cylindricorum, atque *Belemnitarum*, quæ corpora omnia Strias habent à Peripheria ad Centrum convergentes. Aqua ſalſa hac ratione à partibus terreis ſeparata deducitur dein per canales in Cortinas, ut coquatur. In Cortinarum fundo affigit ſeſe *cruſta* denſior, ſalino terrea, Tofi ad inſtar fontalis vel Thermalis, quæ certis temporibus decutitur, ne cocturæ ſint impedimento. In ipſis cuniculis è ſaxo vivo magno labore exciſis, per quos aqua ſalſa è montis viſceribus effluit, obſervavimus ſequentia.


Saxa Salinis particulis referta. *Saxa*, ipſa ſalinis particulis referta, quæ indicio ſunt manifeſto, eſſe ſal hoc Bactiacum foſſile, ab aquâ fontanâ ſolutum, rurſumve arte concretum.

Aqua Sulphurea. *Aqua Sulphurea*, ex cuniculo inferiori, *Aus der underen Stolle*, pro Aëris ſufflaminatione ante paucos Annos perfoſſo, profluens, ſulphurei odoris, quæ etiam ſedimentum deponit ſulphureum.

Venæ Sulphuris. Venæ *Sulphuris* paſſim ſpecie Aquæ luteæ vel rubro luteæ ex ſaxo profluentes.

Terræ candidæ venæ. *Terræ candidæ* venæ, quæ pariter particulis ſulphureis eſt prægnans, & paſſim Saxorum ipſorum fiſſuras explet.

Extra



EXQUISITA SALINARUM BERNENSIUM DELINEATIO.

A. *Cuniculus primus, ad quem prima Salinarum Scaturigo inventa.*
B. *Fodinæ quarum progreſsus non fuit continuatus.*
C. *Verus cuniculus et aditus ad Scaturiginem.*
D. *Fodinæ egreſsus.*
E. *Fontes salsi.*
F. *Scala sub Aqua* GRIONNE *dicta protensa.*

In PANEY: A. *Fodinæ introitum.* B. *Fontes salsi.* C. *Scala per quam reditur ad exitum Fodinæ.*

Extra cuniculum inferiorem viſuntur paſſim venæ *Alabaſtritæ* candidi, cujus geneſis debetur ipſi maſſæ lutoſæ candidæ modo memoratæ: hanc dum domum reportavi & exſiccavi, mirum in modum induratam reperi, ut poliri fermè potuerit, Gypſi ad inſtar artificialis. *Venæ Alabaſtritæ.*

Au Pané, Panné au deſſus d'Olon, alia eſt ſcaturigo Aquæ ſalſæ, ſed deſcriptâ hactenus longè minor. Exquiſitam Salinarum Bernenſium Delineationem ſiſto in *Fig.* V. cum locorum Topographia, cujus Tabulæ hæc explicatio eſt. A. Cuniculus primus, ad quem prima Salinarum Scaturigo inventa. B. Fodinæ, quarum progreſſus non fuit continuatus. C. Verus Cuniculus & aditus ad Scaturiginem. D. Fodinæ egreſſus. E. Fontes ſalſi. F. Scala ſub Aqua *Grionne* dicta protenſa. In *Paney* vero A. notat Fodinæ introitum. B. Fontes ſalſos. C. Scala, per quam reditur ad exitum Fodinæ. *Fig. V.*

Mercurii altitudo.

			Mar.	Caſſin.
Bactiaci	h. 7. a	26. 3½.	222. 2.	241. 4.
Au fondement.	h. 10.	25. 0.	400. 2.	471. 0.
Ad cuniculi inferioris exitum.	h. 11.	25. 5.	342. 0.	392. 4.
Differ. inter Bactiacum & Fodinæ ſummum			119. 4.	151. 0
Altitudo fodinæ perpendic.			58. 2.	78. 2.

Hiſtoriam Chronologicam harum Salinarum, & caſum ſingularem ambuſtorum ex accenſis halitibus ſulphureis foſſorum, pandunt literæ Rev. Dn. *Abrah. Champrenaud*, Biennenſis ad affinem ſuum Rodolfum Neuhaus, Med. D. etiam Biennenſem, ſcriptæ Ollonii d. 11. Mart. 1701. quas inſerui Hydrogr. Helv. p. 300. ubi plura alia de his Salinis. Bactiaci retulit mihi Dn. Le Vade, Chirurgus loci in arte ſua & Anatomicâ expertus, origine Viviacenſis caſum ſatis ſingularem Joh. Jacobi Sutoris Bactiaci, qui empyematicus ad extremam redactus vitæ aciem tractatus fuit paracentheſi duplici, Thoracis una ſupra ultimam coſtam, altera Abdominis infra eam, unde extraxit ad 20. menſuras communes Bernenſes, ſeptem autem

tem circiter menſium ſpatio in vitæ omni ſpe per injectiones balſamicas, interna vulneraria exhibita, rediit æger ad ſanitatem, quâ gaudentem ipſum allocutus fui, & ipſas aperturæ duplicis cicatrices manibus tractavi. Mirum, nullam durante morbo adfuiſſe Tuſſim, nullam dyſpnœam: Judicavit Chirurgus ex principiis Anatomicis, haud malè meo judicio, ſedem morbi fuiſſe partem ipſam carnoſam circumferentiæ diaphragmatis, ex qua aditus patere potuit ad utramque inciſionem in Thorace & abdomine factam, ad quam Operatorem duxit ipſa turgens natura.


Neapolis. Diei 9. Jul. bono manè attigimus *Neapolim*, *Villeneufve*, *Penne locus*, vel *Penni lucus*, olim dictam, opidum ſummo Lacu Genevenſi adſitum. Hic ad ripam Lacus, in lapide antiquo legitur.

VICTORI
AVG
NnTIO GEN. MA
TVLLIA
- - - IT - - - -

Hanc ita habet *Plantin. Helv. Nov. Ant.* 320. deſcriptam à D. *Hermanno.*

VICTORIA
AVG
NITIO GENNÆ
TVLLIA
NTI.
- - - - - -

Hic


LAUSANNE,
Ville de la Suiſſe.
A. La grande Egliſe de Nôtre Dame.
B. L'Egliſe St. François.
C. Le Château.
D. Le College.
E. Le Vieux Evêché.
F. La Maiſon de Ville.
G. l'Arſenal.
H. l'Hôpital.
I. l'Hôpital St. Roch.

Hîc commiſimus nos *Lacui Lauſannenſi* ſeu *Genevenſi*, *Lemannus* aliàs dicto, *Viviſcum*, *Vevay* petituri: Vico huic olim celebri, oppido nunc eleganti, à parte ſuperiori ad ripam Lacus adjacent Caſtelli antiqui fortis, & ſaxis inædificati rudera. Inde ab hoc Caſtello, *Tour de Pyl* dicto, protendunt ſe ſcopuli in ipſum lacum, haud exiguo navium, ventis agitatarum huc appellentium, periculo, è quo & nos per DEI gratiam felices evaſimus. Intumuit valdè vento vehementi fluctibus ſpumoſis agitatum hoc Mare Germanicum, ut in ipſis littoribus, (portus enim hic nulli, magno Navigantium præjudicio,) non ſecuræ ſteterint naves. Nautarum noſtrorum propoſitum fuit ſcopulos præternavigare, & ſuper furentes fluctus porro Viviſcum tendere, ſed DEO aliter fuit viſum, pro ſalute noſtra; ea fuit fluctuum magnitudo, is impetus, quem ἀγαθῇ τύχῃ ſuperare non potuere Nautæ, quivè ipſam naviculam noſtram vix tribus à ſcopulo extremo paſſibus projecit transverſim verſus ripam. Quod ſi ineptorum Nautarum is fuiſſet conatus, qui ſcopulum extremum navim prætervexiſſet, nulla tunc ſuperfuiſſet Navim ſalvandi ſpes, quæ ſcopulis alliſa dubio procul in mille diſrupta fuiſſet fragmenta. *Lacus Lemannus.*

Juxta Vibiſcum in Lacum defluit torrens rapidus *la Vevaiſe* dictus, qui ex Montibus Bernenſibus & Friburgenſibus ſecum ducit ſaxa, arenas, truncos, magno hortorum, vinearum pratorumque damno; cui prævenire tentat Ampliſſ. Senatus Bernenſis alveo magnis hactenus ſumtibus continuato, de cujus proſpero vel ſiniſtro eventu teſtabitur poſteritas. Fuit hodie cœlum pluvioſum & inquietum, Tiguri quoque fortiter ſpirabat, quem nos quoque experti fuimus SW. & pluvia lapſa 2. lin.

D. 10. Jul. Iter terrâ proſecuti *Lauſannam* Urbem antiquitate, Epiſcopatu, & Gymnaſio Academiæ æmulo celebrem. *Lauſanna Urbs.* Cœlo inconſtanti habuimus Mercurii alt. h. 6. p. 26. 1½. & Tiguri h. 4. p. ſimili Aëris conſtitutione 26. 6.

		Mar.	Caſſin.
Lauſanna	26. 1½.	244. 3.	269. 0.
Tigurum	26. 6.	194. 3.	203. 3.
Diff. inter Tigurum & Lauſannam		50. 0.	65. 3.

In Choro Templi Cathedralis legimus ſequentem Inſcriptionem, Marmori nigro inſculptam.

CHORVM HVNC
VETVSTATIS SITV OBRVTVM RESTAVRARI AC CELEBRANDIS PROMOTIONVM
SOLENNIBVS CONSECRARI CVRAVIT
VIR AMPLISSIMVS D. DANIEL IMHOF LAVSANNENSIS TOPARCHA
MVSARVMQVE FAVTOR MAGNIFICVS
CVI PERENNE HOC GRATI ANIMI
MONVMENTVM MERITO POSVIT
ACADEMIA LAVSANNENSIS, ANNO QVO
RestItvIt MagnI hæC aVLaeI rVDera VIrtVs.

☞ Die 11. h. 7. a. rurſus fuit Merc. altitudo Lauſannæ 26. 1½. Tiguri 26. 5'. h. 9. a. cœlum utrobique per totum diem inconſtans ſubinde pluvioſum, ut Tiguri ceciderint 2. lin.

Hodie per *Eſchalenium, Eſchalens*, Præfecturam Bernenſibus & Friburgenſibus communem trajectu . . . . horarum venimus *Ebrodunum, Yverdon*, ubi h. 6. p. fuit Mercurii altit. 26. 1.

Ebrodunum.

		Mar.	Caſſin.
Lauſanna	26. 1½.	244. 3.	269. 0.
Ebrodunum	26. 1.	250. 3.	276. 0.
Tigurum h. 3. p.	26. 6.	194. 3.	203. 3.
Differ. inter Lauſannam & Tigurum eadem quæ ſupra.			
Differ. inter Lauſannam & Ebrodunum		6. 0.	7. 0.

Juxta quem calculum Lacus Lemannus, & Neocaſtrenſis, cui Ebrodunum adjacet, ejuſdem prope erunt Horizontis.

Pagus Aſcens.

In Pago *Aſcens*, Præfecturæ *Eſcaleniæ* ad ædis ruſticæ fores conſpexi ſaxum ſubſphæricum elegans, viridis coloris, quod ratione polituræ, & duritiei, ad Jaſpidem potiùs quàm Mar-

Marmora referendum mihi videbatur. Quo autem caſu in hanc viciniam, ubi repertum fuit, devenerit, inquirere haud potui. Videtur antiquis temporibus aliunde in has oras aſportatum.

Die 12. Jul. fuit h. 5. mat. Merc. altitudo 26. 1½. Tiguri, h. 9. 26. 7. differentia adeò 6. lin. quæ heri fuit 5½.

In oppido ante ædes D^n. Bourgeois Secretarii legitur in columna antiqua ſequens Inſcriptio.

IMP. CAES.
L. SEPT. SEVERO.
RT. AVG. ARABV.
PARTHIC. MAX. P. P.
IMP. CAES. M. AV. I.
ANTONINO. POAI.
COS - - - - - -
AV N C E.

Hanc ita legit *Plantin. Helv.* 252. ipſe *αὐτόπτης*.

IMP. CAES.
L. SEPT. SEVERO
PERT. AVG. ARAB.
PAR. H. G. MAX. P. P.
IMP. CAES. M. AVR.
- - - NON NO. POTE
COS - - - - - - -
- - - - - - -

Neocaſtrum. Hoc diei Lacu Neocaſtrenſi provecti venimus Neocaſtrum, ubi h. 3. p. m. Mercurii altitudo fuit 26. 5.


		Igitur Mar.	Caſſin.
Neocaſtri	26. 5.	205. 4.	221. 4.
Tiguri	26. 7.	183. 2.	195. 3.
Differ. inter Tigurum & Neocaſtrum.		22. 2.	26. 1.

Cui tamen minus fidere poſſum, quia Neocaſtrum in eodem cum Ebroduno Horizonte; & cœlum valde fuit inconſtans.

De Comitatus Neocaſtrenſis productis variis Mineralibus hîc diſſerere fuſiùs vetat loci anguſtia: Reſervabitur id in aliam occaſionem. Expoſui jam in peculiari tractatu Academiæ Regiæ Scientiarum Pruſſicæ tranſmiſſo *Reliquias diluvii in Comitatu Neocaſtrenſi* reperiundas, quæ vulgò lapidum figuratorum nomine veniunt, plura inſerui *Meteorologiæ Helveticæ*.

Die 13. Jul. h. 5. a. fuit Neocaſtri Merc. altitudo rurſum 26. 5. Tiguri 26. 6½. diff. 1½. lin. quæ heri fuit 2. cœlum utrobique fuit inconſtans.

Lacus Neocaſtrenſis. In Lacu Neocaſtrenſi conſpiciuntur ſæpè ad veſperam tractus ſemicirculares, paralleli, quales heri quoque vidi ex Arce, ubi reſidere ſolent Gubernatores, in hunc ferè modum:



coloris quadam variatione à reliquo Lacu diſtincti, quorum ratio forſan petenda venit ex fluxu Fontium in imo Lacu ſcaturientium, ab influxu Sionis fluvii Lacum influentis determinato. Hoc die trajecimus flante SW. qui Tiguri quoque dominabatur, *Lacum Neocaſtrenſem*, hinc *Brojam*, quæ canalis inſtar *Neocaſtrenſem Moratenſi* jungit, porrò *Moratenſem*, qui vento forti, ſed quidem ſecundo fuit agitatus. Appulimus autem Moratum. Moratum.

Brojæ fluxum acus Magneticæ ſubſidio delineavi.

In Templi Parochialis S. Mauritii extra urbem *Moratum* pariete legitur ſequens inſcriptio.

D. M.

D. M.
T. NIGRI
SATVRNIN
SATVRNINA
GANNICA
LIBERTA ET
CONIVNX
F C.

Quam iiſdem verbis exprimunt *Stumpf. Chor. Helv.* L. VIII. c. 18. & *Plantin. Helv.* p. 267.

Alia ibidem,

D. M.
HIBERNIAL
VALENTINA

Cujus meminit *Stumpf.* l. c. *Plant.* 268. penè eſt deleta, ut vix τὸ EN diſtinctè legi poſſit.

Morato hora diſtat pagulus *Villaria*, *Villar-le Moine*, *Munchweiler*, ubi multæ extant inſcriptiones Romanæ. In marmore ſubflavo ad angulum ædis ruſticæ legitur perbella hæc, Aventici antiqui contra Novatores, qui Coloniam hanc in Burgundiam transferre tentant, inſigne argumentum, quod ipſi Aventicenſes in Deæ Aventiæ gloriam erexêre, & certè vix erit ex loco illo obſcuro, ad Lacum *Antre*, Burgundici Comitatus, huc translatum. *Villaria.*

DEAE AVENT
T. TERTIVS
SEVERVS
CVR COLON
IDEMQVE ALL
CVI INCOLAE
AVENTICENS
PRIM OMNIVM
OB EIVS ERGA
SE MERITA
TABVLAM ARG.
P.... L. POSVER
DONVM D. S. P.
EX H-S V. L. D.

Sff 3 Hanc

Hanc ita habet *Stumpf. Chor. Helv.* L. VIII. c. 18.

DEAE AVENT
T. TERTIVS
SEVERVS
CVR. COLON
IDEMQVE AL
CVI INCOLAE
AVENTICENS
PRIM OMNIVM
OB EIVS ERGA
SE MERITA
TABVLAM ARG
B. L. POSVER
DONVM D. S. P.
EX H-S. VCC. L. DDD

Et *Plantin. Helv.* p. 266.

DEAE AVENTIAE
T. TERTIVS
SEVERVS
CVRATOR COLON
IDEMQVE AL
CVI INCOLAE
AVENTICENS
PRIM. OMNIVM
OBS. EIVS ERGA
SE MERITA
TABVLAM ARG
P. L. POSVER — publico loco
DONVM D. S. P. — de ſumtu publico
EX VCC. L. D. D. D — Locus datus decreto Decurionum.

In ſaxo candido ad ſiniſtram Portæ Cœnobii vel Arcis Graſenriedianæ legitur ſequens.

DONA-

DONATO CAESARIS AV
SALVIANO EXACTOR
TRIBVTORVM IN HEL
COMMVNIS VICARIV.

Planè ut apud *Stumpf.* l. c. niſi quod primam lineam ita habeat:

DONATO CAES. AV

& *Plantin.* l. c. nec non *Guillim. Rer. Helv.* L. 1. p. 103.

DONATO CAES AVG
SALVIANO EXACTORI
TRIBVTORVM IN HELV.
COMMVNIS VICARIVS.

Muro Horti ad inſcriptionis hujus latus inſertum, ſed inverſo ſitu, legitur ſequens ſaxum

GENIO
PAGI TIGOR
P. GRACCIVS
PATERNVS
CVR. COL. ET
SCRIBONIA
LVCANA
V. FEC

Planè ut habet *Plantin.* l. c.
Eam ita habet *Stumpf.* l. c.

GENIO
PAG TIGOR
P. GRACCIVS
PATERNVS
- - - - -
SCRIBONIA
LVCANA
V. FEC

In

In haſce Inſcriptiones ſequentia ad me dedit Ill^us. *Cuperus.* d. 22. Nov. 1709.

Prima invenitur apud Gruterum p. 948. *ſecunda* p. 873. *tertia* p. 110. *ubi etiam exhibetur nobis ultima tua, cujus initium eſt* DEAE AVENTIAE. ET GENIO INCOLAR. *atque ita quæ incipit* DONATO CAESARIS . . . *legitur* p. 593. & *quæ illam ſequitur,* GENIO PAG TIGOR. p. 111. *ubi pro* CVR. COL. ET. *ſcriptum eſt* T.P.I. *procul dubio male, quia tu, vir diligentiſſime, illud procul dubio animadvertiſſes.*

Atque pulchrum eſt te, ex Inſcriptionibus binis, quæ DEAE AVENTICAE *faciunt mentionem, judicare, Aventicum non eſſe in Burgundia ad lacum d'Antre, id quod vir doctus probare conatus eſt, uti etiam didici ex libello, cui titulus,* la Decouverte entiere de la ville d'Antre en Franche-Comté &c. *qui tamen refutatur in alio, qui inſcribitur,* Diſſertation hiſtorique ſur divers ſujets d'Antiquité, & autres matieres, qui la concernent, *à Paris* 1706. *Vir doctus, qui auctor eſt earum Diſſertationum probat, Aventicum eſſe Helveticorum Avanches ex ipſis illis monumentis, ſed non capit, quid ſibi velit* DONATO CAESARIS AVG. *cum conſtet utique, libertum hunc Cæſaris appellatum fuiſſe* Donatum Salvianum; *deinde putat Salviano hoc monumentum poſitum eſſe* par celuy, qui avoit été établi Receveur general par les Fermiers de l'Helvetie. *Sed mirum, exactoris illius nomen non inveniri, neque patitur Latini ſermonis genius, ut hoc munus Salviano Donato tribuatur, id quod tamen alicui videri poſſit, ita ut fortè ſubaudiatur, qui eſt* exactorum . . . communis vicarius. *Quicquid ſit, hic nobis occurrit vir, qui vices gerebat omnium Exactorum Tributorum, vel vectigalium Helvetiæ, quocunque nomine illa venerint, quanquam ſciam differre cæteroquin* tributa & vectigalia. *Nec ferè quidquam aliud in tuis illis marmoribus occurrit, notatu dignum; niſi quod* Titus tertius Severus *dicatur fuiſſe non modò,* CVRATOR COLONIAE, *verum etiam* ALL. *id eſt* Allector, *quomodo malim ſiglas illas explicare, quàm per* Allectus, *uti facit illuſtris Scaliger, in hac inſcriptione; qui ſcilicet tributa & vectigalia ſuſcipiebat; ita in Inſ.* p. 375. L. BESIVS

dicitur

dicitur eſſe ALLECTOR GALLIARVM, *munuſque ejus appellatur* ALLECTVRA IBIDEM.

In alio Marmore extat aliud DEÆ Aventiæ Monumentum.

DEAE AVENTIAE
ET GENIO INCOLAR
T. IANVARIVS.
F LORIANVS
ET P. DOMITIVS.
DIDYMVS.
CVRATORES COL.
EX STIPE ANNVA
ADIECTIS DE SVO
H-S N I D.

Ita prorſus habet *Plantin*. p. 265. niſi quod binas ultimas Lineas omittat, uti quoque *Stumpf*. l.c. & *Guillim*. L.I. p. 85. qui in ſecunda linea pro GENIO legunt GENI.

In area ſubdiali Arcis offendimus hoc ſaxum aliis non memoratum.

DEAE VICTORI
AE
SABIN. MARC
IA

Alia:

D. M.
L. CAMILLVS
FAVSTVS
IIIIII. VIR AVG
VIVS, FECIT
IN ANNO LXX.
VIXIT ANNIS
LXXXXII.

Planè ut apud *Stumpf*. l. c. niſi quod loco LXXXXII. ponat LXXXXI. uti quoque *Plantin*. p. 267. qui inſuper in quarta linea legit VIV. loco VIVS.

Quæ nũnc ſequitur eſt indeſcripta:

IVL. C. F. FAB. CAMILLO
AC. AVG. MAG. TRIB. MIL
EG. IIII. MACED. HAST. PVR
T. CORONA AVREA DONATO
TI. CLAVDIO CAESARE AVG
IER. CVM. AB. EO. EVOCATVS
N BRITANNIA MILITASSET
OL. PIA FLAVIA CONSTANS
EMERITA HELVETIOR.
EX Ꝺ. D. D.

De hac inſcriptione Ill.us *Cuperus* Literis Campiſ. Cal. Jan. ad me datis ſequentia inſeruit.

Inſcriptio, quæ poſita eſt Julio Caji filio Fabiâ (*n. tribu*) Camillo *elegans eſt; & puto quidem omnes primas literas ſingularum linearum interciſe prænomenque Viri hujus fuiſſe* Cajus: *is dicitur, niſi fallor fuiſſe.* 1. Factionis Auguſti Magiſter. 2. Tribunus Legionis IIII. Macedonicæ. 3. Donatus fuiſſe haſta pura & corona aurea a Tiberio Claudio Auguſto iterum (*ita enim legendum*) cum ab eo Evocatus in Britannia militaſſet. 4. *Poſuit hoc monumentum* Colonia pia Flavia conſtans Emerita Helvetiorum, *idque* 5. *Ex decreto* Decurionum. *Pleraque quidem aperta ſunt, ſed pura dignitas mihi crucem figit, nam ita incertum, an* FAC. *i. e. Factio ſcribendum dubium ſit, ita valdè, quid ea vox ſibi hoc loco velit, neque enim alibi* FACTIO Auguſti *occurrit, & hoc me non expedio, niſi dicamus, eum ex Factionibus agitatorum in circo deſignari, cui Imperator favebat, ſive illa fuerit Veneta, praſina, Ruſſea & Alba, quibus Domitianus duas adjecit, Auratam & purpuream. Nam uni illarum frequenter Auguſtos Romanos faviſſe ex Suetonio & aliis Auguſtæ Hiſtoriæ Auctoribus patet. Veniebat & in mentem, an non inde fieri deberet* Sacerdotum Auguſtalium Magiſter, *ita ut eorum primus & caput eſſet, taleſque vix dubito quin inveniantur in aliis Inſcriptionibus, & fortè* Magiſtri factionis.

Alia


La Ville de BADEN
Klone Badet
Groſs Badet
Limat fluu


en Suiſſe .
1. Egliſe de Nôtre Dame .
2. Les Capucins .
3. St. Nicolas .
4. Les trois Rois .
5. Ste. Verona .
6. Maiſon de Ville ou les Cantons s'aſſemblent .
7. Le Vieux Chateau .
8. Le Nouveau Chateau .
9. La Pierre chaude ou eſt la ſource des bains chauds .
10. Une Source chaude au fond de la Riviere .
11. Monastere de Wettingen .
DEAE ISIDI TEMPLVM A SOLO
L. ANNVSIVS MAGIANVS
DE SVO POSVIT VIR AQVENSIS
AD CVIVS TEMPLI ORNAMENTA
ALPINIA ALPINVLA CONIVNX
ET PEREGRINA FIL. X C. DEDERVNT
L. D D. VICANORVM .

Alia pariter non deſcripta.

DEAE
VICTORIAE
IVNIVS
PRIMITIVS.
EX VOTO

A Nob. & Generoſ. D^nn de *Grafenried* Ill^bus Bernenſibus Loci Poſſeſſoribus ac Dominis hæreditariis multa recepit Humanitatis erga cœteros Teſtimonia Societas noſtra, quæ reticere haud volui.

Noctem diei 13. Jul. tranſegimus *Aventici*, quod horæ ſpatio à *Villariâ* diſtat.

Die 14. Jul. cœlo per totum diem ſereno calido per Pagos *Mezerie* & *Biſou*, trihorii intervallo venimus *Friburgum*, *Friburgum.* & ego ejuſdem diei veſperâ *Bernam*.

In Templo Cathedrali Friburgenſi ſequens legitur Epitaphium in Tabula nigra.

SOLI DEO GLORIA
SISTE VIATOR
MONVMENTVM VIDES MORTIS TIBI
IMMORTALITATIS VIRO
QVEM POST MORTEM TVAM SVA DECORA
AETERNABVNT.
FVIT IS GENERE NOBILIS, VIRTVTE SERENVS
JACOBVS FEGELI
REGII ORDINIS DIVI MICHAELIS EQVES
REIPVBLICAE FRIBVRGENSIS SENATOR
CLARISSIMVS, PACE CONSVLTISSIMVS, BELLO FORTISS.
DVCERAT MILITVM COHORTVM CAPITANEVS
QVA AETATE VEL SEQUI MEMORABILE EST
ANNOS NATVS DVODEVIGINTI POSTMODVM
LEGIONIBVS HELVETICIS SVB HENRICO M. ET LVDOVICO XIII.
CHRISTIANISSIMIS GALLIAE REGIBVS.
COLONELLVS MVLTOTIES PRAEFVIT
DEMVM EIVSDEM REGIS PRAEFECTI PRAETORIO VICES AGENS.
HONORE VIRTVTE AETATE PLENVS.
INTER MORTALES ESSE DESIIT
DIE X. IAN. A. DN. MDCXXIV.
AETATE LXVIII.

 Diem

Diem 15. Jul. tranſegimus Bernæ.

- - - 16. - - Arola vecti venimus *Buram, Burea,* quæ *Petineſca* eſt Romanorum.

Die 17. Jul. *Brugas* & *Badam.*

Die 18. Jul. ſalvus per Dei gratiam attigi *Tigurum.*

OBSERVATA BOTANICA, ANNO MDCCIX.


A.

A*bſinthium Seriphium montanum candidum.* C. B. *Abſinthium auſtriacum tenuifolium.* C. B. J. B. *Abſinthium Valleſianum tenuifolium candidum ſive herba alba.* J. B. In collibus, ad viam, ubique ferè inter Leucam Valleſiæ & contegium Gundes, infra quem Pagum nullibi amplius obſervavi.

Alſine montana capillaceo folio. C. B. Pin. 251. *Alſine tenuifolia muſcoſa* C. B. l. c. *Alſine muſcoſa quibuſdam* J. B. III. 365. Calyx floris tetraphyllos, folia ejus anguſta viridia margine dilutiori anguſto cincta: floris petala quatuor lactei candoris in obtuſum mucronem terminata, piſtillum circumſtant Stamina alba apicibus minutis ejuſdem coloris onuſta: idem piſtillum abit in vaſculum ſeminale ſubrotundum unicapſulare, ſeminibus minutis Placentæ mediæ affixis fœtum. Fig. VI. Florentem inveni Junio menſe ad ripam Lacus Rivarii in ſaxoſis. *Fig.* VI.

Alyſſon petræum foliis glabris atro virentibus, floſculis albis, eſt ipſum *Thlaſpi foliis globulariæ affine ſive Alſinefolia cum Myagri foliis.* J. B. II. 926. cui rectè jungit Rajus Hiſt. 821. *Thlaſpi alpinum folio parvo crenato, vel Thlaſpi alpinum minus capitulo rotundo.* C. B. pin. 107. Prodr. 48. & ipſum *Thlaſpi alpinum majus* C. B. pin. 106. quod vix alia in re, quàm partium magnitudine differre ipſi videtur. Noſtra certè Planta, quam in rupibus ad ripam Lacus Rivarii meridionalem Junio menſe collegi florentem, à palmari altitudine ſurgit ad pedalem. Folia ad radicem plura craſſiuſcula, ſubrotunda, ſplendentia ex atro virore, infernè dilutius viridia, non vel modicè crenata in caule ramoſo pauca,


La Ville d'ARBERG, en Suiſſe.
Aar flu



Iter 7

ca, anguſta, cauli immediatè affixa. Calyx conſtat è quatuor foliis pallidioribus, nonnunquam præſertim ante floris evolutionem lineâ viridante diſtinctis: petala floris ſunt lactei candoris, ſtamina exiguis apicibus luteolis onuſta: vaſculum ſeminale ſubrotundum turgidum, ſepto intermedio valvis parallelo in duo loculamenta diviſum: Semina ſubrotunda ſepta intermedio adhærent; vaſculum ſeminale in ſummitate apice parvo eſt donatum. Dubitant J.B. & Rajus, an non idem ſit *Thlaſpi Petræum myagrodes*. Ponæ Bald. Ego nullus dubito, quin conveniant. Sed videntur mihi folia in Icone nimis crenata.

Alyſſon alpinum hirſutum luteum Tour. Inſt. 217. *Sedum alpinum hirſutum luteum* C.B. Pin. 284. Junio Menſe in Gemmio monte pulchrè floret. Calyx eſt viridis tetraphyllos, petala floris 4. Pulchrè lutea, ſtamina viridi lutea, apices lutei. *Fig.* IIX. *Fig. IIX.*

Aſtragalus alpinus ramoſus hirſutus flore Ochroleuco. Convenit ferè quoad deſcriptionem cum *Aſtragalo perenni ſpicato floribus pallidis nigris radiis notatis.* Mor. Hiſt. Oxon. Part. 2. 107. quæ *Onobrychys eſt quibuſdam flore pallido vel Polygalon.* J.B. II. 337. niſi quod planta noſtra videatur hirſutior totâ facie, & flores non pallidi nigris radiis notati, ſed Ochroleuci, calyce hirſutiſſimo obvallati, deſinentes in ſiliquam pariter hirſutie tectam in Gemmio monte. differt ab *Aſtragalo Pyrenaico Barbæ Jovis folio non ramoſo flore Ochroleuco glomerato ſpeciatim proceritate & ramoſitate.*

Aſtragalus alpinus, foliis viciæ ramoſus, & procumbens flore glomerato, oblongo, albo cœruleo. Deſcriptione ſua prorſus ferè convenit cum *Aſtragalo alpino foliis viciæ ramoſo & procumbente flore glomerato oblongo cœruleo.* Tour. Inſt. 417. cujus etiam nomen integrum ferè geſtat. Folia ſunt latiuſcula in extremo ſubrotunda, viridia, ſubhirſuta. Flores conveniunt cum *Aſtragalo alpino Tragacanthæ folio ramoſo, flore cœruleo glomerato.* Tour. l. c. ex mea ſaltem conjectura deſcripto. Calyx viridis aſperiuſculus in apices 5. terminatur, lineares, petala ſuperiora ſunt dilutè cœrulea, carina in extremo apice profundè cœrulea, cœterum alba; alæ laterales pallidè flaveſcentes. In pratis Grindeliæ Vallis prope montes glaciales. *Fig.* VII. *Fig. VII.*

B.

Bupleurum annuum anguſtifolium. Bot. Monſp. *Bupleurum anguſtifolium.* Dod. Pempt. 633. *Auricula Leporis.* Geſn. Hiſt. Anim. cap. de Lepor. *Bupleurum minus anguſtifolium Monſpellienſe.* Raji Hiſt. 474. cui præcedaneum ex Bot. Monſp. Synonymum dubius jungit Rajus, confidentius Tournef. Inſt. 309. Apud Sedunos in ſepibus ad bicubita-

 lem

lem altitudinem ſurgit. Deſcriptioni Rajanæ convenit noſtra planta, ſed addi debet ramulos à foliorum alis exeuntes, in ſurculos prætenues ſubdividi ad ramulorum ipſorum ferè extremitatem. Huc pertinere puto vel non multum abeſſe ipſam *Auriculam leporis umbellâ luteâ.* J. B. III. Part. II. 200. ſunt enim & *hic folia inferiora latiora, & quæ in caulibus ſtricta, nervis ſecundum longitudinem pluribus donata, flores Fœniculi lutei,* in umbellâ minus patulâ Figura ipſa convenit.

C.

Campanula hortenſis Rapunculi radice. C. B. Pin. 94. *Campanula repens flore minore cœruleo* J. B. II. 804. in Alpibus Valleſiis.

Cardamine alpina erecta, foliis copioſis imis latioribus, ſupernis anguſtioribus profundè & eleganter diſſectis, floribus parvis albis. Creſcit pulchra hæc Cardamines ſpecies ad radices Montium ad Lacum Rivarium, in ripa Meridionali, à dodrantali longitudine, ad ſeſquipedalem caulibus firmis, erectis rarò ramoſis, infernè ſæpè purpuraſcentibus. Ad radicem lignoſam albam, vel flaveſcentem folia ſunt 8. vel plura tenuibus pediculis nixa, in orbem ſparſa, ſubrotunda, parum diſſecta. Profundius autem & eleganter ſecantur in lacinias, quæ ſequuntur in caulis longitudine, copioſa, alterna 5. vel 6. pinnularum medio nervo annexarum conjugationibus conſtantia, anguſtioribus tanto, quò altiùs ſurgit caulis. Sunt haud rarò foliorum apices eleganti purpura tincti, quæ jucundum dat plantæ tenerifoliæ aſpectum. In caulis ſummo flores ſunt copioſi, albi, perexigui, tetrapetali, abeuntes in ſiliquas longas digitales, ſemine fœtas. Sapor Plantæ eſt acris, ut aliorum Naſturtiorum, ſpeciatìm alpinorum. Pertinet huc *Naſturtium alpinum minus foliis in orbem ſparſis.* C. B. Pin. 104. quanquam τὸ *minus*, minus ad rem quadret, & Botanophilum confundat. *Cardamines alpina media*, Cluſ. Pan. 455. cujus deſcriptio parvæ hujus generis Plantæ eſt adaptata & forſan *Siſymbrii Cardamines ſpecies quædam inſipida.* J. B. II. 886. de qua rectè obſervat Rajus Hiſt. 815. In planta vegeta & lætiori folia eſſe latiora, & ad Naſturtii amari folia proximè accedere, in reliquis Erucæ aquaticæ minoris ferè imitari: diverſam quoque eſſe à *Cardamine patienti* ſeceſio minimo Alpini. Exot. 331. quam ſub titulo, *Cardamines annuæ exiguo flore*; Siſymbrii Cardamines ſpeciei cuidam inſipidæ. J. B. jungit Tournef. Inſt. 224. Naſturtium aquaticum erectum folio longiore. C. B. Pin. 104. Si idem eſt cum *Siſymbrio citato* J. B. ut conjectat Rajus, à noſtra planta abludit, utpote ramoſa nimis, & toto habitu major, & amplior. Ex Gallia eandem hanc noſtram Cardaminem accepi à Dn. Juſſieu, nomine *Cardamines annuæ exiguo flore.* Tour. & adjacentium apud ipſum Synonymorum.

Caryo-

Caryophyllata alpina Chamædryos folio. Mor. Hiſt. Oxon. Part. 2. 432. *Chamædrys alpina ciſti flore.* C. B. Pin. 248. *Chamædrys alpina flore Fragariæ albo.* J. B. III. 290. calyx eſt Polyphyllus, extus nigris pilis hirtus, petala magna nivei candoris ſtamina & apices lutei.

Caryophyllus Sylveſtris humilis flore unico. C. B. Pin. 209. *Betonica coronaria ſive Caryophyllæa repens rubra.* J. B. III. 328. Qui ad Lacum Rivarium creſcit in ſcopulis, petala floris habet egregie purpuraſcentia, in ambitu extremo fimbriata. Stamina ex imo flore ſurgunt plura, infernè alba, ſupernè dilutè purpuraſcentia, extrorſum reflexa, apicibus ſatis magnis etiam purpuraſcentibus onuſta: cœterum petalorum ea pars, quæ umbilicum floris conſtituit, dilutè fuſca eſt.

Cirſium maximum Aſphodeli radice C. B. Pin. 377. Cirſium maximum foliis carnoſis, bulboſa radice fortè Lutetianum. J. B. III. 44. in pratis montanis udis Valleſiæ obvium ad Polycephala pertinet, & ſatis benè deſcribitur à Cluſio in Pann. ſub titulo *Cirſii maximi montani in cano folia bulboſâ radice ſive. V.* Circa folia animadvertendum eſſe ea carnoſa, integra ad marginem ſpinulis obſita, ſupernè virentia, ſubtus incana, cauli applicita; capitula florum ſatis magna, lætè purpurea, floſculi carnei coloris, è quorum fundo ſurgit vagina atro purpurea, & ex ea ſtylus carneus. Figura J. B. ſatis benè quadrat. Aſt conveniret melius, ſi in ſummo caule capitula eſſent plura; idem hoc vult Rajus Hiſt. 306. Cirſium tomentoſum bulboſâ radice *quibuſdam Leucacantham* Anguillaræ. J. B. Aſt minus rectè, ſunt enim huic *folia incanâ lanugine ſupra infraque obducta*, offendi hoc ad vias prope Sedunum.

D.

Doronicum Helveticum incanum. C. B. *caule faſciato monſtroſum biflorum* in Semmio monte offendi.

E.

Equiſetum Paluſtre brevioribus foliis Polyſpermon. C. B. Pin. 15. *Equiſeti facie Polygonum fœmina* J. B. III. 724. In Lacu Rivario præcipuè foſſis ejus meridionalibus, item in Broja ad ejus oſtium in Lacu Moratenſi. De hoc obſervavi, folia ejus, quod in aquis creſcit, longiora eſſe, & veluti ad marginem undulata, ejus verò, quæ extra aquas in limo creſcit, breviora.

Equiſetum Sylvaticum tenuiſſimis ſetis C. B. Pin. 16. *Equiſetum ſive Hippuris tenuiſſima non aſpera.* J. B. III. 730. Hoc Equiſetum creſcit in Sylvoſis udis ſupra Thermas Leucenſes Valleſiæ, elegans eſt atque tenerum

nerum pedale & altius, crebro geniculatum, internodiis uncialibus & ſeſquiuncialibus. Folia, quæ ex viticulis ſingula prodeunt numeroſa, biuncialia & triuncialia, tenuia, geniculata, & ſi ita loqui licet, ramoſa, ex ſingulis enim geniculis prodeunt utrinque foliola trium, 4. & plurium linearum in capillares extremitates muſcorum ad inſtar terminata. Parc. & Lob. Ill. pulchrè hoc *Equiſetum* nuncupat *omnium minimum tenuifolium.*

Erica procumbens ternis foliolis carnea C. B. Pin. 486. *Erica parva Pannonica foliis Corios ternis flore carneo, capitalis Thymi.* J.B.I. 358. florentem inveni Junio menſe in Gemmio monte. Calyx tetraphyllos purpureus, flos globoſus in 4. apices terminatus. Stamina alba apices obſcurè flaveſcunt.

F.

Fagus Dod. Pempt. 832. *Fagus Latinorum, Oxya Græcorum.* J. B. I. 117. foliis candidis creſcit ſubinde ſupra venam ſalinarum Aquarum Badiacarum *au fondement.* Ex relatione foſſorum.

G.

Gäbius neſcio quæ planta parva naſcens in Grimſula monte, qua utuntur alpicolæ pro Panacea.

Gentiana alpina pumila Centaurii minoris folio. Tour. Inſt. 81. *Gentianella alpina æſtiva Centaurii minoris foliis.* C.B. Pin. 188. *Gentianella fugax quinta Cluſii flore cœruleo, colore elegantiſſimo.* J. B. III. 527. Quam ſupra Thermas Leucenſes florentem inveni Junio Menſe, florem habet ex Tubo Pallido in 4. ſegmenta expanſum purpuro cœrulea, ad extremum acuminata, ad quorum exortum intus ſurgunt barbulæ ſeu fimbriæ concolores, Stamina ſunt candida, ſatis craſſa, apices nigricantes. Fidentius nunc huic Plantæ jungo, *Gentianam pratenſem, flore lanuginoſo* C. B. *Gentianellæ ſpeciem quandam an Cordo Pneumonanthen aut Gentianam fugacem alteram Cluſii.* J. B. item *Gentianellam fugacem tertiam Cluſii flore vireſcente & ſubcœruleo breviore & majore.* J. B. Sive *Gentianellam pratenſem flore breviore & majore.* C.B.

Geranium batrachioides maximum, minus laciniatum, folio Aconiti. J. B. III. 477. *Geranii majoris ſpecies foliis magnis, figura ferè & magnitudine Aconiti lutei, hirſutis aſperis.* Geſſ. App. 292. In montanis pratis Leucam inter Oppidum, & ejuſdem nominis Thermas.

Geum rotundifolium majus. Tour. Inſt. 251. *Sanicula montana rotundifolia major.* C. B. Pin. 243. *Sanicula alpina guttata.* J. B. III. 707. Calyx

Calyx eſt quinque partibus viridis ſubhirſutus, petala floris quina oblonga, punctis purpureis, & ad umbilicum croceis notata, lactei candoris, ſtamina alba, apicibus albis onuſta, piſtillum tumens bicorne album.

Geum rotundifolium minus. Tour. Inſt. 257. *Sanicula montana rotundifolia minor.* C.B. Pin. 243. Petala 5. oblongo rotunda nivei candoris, calyx parvus viridis, ſtamina nivea, apices crocei, ſtylus albus ad baſin luteus.

Globularia Pyrenaica folio oblongo, caule nudo. Tour. Inſt. 467. *Beltis cœrulea caule nudo.* C.B. Pin. 262. floſculi floſculoſi in longas lacinias diſſecti dilutè cœrulei vel carnei, ſtamina concolora, apices albi.

H.

Helleborine paluſtris noſtras. Raji Hiſt. 1231. Petala tria exteriora è viridi purpuraſcunt externè; intus carnei magis ſunt coloris: bina petala ſuperiora ſunt candida, ſtriis purpureis, mediâ latiori, lateralibus ſubtiliſſimis diſtincta; carina floris itidem candida lineis ad fundum luteum purpureis notata: labium prominens ſubrotundum candidum, initio craſſiori apiculis croceis terminato. In aſcenſu collis ſupra Immenſee, Ditionis Suitenſis, & alibi locis Paludoſis.

Helianthemum Serpilli folio flore minore aureo odorato. Tour. Inſt. 249. *Ciſtus Helianthemos flore parvo luteo.* J.B. II. 17. In Gemmio Monte. Haud ſeparandum mihi videtur à *Chamæciſto Serpilli folio nigricante & hirſuto, flore aureo odorato.* J.B. II. 17. ſeu *Chamæciſto repente Serpilli folia lutea.* C.B. Pin. 466. quem ad diſtinctionem alterius vocat Tournef. *Helianthemum Serpilli folio, flore majore aureo odorato.*

L.

Leucojum vernum perenne album majus folio glabro ſucculento. Hoc titulo mihi venit. *Heſperidi alpinæ ſive murariæ affinis Draba ſucculenta* J.B. II. 880. in Gemmio monte creſcens & *à Leucojo verno perenni alba majori* Tour. quod *Draba alba Siliquoſa* C.B. eſt vix differens, niſi foliorum glabritie, & ſucculenta craſſitie. Flos eſt tetrapetalos albus, petala ſatis longa, ſtamina & apices albi, foliorum ſapor acris.

Lichen arboreus capillaceus, longiſſimus niger. Muſcus arboreus, Uſnea officinarum colore nigro. C. B. Pin. 361. ex arboribus dependet ſupra Thermas Leucenſes Valleſiæ, colore prorſus nigro. *Capillacei* longiſſimi Titulum adnecto, ut conſtet, non mihi videri differentem *Muſcum capillaceum Longiſſimum.* C.B. l. c.

Lichen arboreus ramoſus longiſſimus cinereus. Ex laricibus ſupra Thermas Leucenſes dependet ſemipedalis & pedalis, ſimilis aliàs. *Licheni pulmonario, cinereo molliori, in amplas lacinias diviſo.* Tour. *arborei ramoſi* cognomen mutuò peto ex J. B. quoniam affinis, vel idem videtur cum *Muſco* ejus *arboreo ramoſo* III. 756.

Lichnen pulmonarius ſaxatilis tenuiter laciniatus elegantis ſulphurei coloris. In Saxoſis Gemmii montis. Elegans plantula vix ſemiunciam ſurgit, corralloidis formam mentiens ab imo ramoſa, & in tenuiſſimos ramulos terminata.

Lychnis vel Ocymoides repens montanum. C. B. Pin. 206. *Saponaria minor quibuſdam.* J. B. III. 344. E calyce tubulato atro purpureo hirſuto in ſegmenta quinque haud ita profundè ſecto petala floris prodeunt lætè purpurea, intra quæ ſurgunt ſtamina alba, piſtillum bicorne. In ſcopulis ad ripam Rivarii lacus.

Lychnis annua minimo flore carneo, lineis purpureis diſtincto. Tour. Inſt. 338. *Betonicæ ſeu tunicæ minimæ ſimilis planta.* J. B. III. 338. In aridis Saxoſis Sedunenſis Arcis. Calyx eſt duplex viridis, petala floris dilutè carnea, ſtriis purpurantibus diſtincta, ſtylus & apices ſunt carnei. Reliqua deſcriptioni J. B. reſpondent. Planta eſt dodrantalis & ſemipedalis.

Lychnis viſcoſa flore muſcoſo majuſculo, quæ ſterilis. C. B. Pin. 206. *Muſcipula muſcoſo flore, ſive Ocymoides belliforme.* J. B. III. 350. in Valleſia inferiori, an ſufficienti ratione fultus hanc diſtinguat Tournef. à *Lychnide viſcoſa flore moſcoſo minore & Seminifera* C. B. quæ *Seſamoides magnum Salmanticum* Cluſ. Hiſt. 295. mihi non conſtat. Rajus Hiſt. 1002. generale ſociat *Lychnidis viſcoſæ flore muſcoſo.* C. B. nomen *Muſcipulæ* citatæ. J. B.

Lychnis Sylveſtris minima flore muſcoſo. Bot. Monſp. In Valleſia inferiori.

Liguſticum, quod Seſeli officinarum C. B. Pin. 162. *Seſeli ſive Siler montanum vulgare.* J. B. III. P. II. 168. è Saxis ad Lacum Rivarium copioſè procreſcit. Radice utuntur Veſenæ ad Odontalgiam dentibus impoſita, utpote apophlegmadizante.

Liliaſtrum alpinum minus. Tour. Inſt. 369. *Phalangium magno flore* C. B. Pin. 29. *Phalangium flore Lilii.* J. B. II. 636. Prata copioſè ornat montana ſupra Thermas Leucenſes in Valleſia, pulcherrimè florens Junio. Thalius duas ſpecies facit, alteram majorem folio longiore, pauloque latiore, capitulo magis triquetro, in quo ſemina continentur etiam paulò majora: alteram minorem, cui omnes partes ſunt minores ſtrictioraque folia. Exiſtimat verò J. B. priorem *Liliaginem Thalii* eſſe

ſuum

ſuum *Phalangium flore Lilii*, alteram minorem *Phalangium non ramoſum*. Aliter ſenſiſſe videtur Tour. qui *Liliaſtrum alpinum majus* diverſum ponit à *minori*, ſed & hoc diverſum à Phalangio non ramoſo. Quid verò per *majus* ſuum intelligat, me latet: Variat quoque in alpibus noſtris magnitudine, pro loci diverſa altitudine, ſolique qualitate, non tamen inde differentiam ſtatuo inter *majus* & *minus*. Noſtrum Liliaſtrum petala habet nivea, ut & Stamina, apices luteos, ut Liliorum alborum.

Linum Sylveſtre cœruleum folio acuto C.B. Prodr. 107. *Linum Sylveſtre anguſtifolium cœruleo amplo flore*. Bot. Monſp. in Saxoſis Valleſiæ inferioris, & ſupra Thermas Leucenſes; petala 5. cœrulea venis purpurantibus, fundo luteo, ſtamina lutea, apices albi, calyx pentaphyllos.

M.

Medica major erectior floribus purpuraſcentibus. J.B. II. 382. *Trifolium Siliquâ cornutâ ſive Medica*. C.B. Pin. 330. ad agrorum & pratorum limites apud Sedunos. Siliqua nunc eſt in circulum contorta, nunc in forma literæ S. & plerunque quidem. Flos obſolete purpureus.

Medica Sylveſtris floribus è luteo palleſcentibus. Tour. Inſt. 410. *Trifolium Sylveſtre luteum ſiliquâ cornutâ, vel Medica fruteſcens, flore luteo albo*. C.B. Pin. 330. In Valleſia inferiori ad vias & pratorum margines, colore floris ſulphureo. & anguſtia foliorum, ſupremo margine vix corroſorum, ab aliis hujus generis medicis differt.

Millefolium odoratum minus Monſpellienſium. Mor. H. R. Bleſ. & H. R. Par. *Millefolium odoratum Monſpellienſe*. Pillet. 271. *multo minus eſt quàm vulgare, foliis caneſcentibus, odoremque habet ſuavem & aromaticum*. Hoc ejuſdem cum vulgari magnitudinis, pedale & majus offendi in rupibus Seduni prope Arcem & in περιχώρῳ.

Muſcus ſquamoſus foliis acutiſſimis in aquis naſcens. Tour. Inſt. 554. *Muſcus aquaticus folio expanſo*. C.B. Prodr. 152. Fontalis minor lucens J.B. III. 778. *Muſcus aquaticus viticulis longis minus ramoſis, lucidis, foliis acutis, triangularibus cinctis*. Mor. Hiſt. Oxon. Part. 3. 626. Sect. 15. Tab. 6. Fig. 32. Hunc muſcum offendi in Lacu Rivario, ad ripam Meridionalem, ubi fundo, Lapidibuſque accreſcit. Dubius hæret Rajus Hiſt. 122. an hic ſit Muſcus aquaticus terreſtri vulgari ſimilis, ſed major, ego nequaquam dubito, ſed eundem prorſus exiſtimo, eundem quoque cum *Muſco aquatico denticulato*. Joh. Loeſel. in Flor. Pruſſic. Aliquando viticulis pedem longis ſerpit ramoſus, alias palmaris communiter eſt.

Muſcus capillaceus denſiſſimus lanuginoſus albo viridis apicibus niveis. Hunc offendi in ſaxo quodam Grindeliæ Vallis, ramoſus eſt, coloris albo viridis, *Heiter Grün*, apicibus ſingulorum foliolorum Viridium, ſquamatim & denſè invicem incumbentibus, nivei coloris. Sed quoque ſingulorum ramulorum extremitates niveæ ſunt albedinis, non multum diverſus hic eſt à *Muſco capillaceo denſiſſimo lanuginoſo.* Tour. Inſt. 551. cujus proin nomen retineo.

O.

Orchis palmata flore viridi. C. B. Pin. 86. Prodr. 30. ſupra Thermas Leucenſes occurrit pedalis & ſeſquipedalis, foliis rarioribus in extremo ferè rotundatis, uncias circiter duas longis, dimidiam latis nervoſis. Floris petala ſuperiora latiora viridia, calyx tetraphyllos albo-viridis, labium inferius floris luteo-viride trilingue in lingulas acutas terminatum. Eadem hæc eſt cum *Orchide palmata flore galericulato dilutè viridi.* Loeſel. Flor. Pruſſ.

Orchis odorata moſchata ſive Monorchis. C. B. Pin. 84. Petala tria externa viridi lutea: lateralia bina luteola ex latiori baſi in lingulam anguſtata; petalum inferius cruciforme ejuſdem coloris. Flores veluti in ſpiram diſpoſiti, alterni in ſpica biunciali, odor gratus moſcatus. Paſſim in collibus & montibus ſiccioribus.

P.

Pedicularis alpina Filicis folio major C. B. *Pedicularis major Dalechampii* J. B. flos ſulphureus ex calyce ſtriato hirſuto viridi apicibus 5. terminato, galea fermè clauſa, hirſutie obſita, labium inferius tripartitum, rictus intimus totus hirſutus, quæ hirſuties prominulas Labii inferioris partes veſtit: floribus ſingulis folium ſubeſt. In Gemmii Montis aſcenſu ex Valle Frutingenſi.

Pedicularis alpinæ folio Ceterach C. B. *altera ſpecies*, calycem habet membranoſum dilutè purpurantem, nigricantibus lineis diſtinctum; in brevia ſegmenta terminatum, florem integrum latè purpureum. In Gemmio.

Petaſites alpina rotundifolia minima caneſcens. Tuſſilago alpina rotundifolia caneſcens. C. B. *Tuſſilago alcina minor folio rotundo.* J. B. Calyx Polyphyllos purpuraſcens è ſegmentis conſtans 4. uncias longis: flos è floribus floſculoſis candidis quinquepartitis, extremis apicibus ſuave rubentibus, è media vagina, quæ è fundo floris

ris ſurgit, prodeunt cornicula bina candida apicibus purpureis; flos abit in pappum.

Planta anguſtifolia alpina J. B. III. 506. C. B. Pin. 190. Hiſtoria hujus Plantæ non ſatis eſt evoluta. *Plantaginem trinerviam folio anguſtiſſimo.* Ex C. B. Pin. 189. Prodr. 98. jungit ei Rajus Hiſt. 878. & Tournefortius Inſt. 127. *Plantaginem anguſtifoliam minorem, ſpicâ hirſutâ albâ, foliis ex atro virentibus valde piloſis.* J. B. III. 506. ex ipſa J. B. mente. Quam nunc in Gemmii montis planitie offendi palmarem, folia habet unam lineam vel dimidiam lata, uncias tres quatuorve longa, modicè hirſuta, nervo unico aliquando in eadem planta tribus donata, ex radice craſſa copioſa, caulem aphyllon hirſutum, ſpicam ſemuncialem. *A Plantagine trinervia montana.* C. B. Pin. 190. differt, quod hæc folia habeat in medio latiora, manifeſtè trinervia, piloſiora J. B. *Plantagini ſuæ anguſtifoliæ alpinæ* adſociat *Holoſteum hirſutum nigricans.* C. B. Pin. 190. an *Lanceolam montanam.* Geſn. cui haud difficilis ſubſcribo.

Polygonatum anguſtifolium non ramoſum. C. B. Pin. 303. *Polygonatum anguſtifolium.* J. B. III. 531. In Gemmio.

Populus alba majoribus foliis C. B. Pin. 429. *Populus alba*, λεύκη. J. B. I. 160. in Valleſia, præſertim inferiori, ad rivulos, & in ſylvis, vix fortè niſi accidentali magnitudine nec ſpecie differre mihi videtur à *populo alba folio minore.* J. B.

Q.

Quinquefolium minus repens alpinum aureum, C. B. Pin. 325. *Pentaphyllum alpinum ſplendens aureo flore* J. B. II. 598. in alpibus paſſim.

Quinquefolium folio argenteo C. B. Pin. 325. *Pentaphyllum rectum, foliis profundè ſectis ſubtus argenteis, flore luteo.* J. B. II. 598. in Valle Grindelia.

R.

Ranunculus alpinus humilis rotundifolius flore majore. C. B. Pin. 181. Calyx albus Pentaphyllos, extus medio luteolus vel ſubviridis, petala magna rotunda, in extremitate ſinuata nivei candoris, ſtamina pallida, apices crocei. In Gemmio, & paſſim in Alpibus Helveticis.

Ranunculus montanus hirſutus, purpuraſcente flore. C. B. Pin. 182. *Ranunculus montanus albus hirſutus*, J B. III. App. 861. flores habet in umbellam diſpoſitos, petala 5. candidâ carneâ tincturâ imbuta extus, ſtamina brevia alba, apices ſulphurei coloris.

Rapunculus ſpicatus, flore purpuro-violaceo. Rapunculi ſylveſtris genus floribus cœruleis in ſe recurvis Geſn. Col. ſtirp. referendus *ad Rapunculum ſpicatum* C. B. *Rapunculum ſpicatum ſeu comoſum cœruleum* J. B. Quem in pratis circa Thermas Leucenſes collegi, flores habet purpuro-violaceos, ſeu obſoletè cœruleos.

Roſa foliis glaucis rubedine tinctis flore rubro. In Grindelia Valle ditionis Bernenſis ſurgit, ut alia Roſa ſilveſtris, florem gerens intenſe rubrum, unguibus candidis. Nullibi hactenus hanc Roſæ ſpeciem offendi, niſi in Pago Grindelwald.

Rubus alpinus humilis. J. B. II. 61. *Chamæ rubus ſaxatilis.* C. B. Pin. 479. Petala habet candida, ex tenui principio in formam oblongo rotundam expanſa, ſtamina confertim diſpoſita candida, apices fuſcos, calycem hexaphyllon viridem.

S.

Saxifraga alpina Ericoides flore cœruleo. Tour. Inſt. 253. *Sedum alpinum Ericoides cœruleum.* C. B. Prodr. 132. J. B. III. 694. In Gemmio monte pulchrè floret Junio Menſe. Deſcriptioni adde, calycem Pentaphyllum purpureum pilis tenuibus marginatum, petala 5. ſubrotunda, pro ratione Plantæ magna, læte cœrulea, ſtamina carnea, apices atro purpureos.

Saxifraga Pyrenaica foliis partim integris, partim trifidis. Tour. Inſt. 253. cui aliàs junxi *Sedi alpini III. Fr. Gregorii Rhegienſis* Col. *primam* & *ſecundam varietatem.* Quam nunc inveni in Gemmio foliis eſt integris, Calyx ei viridis craſſus Pentaphyllus, petala pallidi viroris lineâ luteolâ in medio diſtincta, uti & folia calycis: è medio flore ſurgunt bina cornua ſeminalia.

Sedum minimum montanum flore purpuraſcente parvo ſemine ſtellato Raji Hiſt. 692. Quod in Gemmio Monte offendi, convenit prorſus deſcriptioni Rajanæ, ut & *Sedi annui minimi ſtellati rubri* Magnol. folia fermè globoſa viridi rubra, calyx craſſus Pentaphyllus viridis purpureis punctis notatus, petala 5. pallida medio purpurea, in medio flore cornua 5. eriguntur, quæ vaſculum conſtituunt ſeminale.

Side-

Sideritis vulgaris hirſuta erecta. C. B. *Sideritis vulgaris hirſuta.* J. B. in Saxoſis Helvetiæ paſſim creſcit, uti ad Rivarium Lacum: in Caſtello veteri Badenſi. &c. Calyx eſt tubulatus quinquepartitus, hirſutus, vireſcens, ſegmenta calycis ſunt aculeata, ſed rigiditate carent: flos in bina labia expanditur, quorum ſuperius cochlearis ad inſtar excavatum luteum, inferius in tria ſegmenta expanſum, quorum medium reliquis amplius & ſinuatum, lineæ totum labium inferius intenſè purpureæ & punctis ejuſdem coloris diſtinguunt totum Labium inferius: ſtamina è fundo floris prodeuntia purpurea apicibus quoque purpuraſcentibus onuſta. Flores naſcuntur verticilatim.

Symphytum Conſolida major flore albo, vel pallidè luteo, quæ fœmina. C.B.Pin. 259. per totam viam inter Alpnach & Sarnen, Subſylvaniæ, ubi quæ flore eſt purpureo, prorſus exulat.

T.

Teucrium alpinum inodorum magno flore. C. B. Calyx nigricans in apices 5. terminatus, hirſutus, flos è tubo oblongo dilutè cœruleo in ſegmenta atro purpurea expanditur: labium ſuperius & galeatum ſupernè acuminatum; inferius tripartitum. è fundo floris ſurgunt ſtamina purpuro cœrulea, apices albi papposi, ſurgunt quoque ſtamina bina ex lateribus galeæ: ſtylus dilutè purpuraſcit.

Thlaſpi fruticoſum folio Thymbræ hirſuto. C. B. *Thlaſpi fruticoſum alterum.* Lob. J. B. ſub hoc titulo recondo Thlaſpi fruticoſum, lignoſum, ramoſum, multiflorum, pedale & ſemipedale, in arenoſis Valleſiæ inferioris obvium: Deſcriptioni reſpondens, niſi diverſitatem inſinuent capſulæ ſeminales in extremo bifidæ.

Thlaſpidium Anchuſæ folio. Tour. Inſt. 215. *Thlaſpi biſcutellatum luteum Anchuſæ foliis.* Barr. Icon. Bocc. Muſ. P. II. T. 122. Calyx dilutæ eſt flavedinis tetraphyllos, petala 4. ſulphurei coloris, uti quoque ſtamina & apices planta attactu viſcida.

U.

Ulmus Campeſtris & Theophraſti C. B. Pin. 426. Ulmus. J. B. I. 139. Leucæ & alibi in Valleſia frequens, *ferax folliculis cavis tuberoſis ſubrotundis, ac diverſarum figurarum.* Eam præprimis, quam in Alſatia propè Polvillam Arcem obſervavit J. B. offendi ſpeciem, cui folia valdè crebra parva, nec *multo majora articulo poſtremo*

ſtremo pollicis, plurima etiam minora, minùs rugoſa, supernâ parte nonnihil lucida.

Uva Urſi. Cluſ. Hiſt. 63. *Vitis Idæa foliis carnoſis & veluti punctatis ſive Idæa radix Dioſcoridi.* C. B. Pin. 470. *Radix Idæa putata & Uva Urſi.* J. B. in Gemmio monte.

F I N I S.

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

Sive

ITINERA

Per

HELVETIÆ ALPINAS REGIONES

Facta

ANNIS

MDCCII. MDCCIII. MDCCIV. MDCCV. MDCCVI. MDCCVII. MDCCIX. MDCCX. MDCCXI.

Plurimis Tabulis æneis illuſtrata

à

JOHANNE JACOBO SCHEUCHZERO,

Tigurino, Med. D. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolinæ & Socc. Regg. Anglicæ ac Pruſſicæ Membro.

TOMUS QUARTUS,

Nunc primum Editus, & comprehendens

ITINERA ANNORUM MDCCX. MDCCXI. & ACARNANIA.



LUGDUNI BATAVORUM,

Typis ac Sumptibus PETRI VANDER Aa.

M D CC XXIII.

JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,
Tigurin. Med. Doct. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolin. & Socc. Regg. Anglic. ac Pruſſic. Membr.

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ
HELVETICUS,

SIVE

ITINERIS ALPINI
Deſcriptio Octava,

ANNI MDCCX.

Nunc primum Edita.

ITER ALPINUM OCTAVUM,

ANNI MDCCX.

Id commune habent virtutes atque vitia, ut miſeri nos beatique mortales tantò ardentiùs utraque proſequamur, quò plus eorum dulcedinem, ſeu apparens ea fuerit, ſeu vera, guſtamus. In virtutum ſtadio currimus læti, licet id ſpinis ſit obſitum, ſed & in vitiorum palæſtra ſudamus, licet ultimus eorum finis ſit præcipitium. Idem neſcio quo fato accidit Hiſtoriæ Naturalis ſcrutatoribus, ſumtus impendimus, & pro Inſtrumentis, & pro libris, itineribus, tempori non parcimus, ſudores profundimus, vires ipſas exhaurimus, conſcendimus montes, deſcendimus per præcipitia, pererramus Valles, ut DEI Creatoris & Conſervatoris ubique conſpicua gloria celebretur, & veritas ex DEI ſinu emanans protrahatur in lucem. Eſt hoc ipſum principium & meta Excurſionis alpinæ, quam hujus anni vergente æſtate inſtitui, cum Nobiliſſ. optimæ ſpei juvenibus Dr. Henrico Eſchero, Conrado Goſsweilero, Andrea & Caſparo Mejeris. Id autem imprimis mihi propoſui, ut Toggici Comitatus ſitum delinearem, & experimenta Barometrica pro inquirenda varii Aëris Elaſticitate ab Illuſtriſsmo Abbate Bignonio, Societatis Regiæ Pariſienſis Præſide & Cl. Dno Maraldi ejuſdem Socio nuperrimè commiſſa, eâ quâ poſſem fide & dexteritate inſtituerem, aliis non omiſſis, quæ

 Hiſto-

Hiſtoriæ patriæ tum Naturali tum Geographico Politicæ inſervire poſſunt.

Ante autem quam Tiguro diſceſſi, eodem, quem in itinere adhibui, Tubo vitreo, Experimenta feci in ædibus præclare docti & virtuoſi ob Religionem exulis Dn. Formondii. Series autem Experimentorum hæc eſt. Paratur primò Tubo hermeticè ſigillato 33. digitos alto Barometrum ordinarium, ita quidem, ut Tubus integer impleatur, ad ſupremum uſque marginem, Argento vivo, & inverſo Tubo adnotetur altitudo Mercurii à ſuperficie ejus, qui in vaſe jacet. Dehinc adimpletur Tubus ad eam uſque altitudinem, ut tres digiti Pariſini in ſummo Tubo reſtent Aëre pleni, reliquis 30. digitis Mercurio refertis. Inverſo rurſum Tubo obſervatur altitudo Mercurii & Aëris, qui in ſummo Tubo ſe ſe ad id uſque ſpatium dilatavit, ut Mercurius cum Aëre incluſo in æquilibrium fuerit redactus cum Aëre Atmoſphærico externo. Porro relinquuntur in ſummitate Tubi 6. digiti Aëris, dein 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30 animadverſis ſemper altitudinibus & Mercurii & Aëris.

Series Experimentorum Barometricorum.

Die 6. Sept. Tubo 33. digg. longo 2. lineas habente in Diametro Tiguri h. 8. a. m. Barometri totius altitudinem habui 26. digg. 4. lin. & inter horam 9. ac 10. 26. 4½. cœlo ſereno, nubibus tamen interfuſo.

Spatia Aëris in Tubo relicti.	Altitudo Merc.	Spatia Aëris extenſi.
3	19. 9 bis.	12 6½.
6	16. 8	15 7½.
	16. 7½. bis.	15 8.
9	14. 3	18 0.
12	11. 11 bis.	20 3.
15	9. 9 bis.	22 6.
	9. 7½.	22 7.
18	7. 5½.	24 8½.
	7. 6	
21	5. 3 bis.	27 0.
24	3. 3 bis.	28 11.
27	1. 6 bis.	30 7½.
30	4 bis.	31 10½.

Eodem



A. Les Capucins.
B. Lieu ou l'on tire à l'Arbalette et Lieu de Plaiſance.

C. Château.
D. Chapelle de N. Dame

La Ville de RAPPE



PERSWYL, en Suisſe.

E. Egliſe Paroiſſiale de St. Jean
F. Hôpital au St. Esprit.
G. Maiſon de Ville.
H. Porte de Holſs.
I. Porte du Pont.
K. Porte de Hab.

Eodem hoc Tubo in Itinere quoque ſum uſus, unde conformitas Experimentorum tanto reddetur certior; non tamen præteribo Experimenta facta die 5. & 6. Septembris alio Tubo tenuiori dimidiæ circiter, ratione prioris, Diametri.

Igitur die 5. h. 8. a. fuit altitudo Barometri totius 26. 2. vacui in Tubo 6. 1.

Spatia Aëris in Tubo relicti.	Altitudo Merc.	Spatia Aëris extenſi.
6	16. 3.	16. 0.
	16. 2½.	
9	13. 3 bis.	19. 0.
12	10. 11 bis.	21. 6½.
Poſt meridiem		
15	8. 9 bis.	23. 6.
18	7. 0 bis.	25. 3.
21	5. 4 bis.	27. 0.
Die 6. altit. Barom. 26. 8.		
24	3. 9 bis.	27. 6.
27	2. 3½.	30. 0.
30	11.	31. 4.

Die 9. Sept.

Tiguro diſceſſi, & h. 1. p.m. Raperſuilam veni: ſeries Pagorum, quos tranſivimus, hic eſt: *Raperſuila.*

Riespach ¼. h.
Zollikon 1.
Goldbach ¼.
Kusnacht ¼.
Ehrlibach ½.
Herrliberg ½.
Meilen 1.
Vttikon ¼.
Mannidorf ½.
Stäfen ½.
Schirmenſee, *Vrikon*, ½.
Feldbach ½.
Rapperſchweil ½.

} Ditionis Tigurinæ.

 In

Pagus Rüſchlikon. In altera Lacus Tigurini ripa 1½. h. ab urbe eſt *Pagus Rüſchlikon*, in cujus eminentiori parte centenis aliquot pedibus ſupra Horizontem Lacus effoditur nunc *ceſpes bituminoſus*, quem *Turffæ* nomine vulgò nuncupant in Belgio: *Ceſpes bituminoſus, ſeu Turffa.* effodiuntur autem unâ vice commodo Amæ ſeu Bipalii Inſtrumento, *ceſpites* bini, qui in prato vicino per biduum vel triduum depoſiti, poſteà crateribus ligneis impoſitis tranſportantur in ædiculam horreo ferè ſimilem Vento undique perflatilem, ubi ſub tecto ab injuriis Pluviæ immunes exſiccantur, & dehinc in repoſitorio Communi ampliori aſſervantur, ut lignorum vice ad uſus domeſticos adhiberi queant.

Profunditas Turffi fodinarum harum eſt 12. circiter pedum, ubi notabile, ſtratum Turffaceum ſupremum eſſe nigrum, ponderoſum, inferiora ſenſim fuſca magis vel rubra, &, quod mireris, leviora: in imis fodinis horizontaliter demerſi jacent abietum prægrandis molis Trunci cum ſuis ramis. Infra ſtrata Turffacea eſt ſemipedale circiter ſtratum Terreum vel argillaceum coloris cinerei, cochleis & conchis minutis refertiſſimum. Ubicunque Terram hanc effodi curavimus, ingentem ubivis reperimus cochlearum illarum copiam, ſuntque tum cochleæ, tum conchulæ aquatici generis non terrigenæ. In ipſa Turffa demerſos quoque reperias Avellanarum fructus, & Pineos conos, de quibus in *Herbario Diluviano*, occaſione Turffæ Rütenſis.

Non prætereunda ſilentio eſt circumſtantia ſupra memorata de Turffa graviori ſuperiori loco, & leviori inferiori ſito, quæ legibus gravitatis & ſubſidentiæ repugnare videtur. Dignam utique cenſeo hanc obſervationem, quæ explicetur, ut Hypotheſeos noſtræ veritas magis illuceſcat. Id quod colorem atrum dat ſtrato ſupremo, nec non pondus, & arctiorem compagem, eſt bituminoſus quidam ſuccus, qui omnes poros infercit, & Fibras Turffæ colligat; ſucco hocce repleta primitus fuêre ſtrata ceſpitum, ſenſim tamen & ſenſim inde è fibrarum muſcoſarum interſtitiis ab aqua elota, ut ſuccus ipſe ſuperiora petere neceſſum habuerit, deſcendere quippe non poterat tum propter levitatem ſuam, tum propter Aquarum ſurſum pellentium impetum, tum propter ſtratum arenoſum infra

fra

fra argillaceum demerſum. Ratiocinium autem hocce probo ex obſervationibus in ipſo loco natali factis. Oleum bituminoſum magna ſatis copiâ ex gravioribus ceſpitibus prolicio per deſtillationem, nulla ferè vel paucâ ex levioribus: odor ipſe accenſorum ceſpitum ſuperiorum fortior quam inferiorum. Duratio illorum in igne longe major, quam horum. In primis verò notari meretur, quod ipſi nigri & ponderoſi ceſpites exciſi, & pluviæ per dies aliquot ſub dio expoſiti, inde ita eluantur, ut & leviores, & rubicundiores, & minùs durabiles, infimis ceſpitibus ſimillimi evadant, unde neceſſum habemus, pro conſervatione Turffarum, eaſdem tertio quartove die ſub tectis recondere, ut à pluviæ damnis reddantur immunes. Additamenti loco poterit eſſe hæc obſervatio ad Herbarium Diluvianum, quandoquidem certum omnino eſt, & ex Analyſi tum oculari tum Chymica demonſtrandum, eſſe ipſam ceſpitum bituminoſorum ſolidam ſubſtantiam vegetabilem, non mineralem.

Trihorio à Tiguro diſtat *Horga*, Pagus, & ſupra eum *Käpfnacum*, ubi Vena eſt *Carbonum Foſſilium*, quorum ope in Fornace eum in finem cum craticulis ferreis extructo calx excoquitur intra 12. horarum ſpatium. Item calx eâ cum differentiâ, ut ſtratum infimum Ceſpitum ſit pedale, vel ſeſquipedale; & dehinc tum ceſpites, tum lapides ſine ordine invicem miſceantur. *Horga, Pagus. Käpfnacum. Vena Carbonum Foſſilium.*

Erlibaci vidimus Muſeum D^n^. *Heſſii*, Nummis, tum antiquis, tum recentioribus imprimis memorialibus ſatis inſtructum. *Erlibacum. D^n^. Heſſii Muſeum.*

Extat inter alios STEPHAN PRAUN ALTERS. 28. capite barbato. An hîc fuerit civis Tigurinus ex Nobili Brauniorum Familia & quis, non conſtat. Memoratur de quodam hujus nominis, conſcripſiſſe iter Conſtantinopolitanum. Ab altero hujus Nummi latere ſunt Venus & duæ Cupidines, alter globo innixus.

Raperſuila poſt meridiem contuli me ad Turffi fodinas Rütenſes, viſurus laborum noſtrorum progreſſum, rediique ejuſdem diei veſperâ una cum Societate Raperſuilam.

In Ufnaugiæ Inſula mortuus dicitur 1. Sept. 1523. Eques Francus illuſtris & proſapiâ & doctrinâ, *Huldricus Huttenus*, ibique

Hullrici Hutteni Epitaphium. ibique ſepultus. Epitaphium ejus memorat Wagner. Merc. Helv. p. 34.

Hic eques auratus jacet, oratorque diſertus,
Huttenus vates, carmine & enſe potens.

Nunc autem nec de ſepulchro, nec de Epitaphio quidquam amplius viſitur.

Jona, Pagus. *Jonæ*, qui Pagus haud longè à *Raperſuilâ* diſtat, ara fuit Romana hac inſcriptione:

C. OC. PROVIN.
S. L. D. D. D.

Cajus Octavius Provinus ſtatuit
Locus Datus Decreto Decurionum.

Hæc Inſcriptio non amplius legitur, quoniam ea Saxi pars, quæ illam habet, parieti Templi eſt ſive per incuriam, ſive ſtudioſâ ignorantiâ & ex falſi zeli fundamento applicata.

Raperſuilenſium Status politicus. Statum Raperſuilenſium politicum, ante delineabo, quam ex hoc oppido diſcedo, tanto autem lubentius, quod conditio & ſitus hujus oppidi ingrediatur rationem ſtatus Inclytæ noſtræ Reipublicæ. Gaudebat hæc parvæ quidem extenſionis, ſed momentoſi ſitus Reſpublica ſub ipſis Comitibus Raperſuilenſibus ſuis juribus, quæ illibata ferè ſervavit uſque ad paucos abhinc annos, inde ab A°. 1458. quo Urios, Suitenſes, Subſylvanos ac Glaronenſes in ſuos aſſumſit Protectores, qui nunc jus protectionis penè commutant in Jus Dominii: Non parum certè amiſère oppidi Incolæ de ſua libertate, quoniam oppidum & arcem aperte ſervare tenentur imminentibus periculis, quibus imprimis res agetur inter Cantones Pontificios ac Reformatos, *Rapperſchweil ſol Statt und Schloſs offen behalten, uns (den Schirmorthen) zu gutem.* Magno id quidem fit non Raperſuilenſibus ſolis ſed Tigurinis, & toti Helvetiæ Proteſtanti præjudicio, quandoquidem non abs cauſa conſiderari poteſt hoc oppidum ut lingula vel hypomochlium in Libra Helvetica. Arx ſeu Caſtellum eſt eminenti ſitu locatum, quod occupat Præfectus, *Schloſs Vogt*. Eſt is Civis Raperſuilenſis, electus olim a civitate, à Cantonibus Protectoribus confirmari ſolitus, nunc verò eligitur ab ipſis his Cantoni-

bus



HULDRICUS HUTTENUS,
Eques Auratus.

bus vi Documenti inter illos erecti Fœderalis, *in Kraft des Schirm und Pundt Brieffes.* Quod ſi lites exoriantur inter partes has paciſcentes, dirimi debent ex *Eremi Helvetiorum*, Judicibus conſtitutis numero utrinque æqualibus, *zu gleichen Sätzen*, votis verò ſtantibus in æquilibrio, eligi debet arbiter, *ein Obmann*, ex ipſis Judicibus, qui juramento erga Magiſtratum ſuum liberatur, novoque ad jus dicendum remoto omni partium ſtudio adſtringitur, id quod in aliis quoque Helvetiorum litibus fieri conſueſcit. Imminentibus belli periculis Gubernator Arcis, *der Commendant*, eſt plerunque ex Vicinia petitus *Suitenſis*, nomine quidem Cantonum Protectorum, ſed & eorundem ſumtibus. Fœdus juramento confirmatur inter Raperſuilenſes & Cantones Protectores ſingulis Annorum luſtris in circa. *Senatus* eſt duplex, *Major* & *Minor.* Componitur hic ex 15. viris, incluſo *Sculteto*, *Poligrammateo*, & *Curiæ Adminiſtratore*, *Schultheiſs*, *Stattſchreiber*, & *Groſsweibel*, qui tres quidem animi ſui ſenſa enuntiare poſſunt, ſed tamen nulla obtinent vota: *Majorem* Senatum conſtituunt 24. perſonæ, non numeratis tribus ſupra recenſitis, penes quos tamen, unum nempe ex illis, ſtat vota æqualia dirimendi poteſtas. *Minor* decidit ſine appellatione, liberum tamen ſtat ei, res graves vel intricatas proponere Majori. Uterque, & major & minor, conferunt officia, *ſie beſtellen die Aemter*; minor eligit ſe ipſum, membra nempe quæ ſibi deficiunt. Aſt ſi quæ eligenda veniunt Membra majoris Senatus & judicii Forenſis, fit id junctim ab utroque Senatu. Aſſiſtit major minori in Criminalibus, & ſimul Examini ſubjicit computos reddendos, minor quidem in ſpecialibus, major in generalibus duntaxat. *Judicium Forenſe*, *das Gericht*, decidit lites inter Creditores & Debitores, aliaſque id genus in foro obvias. Omnia alia dirimit Senatus minor. Scultetum eligit Civitas, Poligrammateum & Curiæ Adminiſtrum, uterque Senatus. Antehac fuere Raperſuilenſis liberi in decidendis ſuis litibus, quæ nunc appellando trahi poſſunt ad Cantones Protectores, ut adeo umbra duntaxat Libertatis Raperſuilenſibus remaneat. Facies hæc rerum mutata occaſione belli Toggici, A°. 1712. & libertas oppido reſtituta, ut tranquilli

vivant oves ſub Protectione Cantonum, Tigurini, Bernenſis & Glaronenſis.

Pagus Hurden. Die 10. Septembris Raperſuilâ diſceſſimus per Pontem ad Pagum *Hurden*, qui è regione eſt oppidi, & nomen habet à *Cratibus*, quibus integer ferè Lacus eſt ita angulatim trajectus, ut piſces derivari debeant ad naſſas in angulis cratium poſitas. Sunt in ea Opinione Raperſuilenſes, Lacum olim ſubtranſiviſſe Pontem non integrum, ſed in rivulos diviſum, ut fuerit tunc Pons non unus continuus, ſed plures diviſi. *Pons* hic extendit ſe ad 1850. paſſus, fuitque fabricatus juſſu Archiducis Alberti II. Auſtriæ, & finitus à filiis Rudolpho IV. & Leopoldo III. qui cognomen habuit Probi. Tenentur Raperſuilenſes Pontem hunc, ſicubi deficit, reficere. Quo id autem fiat commodius, vectigal recipiunt tum ab Equis, tum à Peditibus quibuſvis.

Inter *Hurden* & *Altendorff* Sepes ſunt, inter quas via patet, vivæ denſè valde, & eminentiore ſitu plantatæ, quæ inſigni poſſent eſſe obſtaculo aggreſſoribus ex parte Lacus, & Loricæ vicem præbere Suitenſibus.

Supra Pagum *Altendorff*, ubi Parochia eſt antiquiſſima, reliquiæ viſuntur *Caſus Montis*, qui fuſius deſcribitur in Tom. III. *Schweitzer Natur. Geſch.* p. 3.

Vicus ad Lacum. In Vico *ad Lacum*, *Lachen*, qui totius *Provinciæ ad fines*, *der Landſchafft March*, eſt primarius, ſuperbum, & opulentæ urbi magis quam vico proportionatum, extruitur templum. Campanam cingit inſcriptio antiquo Charactere fuſa. EXAVDIVIT DOMINVS ET DISSIPENTVR INIMICI EIVS. PSALM XLIX. ANNO DOMINI 1592.

Provincia ad fines, Landſchafft March. *Provincia* hæc *ad fines* dicta, Ditioni *Suitenſi* eſt innexa, ita tamen, ut ſuis quoque gaudeat Juribus. Vota ſua in Rebus ſtatus colligunt, ut ipſi Suitenſes, convocantque populum ſuum, *die Landsgemeind*, in prato extra vicum primarium ſito, plerunque tamen, ſi non ſemper, ſe ſe conformant cum ſuis Dominis, qui Provinciæ huic præfigunt Theſaurarium, *den Lands Sekelmeiſter*, qui in vico ad Lacum proprium habet delatorem, *Trager* dictum, & Præfecti ſi non titulum, tamen perſonam agit. Provinciam hanc poſſederunt olim Comites Raper-

Raperſuilenſes, poſt circa annum 1315. devenit illa ad Wernerum Comitem Hombergenſem, ab hoc ad Johannem Comitem Habſpurgenſem, poſtea ad Auſtriacos. Tandem A°. 1408. jure belli ad Abbatiſcellanos, & ab his jure donationis ad Suitenſes, reſervatis, ut ante dictum, ſuis juribus. In Confiniis inter Provinciam ad fines, & Glaronenſem ditionem, infra Pagum *Bilten*, examinavi *Ceſpites bituminoſos*, qui triplicis ſunt generis. 1. Graviores luto immixti. 2. Leviores, 3. Mediæ ſortis meliores, quos etiam pro Commercio cum proprietariis ſtabiliendo ſelegi. Stratum ſupremum eſt terreum, ſequitur lutoſum, poſt lutum Turffaceæ materiæ, & ramulis arborum interſtinctum, tandem Turffa ſola.

In Hoſpitio *Balnei Infra-Vrnenſis*, *Nider Vrnen Bad*, fuimus pranſi. Balnei ipſius deſcriptio reperiunda *Tom.* III. *Schweitz. Nat. Geſch.*

Prope Pagum *Nider Vrnen* Pons eſt novus, qui communicationem dat Glaronenſibus ex utraque Linthæ parte Reformatis, qui utrobique alias ſeparati in periculis Belli abſorberi poſſent à Pontificiis, tum Glaronenſibus, tum Suitenſibus, tum Caſtrorum Rhæticorum. *Pagus Nider Urnen.*

Trans Pontem autopſiæ ſubjeci *Ceſpites* alios *bituminoſos*, qui pariter triplicis ſunt generis ut ante recenſiti, mediæ tamen ſortis præſtantiores ſunt & compactiores Biltenenſibus.

In Pago *Ober Vrnen* ſequens legitur memoriale Epitaphium: *Pagus Ober Urnen.*

Ingens ſpes Patriæ, Nob. JOH. ANTONIVS TILLIER, Civis Bernenſis, ejuſdemque Reipublicæ Ducentumvir ab Acidulis Rhætiæ rediens, Navi ad Pontem Lateritium medio ætatis flore eheus ſubmerſus A. 1678. hora 1 poſt merid. hoc ſitus eſt ſub ceſpite.

Vbi

Anima præmiſſa Æther præſtolatur beatitudo, plangentibus imprimis dulciſſimis Conjuge Johanna Friſching, Matre Melit. Eliſabetha Delon cum duobus Filiis Joh. Antonio, & Samuele, & Viris Generoſiſſ. Ampliſſ. vixit A. 29. menſ. 8. dies 8.

Series Pagorum, quos hodie tranſivimus, hic eſt: Raperſuilâ


Hurden $\frac{1}{4}$. *h.* *Altendorff* $\frac{1}{2}$. *Lachen* $\frac{1}{4}$. *Galgenen* $\frac{1}{2}$. *Sibnen* $\frac{1}{4}$. *Schübelbach* $\frac{1}{4}$. *Buttikon* $\frac{1}{4}$. *Rychenburg* $\frac{3}{4}$.	Provinciæ ad Fines.
Bilten $\frac{1}{2}$. *Nider Vrnen Bad* $\frac{1}{2}$. *Nider Vrnen* $\frac{1}{4}$. *Ober Vrnen* $\frac{1}{4}$. *Näfels* $\frac{1}{2}$. *Netſtal* $\frac{1}{2}$. *Glarus* $\frac{3}{4}$.	Ditionis Glaronenſis.


Pro faciliori tum *Liberi Montis*, tum aliorum Territorii Glaronenſis Montium placet præmittere Mappam (vid. TAB. I.) Geographicam ſingularem, confectam a Rev. Dn. *Henrico Tſchudio* V. D. M. Suandenſi Doctiſſimo & amiciſſimo, puta cum Indice omnium Alpium ſeu Paſcuorum Alpinorum, quibus ſingulis additæ ſunt portiones, *Stöſſe* dictæ.

TAB. I.

Mons Liber, Freyberg.

Die 11. 12. Sept. Glaronæ nobis propoſuimus conſcenſum *Montis Liberi, des Freybergs*, qui capita ſua erigit inter Valles binas, *Majorem & Minorem*, & Aſylum eſt non Rupicapris duntaxat, ſed quoque aliis Feris tum Avibus, tum Quadrupedibus, ut nemini licitum ſit ex Glaronenſibus, cum armis hunc montem conſcendere. De eo fuſiùs egi in T. III. *Schweitz. Natur. Geſch.* Impetravimus & nos veniam aſcendendi hunc Montem, tum ut oculis videremus greges integras Rupicaprarum, tum ut Experimenta inſtitueremus Barometrica. Donata autem nobis fuit ab Ampliſſ. Reip. Glaronenſis Præſidibus licentia feriundi unam ex Rupicapris, quo ſic moleſtum miſceretur utili, & utile dulci; Aſſumſimus proin præter alios, qui ſpontè ſe nobis immiſcuere, in ſocietatem noſtram D^{n}. Trümpium Chirurgum & Venatorem unum ex juratis,


TAB I
DELINEATIO
ALPIUM GLARONENSIUM.
Paſcuorumque Alpinorum.
Juxta Obſervationes proprias factas
in Itinere Alpino
A HENRICO TSCHEUDIO, Helv.
Edita
A JO. JAC. SCHEUCHZERO.
LUGD. BAT.
Sumptibus PETRI VANDER AA.
Mill. Helvet.
Elm
DAS KLEINE THAL
Matt
Fillzbach
WALLENSTATTER SEE
Wesen
DAS GASTER
EXPLICATIO.
P. Denotat Portiones. Stösse.
O Ores.



URIENS
Die Linth
Ander Matt
Linthal
Rüti
Bettschwanden
Adlerbach
DAS GROSSE THAL
Schlatt P 45
Rossmatt P. 206.
Klostalden
Die Clonthal
CLONTHALER SEE
Schwanden
Mitlodi
Enneda
GLARUS
Die Lontsch
Netstad
Mollis
Nafels
Ober Urnen
Nider Urnen
Ziegel Brugg
Ober Bilten
Unter Bilten
Reichenburg

Iter 8

tis, ut vocant, *von denen Geſchwornen Freyberg Schützen*, qui aliquot annis pòſt infelici caſu in Montis præcipitio periit, fato Venatoribus Rupicaprarum ordinario.

Bono igitur manè progreſſi per Pagum *Mitlöde* ½. h. vicum Suandam ½. h. in confluxu *Sernftæ* & *Linthæ* ſitum conſcendimus *Montem Liberum*, juxta rivum vel torrentem *Niderenbach*, per paſcua & Juga alpina *Neüen-Hütten*, *Nideren*, *Ennen Sewen gen Aueren*, ubi Experimentum primum fecimus Barometricum mox recenſendum; *beym Attlihütte*, *Ratzmatt*, ubi noctem tranſegimus pro paupertate loci, frigiditate aëris, & Fœni ipſius, quod lecti vice nobis fuit, penuria ſatis incommodam, *Oberen*, *auf der* Matten, *auf Scherff*, *Blattenſtock*, ubi utrobique Experimenta repetiimus. Poſtero autem die, qui fuit 12. deſcendimus per præcipitia varia petrarum fauces anguſtas, & ambages non neceſſarias, deficiente Hodego viarum gnaro *Elmam*, ubi devenimus benè laſſi horâ 2. p. m. Eodem autem adhuc die *Elmâ Mattam*, 1. h. hinc *Suandam* 1. h. *Suandâ* rurſus Glaronam, poſt exantlatos multi ſudoris labores, ubi pernoctavimus.

Die 11. Sept. cœlo ſereno, in paſcuo alpino *Ennen Sewen gen Aueren*, *Montis Liberi* h. 1. p. m. Tubo amplioris Diametri,

Altitudo Barometri totius 23. 10. bis, profunditas Mercurii in vaſe erat 1. dig. ubi quoque in poſterum,

Aër in Tubo relictus.	Altitudo Merc.	Spatia Aëris extenſi.
3	18. 7	13. 6.
6	15. 7½	16. 4.
9	13. 3	18. 7.
12	11. 1½	20. 9.
15	9. 0	22. 9.
18	6. 11	25. 0.
21	4. 11	26. 10.
24	3. 0	28. 10.
27	1. 4	30. 5.
30	2	31. 8.

Die 12. Sept. h. 7. a. m. Cœlo ſereno, ſed vaporibus gravido (veſperi enim larga eſt lapſa pluvia) *auf Scherff*, Jugo editiore Montis Liberi,

Barometri altitudo 21. 8. vacui 10. 3.

Aër in Tubo relictus.	Altitudo Merc.	Spatia Aëris expanſi.
3	17. 6.	14. 6.
6	14. 7.	17. 3.
9	12. 6.	19. 6.
12	10. 5.	21. 6.
15	8. 5.	23. 6.
18	6. 5.	25. 3.
21	4. 7.	27. 1.
24	2. 9½.	29. ½.
27	1. 4.	30. 6.
30	2.	31. 8.

In Monte Libero ſuprà Paſcuum, ubi pernoctavimus, globoſum ferè offendi *Achatem* Pulcherrimum Coloris carnei, qui ferè ad *Chalcedonium* accedit, & alium coloris ruberrimi.

Die 12. Sept. h. 9. a. m. *auf dem Blattſtock, Montis Liberi,*

Barometri totius altitudo 21. 6.

Aër in Tubo relictus.	Altitudo Merc.	Spatia Aëris extenſi.
3	17. 2½.	14. 6 bis.
6	14. 5.	17. 3.
9	12. 4.	19. 6.
12	10. 4½.	21. 5.
15	8. 7.	23. 4½.
18	6. 7.	25. 3.
21	4. 8.	27. 3.
24	2. 9.	29. 0.
27	1. 3.	30. 5.
30	3.	31. 6.

Pagus Elm. In Pago *Elm* vallis minoris, h. 3. p. m. fuit Barometri altitudo 24. 10.

Tiguri in meo Muſæo fuit d. 11. h. 9. a. Barometri altitudo 26. 7¾. & h. 4. p. 26. 7¼. ſumamus 26. 7½.

Re-

Reſpondet itaque pro altitudine locorum ſupra Mare in Tabulis

	Mariott.	Caſſini.
Tiguri	1066.	1132.
In Ennen Sewen	3415.	4278.
Auf Scherff	5437.	7484.
Blattenſtock	5600.	7761.
Elmæ	2544.	3021.

Fuimus ita Tiguro elevatiores

	Mariott.	Caſſin.
In Ennen Sewen	2341.	3146.
Auf Scherff	4371.	6352.
Blattenſtock	4534.	6629.
Elmæ	1478.	1889.

Libertati abſolutæ, quâ Glaronenſis Canto gaudet & alii Helvetiæ, & independentiæ ab omni aliena juriſdictione nil præjudicant 16. fl. ſolvendi quotannis Abbatiſſæ Sekingenſi in monumentum liberationis à decimis, quam obtinuerunt Glaronenſes A°. 1395.

Modus Regiminis eſt purè Democraticus.

Diſtinguitur tota hæc Regio in 15. partes, quas *Tagwen* vocant, ſuntque hæ: *Tagwen.*

1. *Glarus.*
2. *Elm.*
3. *Matt und Engi.*
4. *Enet Lind und Ruthi.*
5. *Lindthal.*
6. *Bettſchwanden, Dieſsbach, Hätzigen und Haslen.*
7. *Nitfuhren.*
8. *Schwanden.*
9. *Soohl und Mitlödi.*
10. *Enneda.*
11. *Netſtal.*
12. *Mullis.*
13. *Näfels.*
14. *Ober und Nider Urnen.*
15. *Bilten und Kerentzen.*

Sin-

Singulæ harum partium ſuis gaudent paſcuis publicis, ſylvis. Singulæ 4. dant Senatores, Glaronâ exceptâ, quæ 6. utriuſque Religionis confert. Emoriente uno reficitur locus à Provincia ſua votis publicis vel ſorte, ut conſtet Senatus totius Regionis, *der gantze gemeine Lands Rath* 62. viris, non incluſis Præſidibus Reipublicæ, & Officialibus. Præſides hi ſunt Landammannus & Proconſul Reipublicæ, *Land Amman und Lands Statthalter*, qui alternatim dignitatibus his funguntur, Reformati quidem per triennium, Pontificii per biennium. Interim verò dum ab una Religione quis eſt Ammannus, adſit ei neceſſe ab altera Proconſul ſive Prolandammannus. Illi competit convocatio Senatorum communium, *der gemeinen Räthen*, huic ſpecialium, *der beſonderen*, ſuæ nempe Religionis: ſed quoque Præſidium in Senatu, quem convocarunt, id quod vocant, *den Stab führen.* Deputantur hi Præſides ad Comitia, vel Conferentias, ut communiter nuncupantur, alias publicas, & ſinguli quidem mittuntur ad Conventus ſpeciales Cantonum aliorum ſuæ Religionis, ut ex. gr. Reformatus Aroviam, Pontificius Lucernam, Suitiam. In manibus Ammanni eſt ſigillum Reipublicæ cum poteſtate eo utendi ad confirmanda decreta: abſente eo ſigillat Pro-Conſul, ſed hoc quoque abſente cum priori traditur ſigillum in manus Landammanni ſuæ Religionis emeriti.

Convocantur Senatores pro ratione Negotiorum Occurrentium, communiter verò diebus Lunæ, & Jovis, & quidem vi juramenti, vel ſub certâ mulctâ, in rebus gravioris momenti convocatur duplex, triplexve Senatus Reipublicæ, quo ſecum ſumunt Senatores ſinguli duos tresve à ſua Provincia ſibi in conſilium & conſortium datos.

Senatui quoque adrogantur præter *Landammannos* emeritos officiales Reip. alii, quales ſunt Vexillifer, Capitaneus generalis, Theſaurarius, Signifer, Præfectus Armamentarii, *der Pannerherr, Lands Hauptman, Lands Sekelmeiſter, Lands Fendrich, Zeugherr*, &c. Habent & Reformati & Pontificii ſinguli ſuum Theſaurarium, & officiales alios, quibus patet æque ac judicibus aliis acceſſus ad Conſilia ſuæ religionis: patet quoque honoris cauſâ Colonellis & Capitaneis, qui caſtra aliena ſequuntur.

Quæ-

Quævis Religio ſua habet peculiaria judicia: *In Judicio quinque, Fünffer Gericht,* deciduntur lites, quæ bona attinent mobilia vel immobilia. Præſidium eſt penes Apparitorem Reip. *Landt Weibel,* qui certâ a 7. partibus controverſis depoſitâ ſummâ, *ein Diken Pfenning,* Judices ſuos convocare tenetur. *Judicium Novem, das Neüner Gericht,* ubi Ammannus vel Proconſul, arbiter eſt primus, *Obmann.* Eo pertinent lites propter Manupretia, prætenſiones propter expeditiones factas in alias Terras, Militiæ ergò, Penſiones, Calumnias, convicia: Coronatis 4. depoſitis convocari debent Judices. Quod ſi perſonæ litigantes ſint diverſæ Religionis, formatur tunc judicium compoſitum ex æquali numero Judicum utriuſque Religionis, ex Quinque Viris ſeu Novem Viris, ita, ut Arbiter ſit ejus Religionis, cujus eſt pars læſa, vel accuſata.

Habent Reformati peculiare ſuum Conſiſtorium Matrimoniale, *Chor oder Ehe Gericht,* quod conſtat 2. Miniſtris Verbi Divini, & 7. Politicis. Præſes eſt Ammannus vel Proconſul. Eliguntur judices de quinque vel novem in Comitiis totius Reip. *auf jährlicher Landsgemeind,* Conſiſtorii verò matrimonialis Aſſeſſores à Senatu. Judicant hi omnes ſine appellatione, aliquando ſub titulo reviſionis coram Senatu additur ſententiæ latæ moderatio quædam, vel dilucidatio.

Convocantur quotannis duo Comitia Ordinaria, *ordinari Landsgemeinden,* ſingula ſuæ religionis, & commune a tota Republica: comparere autem tenetur quivis, qui 16. annos habet, vel tranſgreſſus eſt, armatus gladio: prima convocantur die ſolis ultimo in Aprili, à Pontificiis quidem inter Pagos Netſtal & Näfels, à Reformatis Suandæ, ubi initium fit à concione. Hâc finitâ, & Ceremoniali præmiſſo, in conſultationem veniunt res propoſitæ, & conferuntur officia: ſequenti quidem modo. Sorti exponuntur 8. (pro Landammanni & Proconſulis dignitate duntaxat 3.) duo ex ſuprema, 4. ex media & 2. ex ima Regione (extendit autem ſe ſumma Regio à fine utriuſque Vallis Majoris & Minoris, ad uſque Suandam, media Suanda Glaronam, infimam conſtituunt reliqui Pagi) Proponuntur ex quavis parte viri certi ad dignitatem, ſorti autem traduntur ii duntaxat, qui majora habent vota Eleva- Comitia.

tarum manuum: tandem admittuntur omnes 8, intra coronam virorum mediam, eo autem ordine, quo ſorti fuere inſcripti, recipit quilibet urnam vel ſcatulam nigram (adſunt enim æquales 8. cum incluſis 7. globis argenteis, & deaurato uno) qui deauratum obtinuit, is ſimul cum eo obtinet dignitatem, & ſine morâ juramento adſtringitur.

Comitia Glaronenſibus utriuſque Religionis communia celebrantur primo quolibet die Solis, qui eſt in Majo menſe; tunc autem prælectione factâ ex Codice Reip. fundamentali, *aus dem Landbuch*, juramento uniuntur tum Præſides, tum Populus, *ſie ſchweeren den Land-eid.*

Præter ordinaria hæc Comitia convocatur aliis quoque temporibus ſupremus Magiſtratus, populus, ſicubi occurrunt res gravis momenti.

Leges. Sicuti nulla Reſpublica ſubſiſtere poteſt ſine legibus, ita nec Democratica: adſtringit ſeſe hæc ipſa ad obſervantiam ſupra fidem ſtrictam Legum ſaluberrimarum, quas ſibi pro conſervatione ſua præſcribit.

Litigantibus inter ſe duobus eò uſque, ut deſcendant à verbis ad verbera, adſtantes quilibet ſub juramenti fide tenentur illos ſeparare, & ad quietem diſponere.

Qui alium conviciis laceſſit, is obſtringitur ad reſtitutionem honoris coram judicio Novem virorum, vel etiam perſonis privatis, ſi ſcil. exprobrationis non adſit juſta cauſa. Qui à debitore ſuo fruſtra ſollicitavit ſolutionem, ei permiſſum eſt, ex debitoris bonis æſtimare, quod ſolvendo debito & tertiæ parti pro ſumtibus ſufficit, *er mag ihn durch die Schätzer ſchätzen laſſen:* quod ſi e.g. debitum ſit 2. florenorum, ſeligi debent bona pro tribus.

Spurius ubi naſcitur, ad Matrem ſeſe conferunt cum Senatore quodam Apparitor & Scriba, illi prælegunt Juramenti formulam, & obſtringunt ſeriâ admonitione, ut infante ad lævam mammam appreſſo veri Patris nomen indicet.

Laudabile eſt Glaronenſis Reipublicæ Sancitum circa luſus omnis generis, quibus quis lucrari quidpiam poteſt, vel perdere, ut Teſſeræ, Chartarum, *was den Pfenning gewinnt oder verliert*, excepta bombardæ exploſione ad ſcopum, qua pro

con-

conſtituto pretio ſeſe exercere ipſis eſt licitum: hocce autem modo Politico exercitatiſſimos per totam Regionem faciunt viros in arte explodendi, id quod his monticolis magno eſt belli temporibus commodo contra aggreſſores quoſvis.

Paſcua pleraque alpina, quæ in Monte libero pertranſivimus, ſunt Familiæ *Blumerianæ*, continentque plures quàm 200. *Stöſs*: eſt autem *ein Stoſs*, portio quædam paſcui alpini, quæ ſufficit per æſtatem nutriendæ uni vaccæ, vel ¼. Equi adultioris, vel dimidio Equo anniculo: vel binis bobus junioribus (*ein Halb Rind oder Mäſsrind iſt ein halber Stoſs*) vel vitulis 4. vel 7. Capris vel Ovibus 7. Qui in alpes ſuas ut ut proprias plura pecora ducunt, quam convenit numero *der Stöſſen* (qui Codici Reip. *dem Land Rodel*, eſt inſertus) is vocatur *Uberſtöſſer*, & pecunia mulctatur, fitque propter abuſus plures introductos hoc ipſo tempore, quo Iter noſtrum confecimus, inquiſitio nova & exacta in delinquentes, quæ inprimis uſui venit pauperibus, qui unam vel duas, quas poſſident, vaccas in paſcua alpina per æſtatem certo conducto pretio educunt: nam ſi pecorum major, quam decet, numerus educatur in paſcua, redeunt tantò macriores, quoniam pabulum omnibus non ſuffecit. Inquiſitores ſunt 4. *Alpleider*, vel *Zehler*, qui ſub Juramenti fide & numerant, & à ſingulis paſcuorum Alpinorum proprietariis, horumve Paſtoribus ſeu ſennis petunt delationem ſui pecoris. *Der erſt Uberſtoſs koſtet ein Kronen, der ander zwo, der dritte wird über haupt geſtrafft*, pœnâ arbitrariâ.

Extendit ſe Glaronenſium utriuſque Religionis Numerus ad 3400. viros; excedunt tamen præ Pontificiis longè Reformati. *Glaronenſium Numerus.*

Dominio Glaronenſium Reformatorum ſubeſt Comitatus *Werdenbergicus* cum Dominio *Wartovienſi*; Pontificiis junctim cum Suitenſibus, Dominium Uznacenſe cum *Caſtris Rhæticis* & Dominium *Gamſenſe*: utriſque verò junctim cum aliis Helvetiæ Cantonibus Comitatus *Turgoviæ*, *Badenſis*, *Liberæ Provinciæ*, *Comitatus Sarunetenſis*, & *Vallis Rheguſca*: trans Alpes verò *Præfecturæ Luganenſis*, *Locarnenſis*, *Mendriſiana*, & *Madia*. *Dominium.*

Qui ab his Præfecturis veniunt reditus annui, inferuntur the-

theſauro Reip. multum inprimis confert Comitatus *Werdenbergicus*, à *Gamſenſibus* quotannis veniunt 126. fl. imponitur etiam vectigal ſingulis vaccis, capris, ovibus, aliiſve pecoribus, quæ extra Regionem aliorſum ducuntur. Vectigal ad pontem lateritium, *Ziegelbruck*, quotannis dat 150. fl. quod redundat ex mulctis. &c. id pro delictorum ratione & annorum fertilitate, variat. Penſio annua fl. 6000. quotannis à Galliarum Rege ſolvenda, diſpartitur inter populum.

Glaronenſium Ratio Status. Rationem Status quod attinet, attendendum Glaronenſibus eſt primò ad diverſitatem Religionis & animorum inter ſe, quapropter inter alias leges fundamentales commendant ſibi abſtinentiam à conviciis, probris, & litium promptam juxta ſtatuta deciſionem. Dehinc vicinos ſibi habent Rhætos, Urios, Suitenſes, Provinciam ad Fines, Caſtra Rhætica cum Sarunetibus.

In primario Glaronæ vico, oppidi æmulo, viſundæ ſunt SS. Martyrum Felicis & Regulæ veſtigia à digitis, ut perhibent, Saxo impreſſa, quam Fabulam excuſſi T. III. *Schweitzer Natur Geſch.*

Ægagropilas non in omnibus alpium jugis eſſe obvias, alibi quoque indicavi: Pilas has imprimis in Monte Libero ferunt Rupicapræ, *in der hinteren Sultz in Locherſtock* & *Vorſtegſtock.*

Conſtans eſt ut jucundorum ita triſtium & incommodorum memoriâ: ſunt ædiculæ, ubi pernoctavimus, vel potiùs caſulæ alpinæ, depreſſæ valdè, vix 10. pedes à radice ad tecti faſtigium altæ, ut Labinæ ex alto devolutæ illis ſint innoxiæ, *das die Laüinen über die hütten hinüber ſchieſſen.* Cœterum uti aliæ Caſæ alpinæ illuſtres, *Durchleüchtig*, vento ubique perflatiles: Dormitorio noſtro immediatè ſuberat ſtabulum ſuum.

D. 13. Sept. Glaronâ diſceſſimus per Pagos *Netſtal* ¾. h. *Mollis* 1. h. *Weſen* 1. h. cœlo pluvioſo, montibus à nubibus undique circumvallatis.

Innexum eſt hoc oppidum Lacui Rivario ad occidentem adſitum, pro tranſitu perneceſſarium, Præfecturæ Caſtrorum Rhæticorum, ſuis tamen ſpecialibus gaudet privilegiis.

Veſe-

Veſenæ h. 12. die 13. Septembris ſucceſſus hic fuit Experimenti Barometrici. *Veſena.*

Aër in Tubo relictus.	Altitudo Merc.		Aër expanſus.	
3	19.	11	12.	1.
6	16.	8	15.	3.
9	14.	3	17.	8.
12	11.	11	20.	0.
15	9.	8	22.	3.
18	7.	6	24.	5.
21	5.	3	26.	8.
24	3.	3	28.	8.
27	1.	6	30.	5.
30		3	31.	8.

Barometri altitudo 26. 7½.

Tiguri fuit in meo Muſeo 26. 6¼. ante & 26. 6¼. poſt meridiem, juxta quem calculum foret Veſena profundior Tiguro, quod tamen non eſt, ut proin differentia quærenda ſit in Tubis.

Veſenâ intendebamus priùs viam noſtram in Toggium proſequi per Montes pago *auf Ammon* inſitos, ſed abſterrebat temporis pluvioſi incommodum, & viæ pro Equis tum anguſtæ, tum lubricæ, tum præcipitis periculum.

Selegimus ita *Lacum Rivarium, den Wällenſtatter See*, cujus ſitum & alia notatu digna de ventis periodicis eum perflantibus &c. delineavi T. I. *Scheitzer Nat. Geſch.* p. 26. tanto autem citius, quoniam ventus ſpirabat ſecundus, cujus beneficio transvecti *Valenſtadium* fuimus ſpatio ¾. hor. quod alias menſuratur 4. horis. *Valenſtadium.*

Haud procul à Portu Valenſtadienſi vidimus officinam ferrariam fabricandis clavis deſtinatam, ubi commodo artificio follis vicem præbet ad ignem ſuſcitandum aqua per Tubum ligneum delabens, Aërem in Tubo tranſverſim jacente pellens ad Focum.

Valenſtadio hac veſperâ ulterius progreſſi juxta Pagum *Tſcherlach* radicibus Montium adſitum, quem liquimus ad ſiniſtram ¼. h. per *Berſchis*, qui ½. hora ab oppido diſtat. Noctem

autem tranſegimus in ædibus Nob. D^{n}. Landammanni *Goodii* in Pago *Flums*, ad *Flumina*, qui horæ ſpatio abeſt ab oppido *Wallenſtatt*.

Pagus Flums.

Inter Oppidum & *Flums* locis uliginoſis, *auf den riedteren* ſunt paſſim *aquæ ſulphureæ*.

In Pago hoc *Flums* fundunt D^{n}. *Goodii*, à quibus multa humanitatis haud vulgatæ recepimus teſtimonia, chalybem ita, ut ex prima venæ fuſione ad Lacum Rivarium Murgæ peractâ, quæ *Roh Eiſen* vocatur, alterâ vice fundant *Miggelen* q. d. miculas, & tertiâ fuſione prodeant *Maſſelen*, i. e. *maſſulæ*, in forma Priſmatum Tetragonorum, quorum Diameter in circa eſt dimidii digiti. In his Priſmatibus chalybeis conſpicitur ſæpe macula rotunda nigricans, *Roſa*, *die Roſe*, ab operariis dicta: hanc autem Chalybem præ alia ſeligunt quidam Fabri.

D. 14. Sept. Comite humaniſſimo noſtro hoſpite D^{n}. Landammanno *Goodio* profecti ad Fodinas per *Halbmeil* ½. h. *Gurtnatſch* ½. h. *Heiligen Kreutz* ½. h. *Sargans* ¼. ad fodinas ipſas, ad quas bihorii ferè eſt aſcenſus ex oppido Sarunetum. Trecentorum ferè paſſuum ingreſſus eſt per cuniculos è ſaxo excavatos ad interiora fodinæ: ubi binis locis nunc effoditur vena, uno in loco *vena rubra*, *roth Ertz*, cui ſuperincumbit *nigra*, *ſchwartz Ertz*, illa pedum 1½. hæc 2. vel plurium: altero in loco rurſus in imo *vena rubra* ped. 1½. & ſupra eam *meli*, pedd. circiter 4, nam ex trium harum venarum, *Roth*, *Schwartz*, *Meli* commixtione paratur Chalybs. Inclinatio Strati eſt ab Oriente ad Occidentem. Vena ipſa in fodinis cogitur igne, quem ſerâ veſperâ accendunt foſſores.

Supra Fodinæ oſtium in Petra eſt elegans *Selenites Romboidalis*, Plinii meusque *Androdamas*: de quo *Dialogum* ſcripſi inter C. *Plinium* & Cl. *Salmaſium*, qui reperiundus eſt in *Bibliotheque Choiſie* Tom. XVII. p. 192. & *Meteorolog. Helvet.* p. 139. Initio ferè fodinæ ſtillat *Aqua* frigidiſſima & ſaluberrima, magno ſitientibus foſſoribus ſolatio & commodo: non enim quidquam inde ſentiunt moleſtiæ, quantumcunque inde bibant.

In intima fodina experturus Aëris ſubterranei Qualitatem, 300. circiter paſſibus ab oſtio inſtitui Experimenta Barometrica, cœlo foris exiſtente ſereno. Baro-

Barometri altitudo erat 24. 4. & 24. 3.

Aër in Tubo relictus.	Altitudo Merc.		Aër expanſus.	
3	18.	9.	13.	1.
6	15.	9.	16.	1.
9	13	5.	18.	5.
12	11.	3.	20.	7.
15	9.	1.	22.	9.
18	7.	0.	24.	10.
21	4.	11.	27.	0.
24	3.	0.	28.	10.
27	1.	4.	30.	6.
30		3.	31.	6.

Extra venam ſub dio eandem altitudinem obſervavi Mercurii in Barometro integro, item in 3. & 9. digitis Aëris in Tubo relicti. Plura ob temporis brevitatem experiri non licuit, neque etiam neceſſe judicavi propter conformitatem trium caſuum. Sed ſilentio præteriri non debet, Aërem in intima Fodina, ubi Experimenta feci, fuiſſe ob ignem præterito die accenſum rarefactum, & locum veluti calefactum.

In Oppido *Sargans* fuit h. 3. p. m. Altitudo Barometri 26. 5. Spatii vacui 5. 5. *Tiguri* 26. 8. *Oppidum Sargans.*

Reſpondent pro altitudine ſupra Horizontem Maris in Tabulis

	Mariott.	Caſſin.
Tigurum	1034.	1096.
Sarganſium	1234.	1330.
Fodinæ Chalybis	2975.	3630.
	3048.	3735.

Ut juxta hunc Calculum altiores forent Tiguro

Fodinæ	1941.	2534.
	2014.	2639.
Sargans.	200.	234.

Hujus diei veſperâ iter noſtrum proſecuti venimus *Wartoviam*, *Wartau*, Pagum inſertum ſatis cognitum, Præfecturæ *Sarunetum* occaſione motuum, qui ante annos aliquot fermè *Wartovia.*

mè in apertum inter Reformatos & Pontificios Cantones eruperunt bellum. Diſtat Wartoviâ ab oppido Sargans 1. h.

D. 15. Sept. Mons, qui Venæ Chalybis Sarunetanæ eſt impoſitus, vocatur *Belfris;* paſcua ejus ad Wartovienſem Parochiam pertinent. Nomen hoc eſt antiquum Rhæticum, cujus generis plura adhuc in his Regionibus reperiuntur, ut in Comitatu Werdenbergico, Dominio Gamſenſi, Præfectura Saxenſi, Valle Rheguſca, e. g. *Prada Strada*, i. q. *Pratum, Stratum*, locus in diſtrictu Wartovienſi, *zu prend eſſen, prandere, ruppen*, q. d. rupes, montis, qui Palæopoli imminet, ſummum ferè jugum, &c.

Wartoviâ hodie digreſſi iter continuavimus per pagos *Sevelen* h. 1. *Räſis* ¹. *Buchs*. *Werdenberg* h. 1. *Grabs* ¼. *Gams* ½. *Sax* ½. *Frümſen* ½. *Forſteck* ½. ubi Baronum de Sax antiqua, nunc Præfecti Tigurini eſt ſedes. Nunc Præfecturâ fruitur Dⁿ. Wolphius, qui multa nos excepit humanitate. Eſt hæc arx undique ſylva cincta, eminenti ſitu locata, & contra primos hoſtium inſultus muris & Vallo cincta, inſuper Armamentario inſtructa, in quo adhuc viſitur Baronis cujuſdam de Sax Armaturâ Ferreâ cum Lancea, qua uſus fuit in decurſoriis. Vidi quoque baculum magicum è ferro bicornem.

Forſteck.

Dimidiâ horâ ab Arce profluit ex Rupe rivus, de quo perhibent, trahere eum originem ſuam ex Lacu Alpino *Diſſentiſſer See*, in Paſcuis Abbatiſcellani montis Gamor conſpicuo.

In ſylva propè *Forſteck* eſt *aqua ſulphurea*, & alia prope pagum *Sax*.

Memoratu eſt dignum, & Præfecto loci inprimis pro Oeconomia ſcitu neceſſarium, pecora, quæ in ſylva Arcis & pratis vicinis educantur, in pagis vicinis benè vivere, & pinguefieri: alia è contra, quæ aliunde ex viciniſſimis Pagis Sax & Sennwald in Præfecti terras advehuntur, brevi emori. Rationem pertendunt ex Ruſticis loci quidam, quod Præfecti pecora in ſylva multa veſcantur Fragaria, quæ ipſa reddat ſalubriora, ut alibi quoque vitam ſervare queant; alii, quod quæ in paludoſis primum nutrita ſint locis, poſtea in ſylvis non facilè vitam ſanam protrahere poſſint.

Po-


Le Château de FORSTECK, en Suiſſe.

Poſteaquam prandium in Arce ſumſimus, Iter proſecuti per *Sennwald* ½. h. ubi Baronatus prima olim fuit Parochia: *In der Lientz* ¼. h. *Rüti* ¼. (qui primus Vallis Rheguſcæ pagus Pontificiæ Religionis) *Hirtzen Sprung* ½. ubi tranſeundum per fauces rupium anguſtas: *Kobelwald* ½. *Kopelwies* ½. Oppidum *Altſtetten* ½.

In templo pagi *Sennwald* depoſita ſunt Baronum de Sax veterum corpora. Monumentum ſequens parieti Muri inſcriptum legitur Authore Dn. *Eckenſteinero* Paſtore loci. *Pagus Sennwald.*

Numina dextra colens luſtras ſi fortè viator,
Quas tegat exuvias pyramis iſta lege.
Huc ſibi delectus ſocios Heroes ab Alto
Saxo Mars Pallas compoſuere ſuos.
Vlrichum Belli Peſtem fulminemque Philippum, 1594.
Qui Pedemontana clade Trophæa tulit 1564
Atque Reformata Duce Chriſto Religione 1585.
Romani cultus monſtra peroſus obit.
Johannemque manu, promptum, ingenioque Philippum 1577.
Belgarum ductor qui duo luſtra fuit 1575.
Electoralis quoque Conſiliarius Eheu 1596.
Deſecet in cauto tempora pulchra nepos.
Cuncta madent Lachrymis, nihil illis triſte receptis
Mitia fata tibi culte viator erant.
B. E. T. P. 1599.

Palæopoli pernoctavimus in Ædibus Rev. Dni Paſtoris *Fæſii*, qui præter alia humanitatis haud vulgatæ teſtimonia nos craſtino manè comitabatur ad cacumen uſque præcipitis valde & ſaxoſi montis, uſque ad Abbatiſcellanorum Confinia. *Palæopolis.*

D. 16. Septembr. Palæopoli diſceſſimus, & horam conſumſimus aſcendendo, & à cacumine montis venimus *Trogam*, qui Pagus Abbatiſcellanorum Reformatorum primarius bihorio diſtat à Palæopoli. Hîc prandium ſumſimus in Ædibus Nob. Dn. *Zellwegeri* Reip. Theſaurarii, ibique Experimenta fecimus Barometrica. Hinc bihorio venimus *Sancto Gallum* per Pagum *Zum Speicher*, qui ¾. h. à Trogâ diſtat. *Troga, Pagus.*

Die 16. Sept. *Trogæ* Abbatiſcellanorum cœlo nubilo, Imbribus inquietato, h. 11. Barometri altitudo 25. 1½.

 Aër

Aër relictus.	Altitudo Merc.	Aër expanſus.
3	19. 1½.	12. 9.
6	16. 2.	15. 9.
9	13. 7½.	18. 3.
12	11. 7.	20. 3.
15	9. 3.	22. 8.
18	7. 1½.	24. 8.
21	5. 1½.	26. 8.
24	3. 1½.	28. 7.
27	1. 4.	30. 1.
30	1.	31. 10.

S. Gall. *Sancto Galli* vidimus Bibliothecas tum publicam Civitatis, tum Principis ſeu Abbatis: utrobique notabilis eſt numerus MSC. In Civica quidem eminent MSS. varia tum Hiſtorica, tum Theologica *Joachimi Vadiani & Schobingeri.*

In Cœnobiali Codices antiqui Biblici, Miſſales, Patrum. Inter alia Vadianiana MSC. eſt *Almangovia* à Dn. *Chriſtiano Hubero* in vita *Vadiani* memorata, quæ judice Rev. Dn. Paſtore *Scherero* Vadiani non eſt. Adſunt præterea,

Auctore *Melchiore Mittelholtzero,* Index rerum & Geſtorum, quæ 12. Tomos Epiſtolarum Miſcellanearum à variis Auctoribus & inprimis Eccleſiarum Reformatoribus ab A°. 1495. ad Aum 1630. exaratarum 1692.

Crocodilus 17. pedum.

Vadianus & Lutherus in Anamorphoſi optica. Alcorani fragmentum Mauritanico Charactere. Numus aureus cavus Gothicus, quales vulgo *Regenbogen Schüſſelin* vocant.

Apis Ægyptiorum æreus.

Machina ſeu pluteus verſatilis pro Librorum commoda locatione & verſatione utilis: deſcribitur ea in libro Capitanei *Auguſtini Ramelli*, cui titulus: *Le diverſe & artificioſe Machine* &c. Parigi. 1588. f. & quidem p. 317.

Stalactitæ Tofacei fragmentum ex Pago Rorbas Tigurinæ ditionis, quod pro armo bovillo petrificato, parùm abeſt, monſtrant.

In


La Ville de St. GAL en Suiſſe.
A. Couvent du Prince.
B. Egliſe Cathedrale.
C. St. Laurent.
D. Hôpital.
E. Maiſon de Ville.
F. Magazin du Blé.
G. Boucherie.
H. St. Mangen.
I. St. Catherine.
K. Le Poids.
L. Bruel Thor.
M. Blatz Thor.
N. Schibens Thor.
O. Muolter Thor.
P. Grün Thurn.
Q. Muller Thor.
R. Spiſer Thor.
S. Arſenal.
T. Des Abts Thor.
V. Schuhauſe.


Le Bourg
D' HERISSAW,
en Suiſse.
Brulbach flu

In Bibliotheca Principis,

Codex Pſalmorum in Cortice.

Codicillus, ubi ſtylo ſunt ceræ inſcripti characteres Romani.

Numus, cujus ab una parte ΑΡΤΕΜΙΣΙΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. Caput Reginæ: ab averſa ΜΑΥΣΩΛΕΙΟΝ Mauſoleum.

Globus ingens fabricatus & donatus à *Luca Stöckle* Pharmacopæo Conſtantienſi & *Suſanna Freitag* Conjuge 1595. d. 18. Oct. occaſione belli Toggici translatus Tigurum, ubi ornat Bibliothecam Civicam.

Ovum Galli Gallinacei, quod depoſitum dicitur 1698. d. 21. Jul. ad *D. Georgium, zu St. Jörgen.*

Novum Teſtamentum Græco Latinum manu *Notkeri Balbuli* in Pergameno.

Codices MSC. ſunt in univerſum 1004. occaſione Belli Toggici partim ab Abbate aſportati, partim Bibliothecis Tigurinæ & Bernenſi inſerti.

D. 17. Septembris à Meridie Sancto Gallo diſceſſimus *Heriſoviam* petituri. In media via eſt Pagus *Brucken*, horæ ſpatio & à S. Gallo, & à vico Heriſovia diſtans. Inter Brucken & Heriſoviam tranſitur Pons *Sitteræ*. Heriſoviæ noctem tranſegimus. *Heriſovia.*

Heriſoviæ d. 17. Sept. h. 6. p. cœlo pluvioſo Altitudo Barom. 24. 5½.

Aër relictus.	Altit. Merc.	Aër expanſus.
2	19. 2.	9. 0.
5	15. 0.	12. 4.
8	13. 2.	15. 2.
26	5.	26. 11.

Tiguri fuit tunc Barometri altitudo 26. 4¼.

Reſpondent in Tabulis	Mariott.	Caſſin.
Pro Heriſovia. Abbatiſc.	2867.	3560.
Pro Tiguro	1301.	1330.
Differentia altitudinis	1566.	2230.

D. 18. Sept. Circa Meridiem, poſt finitam concionem, *Heriſoviâ* digreſſi vidimus primum & delineavimus Arcis Roſenburg ¼. h. diſtantis rudera TAB. II. ubi latè patet in Ab- *Arx Roſenburg.* TAB. II.

 batis

batis Provinciam veterem, *die Alte Landtſchafft*, *Toggium* inferius, & *Turgoviam* proſpectus.

Toggium. Hinc per Pontem *Schwembergenſem*, *die Schwemberger Bruck*, & pagum hujus nominis trajecimus in *Toggium*, viſuri hanc, de qua tot inde à multis annis ſermones ubique miſcentur, Regionem, imo & ſubſidio Pyxidis Magneticæ delineaturi, & Mappam ex collectaneis confecturi.

Schwarzenbach. Hac veſperâ venimus *Schwarzenbach*, ubi noctem tranſegimus; progreſſi per Pagos

Auf der Eck ¼. h.
Burgau ¼.
Oberglatt ½.
Flaawyl ¼.
Niderglatt ¼.
Watt ¼.
Niderutzweil ¼.
Hänau ¼.
Niderſtetten ½.
Schwartzenbach ¼.

Lichtenſteig. D. 19. Septembr. Iter proſecuti venimus *Lucis Steigam*, *Liechtenſteig* & ultrà per Pagos

Jonſchweil ½. h.
Lütiſpurg ½.
Thierhag ½.
Pittſchweil ¾.
Dietfurt ½.
Langenſteg ¼.
Liechtenſteg ½.
Wattweil ½.

Cappel 1. ubi pernoctavimus in Societate Nob. Dn. *Stægeri* Medici, qui juſſu conſilii primarii Reipublicæ nos comitabatur uſque ad ſcaturigines *Thuræ*, & hinc nobiſcum Lucis Steigam redibat.

D. 20. Sept. Iter proſecuti per
Krummenau 1. h.
Sidwald Neu St. Johann. ½.

Neſſ-

ROSENBURG.



Iter 8.



Neſſlau ½. h.
Zum Stein 1.
Starkenbach 1.
Alt S. Johann ½.

Confluxus utriuſque *Thuræ albæ*, ſcil. *der Weiſſenthur*, & eius quæ κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicitur.

Hinc retrò ad oppidum *Leichtenſteig* 6. h.

Im Tieffen Töbelin inter Pagos *Neſſlau* & *Stein* fuit A°. 1621. Sclopeti ictu interfectus *Joh. Ledergerwer* officialis Abbatis, qui ſeſe rigoroſâ tractatione Toggiorum reddidit exoſum. Monumentum ſequens ei erectum.

ANNO
1621. d. 9. Tag NOVEMBRIS ZW
IS HEN 9. UND 10. UHR DES TAGS IST
HAVPTMAN HANS LEDERGERW
MORDERISCHER WEIS ERSCHOSSEN
WORDEN.
DER SEEL,
GOT GNAD.

D. 21. Sept. Porrò per
Langenſteg ½.
Dietfurt ¼.
Pittſchweil ½.
Moſnang ½.
Friedlingen ¼.
In Treyen ¼.
Bunnen ¼.
Tobelaker ¼.
Fiſchingen 1. Turgoviam, ubi pernoctavimus.

Abbas Monaſterii nunc eſt *Franciſcus Troger von Vri.* 1687.

Prædeceſſor fuit *Joachimus Seiler*, origine Wylenſis, ſcriptis multis ſacris in lucem editis celebris. Eorum Catalogum collegi & collectaneis meis inſerui.

Kyburgum. D. 22. Sept. pervenimus Kyburgum, ubi noctem tranſegimus, humaniſſimè excepti & opipare tractati à viro Literis, Proſapiâ, conſiliis & actionibus Ill[i]. D[no] ***Joh. Rudolpho Eſchero***, Comitatui nunc Præfecto digniſſimo.


Die 23. Sept. Per Pagos
Ettenhauſen $\frac{1}{4}$. h.
Billikon $\frac{1}{4}$.
Grafſtall $\frac{1}{2}$.
Tagelſckwang $\frac{1}{4}$.
Dietlekon 1.
Rieden $\frac{1}{4}$.
Walliſſellen $\frac{1}{8}$.
Schwamendingen $\frac{1}{4}$.
Tigurum 1.

Tiguri ſani per DEI Gratiam & incolumes rurſus appulimus.

Iter hocce quoniam ſuſcepimus Toggici Comitatus gratiâ, & Experimentorum Barometricorum, haud abs ſe erit, brevem ſubjungere Toggii Statum præſentem.

TOG-


KYBVRG, en Suiſse.
Toß flu




ALTE LANDSCHAFT
THURGEU
VII und X ALTEN OHRTEN
Wyl
Schwarzenbach
Fischingen
Lichtensteig
Wesen
WALLENSTATTER
Explications
Petite Ville de la Religion Catholique
Petite Ville de deux Religions
Village de la Religion Reformée
Gros Village
Village de la Religion Catholique Romaine
Village des Religions Mêlées
Cloitre
Château
Maysons ou Metairies Dispersées
Bain
Chemin étroit dans les Montagnes


NOUVEAU TOGGENBOURG
A LEIDE, Chez PIERRE VANDER AA
LE PAIS DE
TOGGENBOURG,
Desſiné par
MONSR. JEAN JAQUES SCHEUCHZER,
M.D. et Profeſſeur en
Mathematique
Trois Heures
ZURICH
Gams
SCHWEIZ
und
GLARUS
Grabs
Werdenberg
Gossau
Herisau
Wallenſtatt
SARGANS
VII ALTEN OHRTEN
Sargans



TOGGICI COMITATUS DESCRIPTIO.

Magni in Helvetia momenti eſt *Toggium*, *Comitatus Toggicus*, *die Grafſchaft Toggenburg*, ſive Populum ſpectes, ejusve numerum, qui Regionem hanc inhabitat, ſive Qualitatem Soli, ſeu Diſpoſitionem Territorii, ſive denique Vicinos Populos. TAB. III.

Ad Septentrionem nempe ſiti ſunt utriuſque Religionis *Abbatiſcellani*, qui junctim decimum tertium conſtituunt Cantonem: Pontificii quidem *Extra Rodani*, *Uſſer Roden*, dicti a ſummo Toggio, ubi id Baronatui Saxenſi eſt confine, ad mediam circiter Provinciam ſuperiorem Toggii, jugis altiſſimis, & ferè inſuperabilibus diſterminantur à Toggiis. Reformati verò *Intra Rodani*, *Inner Roden* dicti, indè à confiniis Extra Rodanorum uſque ad limites Provinciæ Sancto Gallenſis veteris, per juga paulò mitiora, ſed tamen difficulter ſuperabilia, & Glattæ Fluvii partem disjunguntur. Ad hos Reformatos nempe Abbatiſcellanos tranſitus patent. 1. Ex Pago *Dägersheim* per pontem *Schwembergenſem*, *Schwemberger Bruck*, *Schwembergam* ipſam & *Heriſoviam*. 2. Per Pagum *Petroçellam*, & *Diken* ad Pagum *Schwelbrunn*. 3. Per *Petrocellam Hemberg* ad vicum *Urnäſch*, & hinc demum *Abbatiſcellam*, *Appenzell*, qui Pontificiorum eſt primarius. *Toggiorum Vicini, Abbatiſcellani,*

Tigurini ab *ortu* & *occaſu* Toggiis ſunt contermini: ab occaſu cum notabili ditionis Tigurinæ parte, ſpeciatim vero Præfectura Groningana. Tranſcunt autem limitaneæ lineæ per juga *Hörndli*, ubi 4. Juriſdictiones in uno Lapide coëunt, Tigurino Groningana, Tigurino Kyburgenſis, Turgoia, & Toggica; porrò *S. Gallen brunn*, *Hulſteck*, *Schnebelhorn*. Suntque limites hi inter *Turgoviam* & *Utznacenſes* medii. Ab ortu angulo valde acuto Toggio jungitur *Baronatus Alto Saxenſis*, in Præfecturam redactus, & nominatim *Tigurini, Præfectura Groningana, Baronatus Alto Saxenſis,*

qui-

quidem in paſcuo alpino, *die Saxer Alp* dicto: inter Abbatiſcallanos Pontificios & Gamſenſes etiam Pontificios medio, ita tamen, ut non pateat niſi per juga ferè inſuperabilia, acceſſus, uti quoque ex Tigurino Groningano Territorio non aliæ patent ad Toggios, quàm montoſæ viæ, ſpeciatim *vom Stäg uber die Hulſteck*

Abbas *Sancto Gallenſis*, quâ Dominus *Provinciæ* ſuæ *Veteris, der Alten Landſchafft*, Toggios imos cingit, diſterminante *Glattâ*, inde ferè à *Goſſovia* & *Ober Glatt*, ad *Pyram* uſque *ſuperiorem*, *Ober Büren*, ubi Glatta influit Thuram: hinc autem utroſque diſtinguit *Thura*, ad Pontem uſque *Schwartzenbacenſem*. Terra hic ſatis eſt mitis & depreſſa, acceſſus tamen difficiles reddunt ipſa Flumina intermedia; quapropter alicujus momenti ſunt Pontes *Brübacenſis*, *die Brü-bacher Bruck*, qui *Niderglattam* ducit, alius qui *Oberglatta Goſſoviam*, & *Schwarzenbacenſis*, *die Schwarzenbacher Bruck*, qui impedire poteſt irruptiones in maximam imi Toggii, Thuram & Glattam interjacentis partem, ſed quoque eas, quæ ex dextrâ Thuræ parte ex Pago Rikenbach intenderentur verſus Pagos *Batzenheid*, *Lütiſpurg*; conferente multum Arce *Schartzenbach*, ſitu reſpectu Thuræ, & Regionis trans Thuranæ eminentiore locata, cujus proſpe-
TAB. IV. ctum ſiſtit TAB. IV.

Turgovia, *Turgovia* Toggio eſt confinis inter *Fiſchingam* Pagum atque Cœnobium, & Pagum *Kilchberg*, mediantibus jugis & ſaltubus: lineâ à Confinio Turgoviæ & Provinciæ Veteris dicta ad ſummum montis *Hörndli* jugum.

Caſtra Rhætica, *Caſtra Rhætica* cum *Dominio Utznacenſi*, *Gaſter und Herrſchafft* Utznach longâ ſatis inde à Tigurina Ditione ad Sarunetes protenſa, montium catenâ diſterminantur à Toggiis. Tranſitus patent, licet non faciles, & facile impediundi 1. Ex *Valle* Utznacenſium *Goldingenſi*, *Goldinger- Guldener- Thal*, per montem *Creutzeck*, minus tamen uſualis. 2. *Uber die Lad.* 3. *Durch den Hummelwald.* 4. Ex Pago *auf Ammon*, ſupra Veſenam ſito, *uber den Ammerberg* in Toggium ſuperius, *auf Alt- oder Neu-St. Johann*, qui tamen ipſe eſt perdifficilis; & inprimis Equis per paſcua alpina, &
anguſtos

SCHWARZENBACH.



Iter 8.



anguſtos tractus ducendis, vix ſuperabilis. Pertinent autem Caſtra Rhætica cum Dominio Utznacenſi ad Suitenſes, & Glaronenſes Pontificios.

Sarunetanus Comitatus, *die Grafſchafft Sargans*, Dominio VII. Pagorum veterum ſubjecta Toggio ſuperiori ad meridiem ſita, altiſſimis & inviis prorſus jugis eſt ſeparata. *Sarunetanus Comitatus,*

Werdenbergicus Comitatus, *die Grafſchafft Werdenberg*, Juriſdictioni Glaronenſium Reformatorum parens, ab ortu Toggios tangit, mediantibus jugis, licet perviis, quibus ad Pagum *Wildenhaus* datur tranſitus. *Werdenbergicus Comitatus,*

Gambſenſe Dominium, *die Gambſer Herrſchafft*, à Suitenſibus & Glaronenſibus Pontificiis dependens, inter Werdenbergicum Comitatum, & Præfecturam Saxenſem medium, pariter ab Ortu Toggio ſupremo eſt conterminum; viâ montoſa patente ex Pago *Wildenhàus* ad vicum *Gambs*. *Gambſenſe Dominium.*

Longitudo totius Regionis protendit ſeſe à Septentrione verſus Meridiem & ortum, a Ponte Schwartzenbacenſi ultra Pagum Wildenhaus, ab imo Toggio ad ſummum ad 10 ferè horas, vel 5. Milliaria Germanica; *Latitudo* plerunque circiter ad 3. vel 4. horas. *Comitatus Toggici Longitudo, & Latitudo.*

Diſtinguitur Comitatus in Provinciam *ſuperiorem* & *inferiorem*, *in das undere und obere Ampt.* *Ejus Diviſio.*

Superiori innexum eſt I. oppidum *Liechtenſteiga*, *Liechtenſteig*, *Liechtenſtein*, ubi convocari ſolet Conſilium totius Toggii, *der Landrath*, & judicari res criminales, appellationes aliæque gravis momenti. Reſidebat hic olim Principis nomine Præfectus. In Civilibus judicatum ſemper fuit à Senatu Liechtenſteigenſi, cui Scultetus præſidet. Fuit olim hoc oppidum, in medio ferè Toggio commodè ſitum, ſedes Domeſticorum ſeu Aulæ Comitum, qui inhabitabant Arcem *Neu Toggenburg* ſupra Oppidum & Pagulum *Waſſerflu* eminenti ſitu locatam: ſita eſt autem hæc arx in Communitate *Neccarina*, *im Neckerthaler Gericht*, & deſtructa fuit, Stumpfii judicio, A°. 1083. ab Huldrico Abbate Sancto Gallenſi, qui origine fuit Princeps Carinthiæ. Religio eſt hic utraque, Reformata ac Pontificia. Inſignia Oppidi ſunt albo rubra perpendiculari linea diſtincta. Arcis verò *Neu Toggen-* *Provincia ſuperior. Oppidum Liechtenſteig. Arx Neu Toggenburg.*

burg inſignia ſunt Moloſſus Anglicus niger lingua rubra, & millus coloris Ferruginei. Hic Moloſſus Anglis *Dogg*, vero ſimiliter Regioni primam nominis *Doggenburg* originem dedit, niſi fortè cum Celeberrimo quodam noſtræ urbis Theologo & Hiſtorico derivare velis à *Tucconia*, *Tucken*, Pago ad ſummum Lacum Tigurinum ſito, antiquiſſimis Hiſtoricis Walafrido Strabo, qui vixit circa A.um 614. Raperto Thurcgienſi, qui vixit circa Aum 880. memorato, qui ſaltem ſerioribus temporibus Comitum Toggicorum fuit.

Toggium unde denominatum.

Vallis Thuræ.

II. *Vallis Thuræ*, *Thurthal*, *Turthal*; quo quidem nomine generali veniebat olim, & juſto titulo integer Comitatus à Thuræ origine uſque ad oppidum Wilam flumine irriguus. Κατ' ἐξοχὴν vero Provincia ſuperior, *das Obere Ampt*, excepto oppido, totum nempe ſuperius Toggium, quod inde à Liechtenſteigâ ſeſe protendit, ad uſque confinia Orientalia.

In hac Thuræ Valle ſunt Communitates ſequentes. *Gerichte*, *und Gerichts Gemeinden*. 1. *Vallis Thuræ* ſtrictiſſimè dicta *Thurthal*.

Huc pertinent Pagi ſequentes, *Krummenau*, *Enetbüel*, *Sidwald*, *Winterſperg*, *Plomberg*, *Buel*, cum ædibus in vicinia diſperſis, *Niderhauſſen*, Schlatt: Prope Enetbüel ſunt quoque rudera Arcis.

Wattweil, Pagus.

2. *Wattwyl*, *Wattweil*, Pagus horæ ſpatio diſtans à Liechtenſteiga verſus Meridiem loco amœno, prope quem congregari ſolent Comitia Toggica, *die Landsgemeind*. Ad hanc communitatem pertinet *Cappel*; porrò Arx munitiſſima *Yberga*, *Yberg*, ædificata primum circa A.um 1262. à Nobili *Hartmanno ab Yberg*, quæ brevi poſt in poteſtatem devenit Comitis Craftonis de Toggenburg, & hoc Comite prope Vitodurum ſuperius per ſicarium occiſo, in manus Abbatis Sant Gallenſis, jure donationis factæ ab ipſo Hartmanno Proprietario, quo facto periit ſimul nova Arci huic impoſita appellatio *Crafftburg*. Rediit quidem vi armorum rurſus ad Comites, & ab his ad Abbatem Berchtoldum. Sub Guilielmo Abbate, qui è Montfortiana fuit Familia, occupata fuit hæc ipſa arx à Rege Rodolpho Habſpurgenſi, & A°. 1405. ab Abbatiſcellanis

Yberga, Arx.

&



YBERG ex parte Occidentali.



Iter 8.

YBERG ex parte Orientali.





YBERG ex parte Septentrionali.

TAB. VII.



Iter 8.




HULDRICUS ZWINGLIUS,
Theologus Tigurinus.

& Sancto Gallenſibus; denique A°. 1710. per ſtratagema in manus venit Toggiorum. Triplicem hujus Caſtelli munitiſſimi faciem ſiſtunt TAB. V. VI. & VII. E regione Yber- TAB. V. VI. & VII. gæ ſupra Wattwilam extruxit Abbas Antagoniſtam Ybergæ Arcem *Bernfels*, *Bärenfels*, A°. 1240. *Arx Bernfels.*

3. *Hemberg*, Pagus montanus Religionis utriuſque. *Hemberg.*

4. *Zum Waſſer*, *Waſſergmeind*, quæ Communitas comprehendit ſolum Pagum *Neſſlau*, cum ædibus in illo diſtrictu ſparſis: nomen obtinuit à copia aquarum communitatem illam irrigantium, inveſtitur namque à Thura, & Luterâ, quæ ultima à *Valle Thuræ* diſterminat. *Zum Waſſer.*

5. *Pagus & Monaſterium divi Johannis vetus*, *Alt S. Johann*, Benedictini Ordinis, fundatum circa A^um^ 1150, à quodam Nobili Wetzelio de St. Johann, quoad locum: poſteà verò ab ipſis Comitibus Toggicis, loci Advocatis inſigniter ditatum. Fuerunt autem primi duo Monachi Ciſtercienſis Ordinis ex Cœnobio Trub Vallis Emmenſis; poſtea autem fuit numerus Monachorum adauctus, ipſiſque Abbas Præfectus ex Cœnobio Trub, primo Abbate demortuo, ſub Pontificatu *Eugenii* tertii & Imperio Conradi III. Imperatoris Electus fuit Burcardus ex ipſo fratrum numero. *Nobiles* ipſi de *St. Johanne* habitabant tum in Pago ipſo, tum Veſenæ; transvectum autem eſt Monaſterium poſteris temporibus in Pagum *Sydwald*, ubi nunc nomine *Neü St. Johann* viget; ut in veteri Monaſterio unicus duntaxat Monachus reſideat, pro reditibus colligendis, & ut officiis ſacris horas deſtinatas voveat; Inſignia Monaſterii ſunt Agnus vexillifer albus in campo cœruleo. In hujus communitatis diſtrictu inter Pagos Stein & S. Johann ſunt rudera Arcis *auf der Burg*. *Pagus & Monaſterium D. Johannis vetus.*

6 *Wildenhaus*, Filia olim Parochiæ Gamſenſis, in Parochiam redacta ab Abbate Huldrico: ſupremus Toggii Pagus nobilitatus nativitate Magni Reformatoris *Huldrici Zwinglii*, qui ibi primam vitæ ſuæ auram traxit ipſis calendis Januarii 1484. Patre *Huldrico Zwinglio*, Loci Ammanno, & Margaretha Meilia. Fuit olim hic Arx, *die Wilde Burg* cognominata, quæ adhuc in eſſe fuit A°. 1468. & olim ab Eindſidlenſi Cœnobio in Feudum conceſſum dicitur Comitibus Toggiis. *Wildenhaus.*

Vallis Neccarina, ſuperior. III. *Vallis Neccarina, Neckerthal, Neccarthal,* ſuperior ſcilicet unicam habet communitatem & Parochiam primariam, *Petrocellâ, Peterzell* dictam. In confiniis hujus judicii, quod alias *das Peterzeller Gericht* vocatur, inter *Spreitenbach,* & *Furth* ſunt quoque rudera Arcis deſtructæ.

Comitatus Toggici Provincia inferior. *Toggium inferius, ſeu Provincia inferior, das untere Ampt,* omnes comprehendit communitates, quæ infra *Liechtenſteigam* ſunt.

Vallis Neccarina inferior. I. *Vallis Neccarina inferior, das undere Neckerthal,* unicum quidem format judicium, dictum *das Neckerthaler Gericht,* ſequentes tamen habet Parochias.

1. *Brunnaderen.*

2. *Mogelſperg,* ubi olim quoque fuit Arx Nobilium *de Mogelſperg.*

3. *Helffenſchweil.*

4. *Ganderſchweil.*

Huic quoque judicio inſerta eſt Arx deſtructa *Neu-Toggenburg.* v. ſupra ſub Tit. *Lichtenſteig.* Pertinet item huc Arx deſtructa *im Grunen,* ſita verſus *Känelbach,* nec non alia ad Thuram *Rüdberg* dicta prope *Lauffen.*

Judicium Bazenheidenſe. II. *Judicium Bazenheidenſe, das Bazenheider Gericht:* Diſtinguitur Pagus *in ober und nider Batzenheidt.* Hujus nominis *de Batzenheidt* olim fuere Nobiles.

Lütiſpurg. Pertinet huc quoque *Lütiſpurg,* & *Pittſchweil, Bittſchwyl, Bütziſchwyl. Lütenſpurgum* Arx, *Lütiſpurg, Lütenſpurg,* (TAB. VIII.) locus eſt magni pro tranſitu Thuræ, & communicatione Toggii inferioris cum ſuperiori momenti, muro & forti Turri munitus; extructus juxta quoſdam temporibus Abbatis Conradi S. Gallenſis, de Buſſnang cognominati; aliis tamen altioris antiquitatis notas præ ſe ferre videtur. In hoc quoque Judicio haud longe à ſcaturigine Murgæ ſita eſt Arx *Alt Toggenburg,* quæ origines dat ipſi Familiæ Toggicæ, quæ hic primas ſedes habuit, occupata occaſione fratricidii Comitis Diethelmi, A°. 1226. ab Abbate Conrado Sancto Gallenſi: & circa A^um^ 1285. ab Abbate Kemptenſi, deſtructa tandem A°. 1405. ab Abbatiſcellanis & Sancto Gallenſibus. In eodem eſt Arx deſtructa *beym Rothenbach,* prope *Oberbatzenheid.*

[Margin: TAB. VIII.; *Arx Alt Toggenburg.*]

III.

LUTISPURG.



Iter. 8.



III. *Judicium Kirchbergenſe, das Kirch* vel *Kilchberger Gericht.* Prope hunc Pagum A°. 1446. in Bello veteri Tigurino, fuere Comites Jacobus de Lützelſtein, Ludovicus de Helffenſtein, Johannes de Rechberg tunc Friderici III. Imp. Capitanei Præſidio Tigurino Præfecti, irrupturi in Toggium, fuſi à Petermanno de Raron, & Toggiis. In hac Parochia ſunt rudera Arcis Nobilium *de Lamprechtſchweil:* item *Brunberg,* ſupra *Rickenbach.* *Judicium Kirchbergenſe.*

IV. *Judicium Moſnangenſe, das Moſſnanger Gericht;* Parochia *Moſſnang, Moſſlingen* (cujus nominis quoque fuere olim Nobiles *de Moſſnang*) latè diffuſa. Ditioni Tigurinæ & Turgoviæ contermina cum filiis ſuis, *Brunnen, Riedt, in Treyen, Fridlingen.* In hoc judicio rudera ſunt Arcis *auf Rachlis,* ſupra Pagum Moſnang; alius quoque, quæ è Regione eſt *Veteris Toggenburgi, im Hinderhof,* verſus Montem *Hörnlin;* porro alius *Hinder bäbigen, bey Wincklen,* ubi limites ſunt Moſnangenſis judicii & *Batzenheidenſis.* *Judicium Moſnangenſe.*

V. *Judicium Krynovienſe, das Krynnauer Gericht.* *Judicium Krynovienſe.*

VI. *Judicium Vallis Rinnenſis* ſeu *Rhenanæ,* tum *ſuperioris,* tum *inferioris, das Gericht des Oberen und Vnderen Rinnethals, Rinthals.* *Judicium Vallis Rinnenſis.*

VII. *Judicium Schwartzenbacenſe, & Algetshuſanum, das Schwartzenbacher, & Algetshauſer Gericht. Schwartzenbach* olim oppidum, nunc nobilis Pagus unâ cum Arce ſeu Caſtello in imo Toggio ſitus. Extructum fuit hoc oppidum A°. 1273. ab Imp. Rodolpho Habſpurgenſe, initio ſui Regni, occaſione motuum Bellicorum inter binos Abbates Sancto Gallenſes rivales Huldricum de Güttingen, & Henricum de Wartenberg. Eum autem in finem fuit extructum Caſtellum unâ cum oppido, ut inſerviret contra Comites de Toggenburg, eorumque irruptiones in Turgoviam. Durantibus his motibus, & qui ſequebantur, bellicis, fuit Schwarzenbachum, Wilæ antagoniſta, aliquoties & deſtructum, & reædificatum: ultimam vero ruinam dedit Abbas Henricus II. nanatus de Ramſtein, qui ab Alberto Imp. obtinuit, ut Schwarzenbacum transferretur Wilam. Arcem ſolam retinuit Jacobus Vogt de Frauenfeld, & ex ruderibus Murorum oppidanorum *Judicium Schwarzenbacenſe, & Algetshuſanum.*

norum deſtructis reſarcivit; poſtea devenit hæc arx jure emtionis ad Henricum Nobilem de Grieſſenberg, tandemque ad Abbatem.

Paulò ſupra confluxum Thuræ & Glattæ ſita erat Arx *Gielſperg*, habitata olim à Nobilibus dictis *Gielen*, *von Gielſperg*, poſteà Poſſeſſoribus Arcium *Gyrſperg* & *Helffenberg* prope *Stamheim*.

Judicium Jonſchwylanum. VIII. *Judicium Jonſchwylanum*, *das Jonſchwyler Gericht.* *Jonſchwyl*, *Jonſſwyl*, pagus eſt mixtæ Religionis: in cujus diſtrictu eſt Arx deſtructa *Eppenberg*, Nobilium, qui dicti erant *die Meyer von Eppenberg*. Periit hæc arx fulmine icta ſub initium Imperii Caroli V. Arx item adhuc poſſeſſa *Feldegg*, ſupra *Jonſchwyl*.

Judicium ſupra Uzwilanum. IX. *Judicium ſupra Vzwilanum*, *das Ober Vzweiler Gericht.*

Judicium infra Uzwilanum. X. *Judicium infra Vzwilanum*, *das Nider Vzweiler Gericht.*

Judicium Homburgenſe. XI. *Judicium Homburgenſe*, *das Homburger Gericht*, ubi *Homburg oder Watt*. In hoc diſtrictu eſt Arx deſtructa *Alt Glattburg*, prope *Nider Glatt;* Poſſeſſa ante 800. abhinc annos à Nobilibus dictis *Gielen von Glattburg;* occupata A°. 1405. ab Abbatiſcellanis & Sancto Gallenſibus: mox rurſum devenit ad Nobiles, deſtructa tandem A°. 1485. ab accolis.

Judicium Flawilanum. XII. *Judicium Flawilanum*, *das Flaawyler Gericht.*

Judicium Burgauanum. XIII. *Judicium Burgauanum*, *das Burgauer Gericht.* Prope *Burgau* pagum ſunt quoque rudera Arcis.

Judicium Tägersheimenſe. XIV. *Judicium Tägersheimenſe*, *das Tägerſcher- Degerſcher Gericht.* Fuere quoque olim Nobiles de *Tägersheim*.

Judicium Maggenovianum. XV. *Judicium Maggenovianum*, *das Maggenauer*, *Mackenower Gericht. Mackenow*, *Magtenow*, *Mägtenow* Cœnobium eſt ſequioris ſexus ordinis St. Bernhardi.

Prope Magdenoviam ſunt quoque rudera Arcis.

Judicium Bichwilanum. XVI. *Judicium Bichwilanum*, *das Gericht zu Bichweil.*

Judicium Liberum. XVII. In imo Toggio eſt dimidium *judicium Liberum*, *das Fry Gericht*, ex utraque Thuræ parte.

Refor-

Reformata Religio colitur in Parochiis, *Liechtenſteig*, *Wattwyl*, *Hemberg*, *Kappel*, *Krummenau*, *Neſſlau*, *Stein*, *Alt S. Johann*, *Wildenhaus*, *Peterzell*, *Brunnaderen*, *Mogelſperg*, *Helffenſchweil*, *Ganderſchweil*, *Lutiſpurg*, *Pittſchweil*, *Kilchberg*, *Moſſnang*, *Jonſchweil*, *Hänau*, *Niderglatt*, *Oberglatt*, *Tägersheim*, *Bichweil*; ita tamen, ut ſemper ferè immixti ſint Pontificii, & aliquando, in ſuperiori imprimis Provincia Reformati fortiores, in Inferiori autem Pontificii. Pontificii in Pago *St. Johann*, & ſuperiori reliquo Toggio ſubſunt juriſdictioni Eccleſiaſticæ Epiſcopi Curienſis, reliquum omne Toggium pertinet ad Epiſcopatum Conſtantienſem. Fit equidem ſæpe, ut Exercitium hoc Religionis ſimultaneum anſam præbeat diſſenſionibus mutuis, in inferiori cum primis Provincia, ſicut exempla proſtant motuum *Kilchbergenſium*, *Hänovienſium* &c. ſed quoque ligat hoc ipſum animos, qui faciliùs in partes traherentur Libertati ſuæ nocivas, ſi alterutra ex Provinciis foret hujus, alia illius Regionis. *Religio.*

Nimis debile tamen foret hoc ſimultanei cultus ſacri vinculum, niſi animos Toggiorum firmius colligaret Juramentum generale, *der Land Eid*, quo ſeſe in Comitiis inter ſe uniunt, quodve anteit juramento Fœderali inter Toggios & concives ſuos Suitenſes ac Glaronenſes inde A°. 1440. ſervato.

Surgit Toggiorum numerus ad 9000. incirca viros, quorum duæ tertiæ partes ſunt Reformati, ⅓ Pontificii. *Toggiorum Numerus.*

Qualitatem ſoli Toggici quod attinet, eſt Provincia inferior fertilis inprimis frumentis, & fructibus Arborum, ſuperior pratis & paſcuis; ita ut illa huic inſuper providere poſſit quoad Frumenta, hæc illi ex ſuperfluo dare Lacticinia. Eſt utraque quidem Provincia montoſa, inæqualis in ipſa Valle, ſunt tamen juga ſuperioris editiora, inferioris mitiora. Habetque notabile id beneficium Toggicus Comitatus, ut inferior ejus pars Agriculturæ & Arboretis ratione ſitus commodior ſeſe protendat in linea Meridiana, ſuperior verò alias ratione ſitus eminentioris nonniſi ad paſcua utilis ſeſe flectat ita, ut ſuprema portio ab Oriente ferè directa ſit ad Occidentem, & propter hanc flexuram majorem admittat caloris gradum, & fœcun- *Solum Toggicum.*

fœcunditatem majorem in omni frugum genere, ut in ſupremis pagis non deſint Agri, Legumina, Cannabis, arbores.

Aquæ præcipuæ. Aquæ præcipuæ, quæ Toggium irrigant, ſunt *Thura*, *Thaurus*, *Taurus*, *Turus*, *Tura*, *Dura*, *Duras*, *Durias*, *d'Ur*, *Dur*, *Thaur*, Flumen rapidum, quod *Turgoviæ*, *Turgow*, *Thurgow*, nomen dat, ipſum verò primitus juxta *Glareanum* vocatum fuit *die Ur*, poſtmodum eliſo diphthongo *ie*, *d'Ur*, quemadmodum nominare ſolemus *Ruſam*, *d'Rüſs*, *Arolam*, *d'Ar*. Hoc autem nomen obtinuit, uti quoque *Tauri* cognomen, ab inſigni ſua rapiditate, comparanda cum ferocitate *Taurorum Sylveſtrium*, qui *Uren* Germanis nuncupantur. Origo hujus fluvii eſt in ſummo Toggio, duplex ferè, una *Thuræ*, κατ' ἐξοχὴν ita dictæ, in udis pratis infra pagum *Wildenhaus*, loco nominato *im Münſen riedt*, altera *Thuræ albæ*, *der Weiſſen Thur*, quæ ſcaturit *im Fliſs*, inter altiſſima juga *des Schaffbergs*, *und Hohenſäntis*, confluit utraque quartâ horæ parte ſupra Pagum *Alt St. Johann*: ſed quoque fontibus fluvii hujus adnumerandi ſunt tum breves rivuli ex mediis Pratis infra ſupraque jam nominatum Pagum proſilientes, in Mappa viſundi; tum rivi alii paſſim ex jugis Alpium deflui. Inter Pagos *Alt St. Johann*, & *Zum Stein* à ſiniſtris influunt Rivi *Starkenbach* & *Durrenbach*. Prope *Neſſlau der Lochbach*, prope *Neü St. Johann die Lutern*, rivus Fluminis æmulus: inter *Sidwald* & *Krummenau der Ennetbüelerbach* & *Hundsbach*: inter *Krummenau* & *Geſelbach*, *der Trempelbach* & *Geſelbach*: omnes hi à dextro latere: inter *Geſelbach* & *Stoken der Steinenbach* à ſiniſtris: Inter *Cappel* & *Watwyl der Olensbach* & *Dorffbach* à dextris: *der Riggenbach* à ſiniſtris. Juxta *T-berg der Steinerthalerbach*, ſtatim ſupra *Liechtenſteig der Schwendibach*, & infra *der Lederbach*, uterque à dextris: prope *Dietfurt der Dietfurterbach*: à ſiniſtris; è Regione *Lütiſpurgi* arcis *der Guntzenbach*; ſtatim ſupra Lütiſpurgum à dextro latere Thuræ ſuas aquas tradit, *Neccarus*, *der Neckar*, fluvius origines ſuas habens in Montibus ſupra *Peterzell*, & perluens porrò integram Vallem *Neccarinam*, *das Neckerthal*, cui nomen communicat, ordine autem alluit loca ſequen-

ſequentia, *Furt, Spreitenbach, Brunnaderen, Neccar, Rennen, Anzenſchweil, Ganterſchweil.* Inde à Lutiſpurgo ſolitaria fere pergit Thura inter Petrarum varios anfractus uſque ad ejus confluxum cum *Glatta*, prope *Pyram ſuperiorem, Oberbüren*, & *Gielſperg*, Arcem dirutam. *Glatta* ipſa, *die Glatt*, Fluvius eſt Toggio quoque adnumerandus, limitaneus nempe Comitatus Toggici, Provinciæ veteris Abbatis Sancto Gallenſis, & ditionis Abbatiſcellanæ.

Toggio quoque debetur origo *Murgæ*, Fluvii qui fontes ſuos habet in Montibus inter Arces Alt-Toggenburg & Waldeck, hinc Viſchingam tendit.

Forma Regiminis Toggici hodierni A°. 1709. & 1710. hæc eſt: *Forma Regiminis Toggici.*

In rebus toti Toggio communibus judicat

1. Senatus frequentior totius Regionis, *der groſſe Land-Rath*, conſtans vi decreti Comitiorum, *in Kraft Landgemeind'ſchluſſes*, viris 80. quorum medietas eſt Reformata, altera Pontificia; Eliguntur hi in Provincia ſuperiori ab omnibus Judiciis ſeu Communitatibus, in inferiori à Parochiis, *im Oberen Amt von allen Gerichts Gemeinden, im Underen von allen Kirchöhren.* Communitas quævis certum dat numerum pro ratione amplitudinis, vel Juris, 2. 4. 6. ubi Exercitium Religionis eſt ſimultaneum, eliguntur junctim ab utraque parte, ſine affinitatis, reſpectu. *Communitates ſuperioris Provinciæ* ſunt 1. *Liechtenſteig.* 2. *Wattwyl.* 3. *Thurthal.* 4. *Waſſer.* 5. *S. Johann.* 6. *Wildhaus.* 7 *Hemberg.* 8. *S. Peterzell. Parochiæ* ſequuntur. 9. *Büzenſchweil.* 10. *Moſnang.* 11. *Kirchberg.* 12. *Jonſchweil.* 13. *Henau.* 14. *Niderglatt.* 15. *Oberglatt.* 16. *Magdenau.* 17. *Mogelſperg.* 18. *Helffenſchweil.* 19. *Ganderſchweil.* 20. *Lütenſpurg.* Ita ut in univerſum ad conſtituendum Senatum majorem concurrant 20. Communitates. *Judicia* verò, *Gericht*, in toto Toggio ſunt 24½. Senatus hujus majoris eſt, ſigillare de libertate communi ſervanda. Hic in rebus gravis momenti convocat Comitia, penes quæ tunc ſtat concludendi poteſtas. Secretarii ſunt duo, *Landſchreiber*, utriuſque religionis unus, qui eliguntur ab ipſis Comitiis.

 Bini

Bini item Theſaurarii, *Landsſeckelmeiſter*, rurſus ex utraque Religione; eliguntur hi ex judicio Regionis, *aus dem Landgericht*; adminiſtrant hi alternatim fiſcum unus, alter reditus, & expenſas: Præſident hi etiam in judicio criminali, ſinguli pro maleficis ſuæ religionis

Seligit hic Senatus major ex ſe ipſo 24. duodecim nempe utriuſque Religionis, qui vocantur

II *Judicium Regionis*, *das Land Gericht oder Blut Gericht.* decidunt hi res criminales.

Ex his ipſis 24. viris ſeligit Senatus major 12. alios, ſex nempe ex una Religione, qui vocantur

III. *Senatus Regionis minor*, *der kleine Land Rath*, *oder Appellations Rath*, tractant hi res alias minoris momenti, appellationes ex judiciis inferioribus ad ſe delatas, quæ tamen appellationes locum non inveniunt, niſi inter reum Evangelicum, & accuſatorem Pontificium, & vice verſa. Obſervandum nihilominus quoad electionem, non neceſſario hunc Senatum componi debere ex judicio præcedenti, ſed penes majorem ſtare Senatum, unum vel alterum membrum deſtinare uni duntaxat ex his Judiciis, vel utrique, prouti ipſis videtur.

Ex his 12. viris ſeligit rurſum Senatus major 6. alios, ex quavis Religione 3. nominantur hi

IV. *Commiſſio Regionis*, *Lands Commiſſion*, *oder Inquiſitions Rath*, examinant hi res Criminales, aliaſque graviores uſque ad ſententiam, & judicant, an caſus propoſiti deferendi ſint ad Senatum majorem, minoremve, vel judicium Regionis.

In omnibus his Senatibus & judiciis Præſidium eſt ratione Religionis alternum. Obſervandum inſuper, ita dependere electionem vel depoſitionem membrorum pro tribus poſterioribus judiciis à Senatu frequentiori, ut ſi alterutra Religio habeat quid, quod contradicere poſſit, & quidem ultra ¾. ejus Religionis contradictioni conſentiant, deciſio expectanda ſit ex ſolo ejuſdem Religionis Senatu majori, & altera Religio obſtricta ſit latam ſententiam defendere omnibus viribus.

Judicia inferiora, numero 22, per totam Regionem diſperſa,

ſperſa, decidunt res civiles aliaſque minoris momenti in ſuis ſingulorum diſtrictibus obvias.

Conſtituuntur hæc Judicia quotannis, conſtantque communiter ex Ammanno, Judicibus 12. Scriba & Apparitore.

Stat penes quaſdam Communitates jus eligendi abſolutè, alibi proponuntur Abbati 4 unde ſeligere poteſt unum pro Ammanno.

Judicum dimidiam partem dat Princeps, alteram incolæ.

Scribam & apparitorem eligunt Incolæ, ſed ex ipſo eorum corpore.

Regiminis Toggici Statum præſentem optimè, quàm quidem deſcribere potero, ſiſtet ſequens

INSTRUMENTUM PACIS
inter Cantones
TIGURINUM atque BERNENSEM
ex una, &
Principem atque Abbatem
SANCTO GALLENSEM
ex altera parte,
initæ
Badæ in Argovia
A. MDCCXVIII.

In Nomine Sanctiſſimæ, Individuæ Trinitatis, DEI, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Notum ſit omnibus ac ſingulis. Exortis, communi noſtro tædio, occaſione Gravaminum Nationis Toggicæ, inter Helvetiæ Cantones binos, Tigurinum, atque Bernenſem ex una, & Principem, Abbatem, Decanum, at-

que Capitulum Cœnobii Sancto Gallenſis , ex altera parte , ſimultatibus quibuſdam atque diſſidiis , quæ non obſtante omni adhibitâ operâ tandem juſto DEI judicio , non in Toggio ſolo , verum & Provincia Abbatis Veteri , in apertum erupere bellum ; convenêre prænominati Cantones ac Princeps cum Capitulo , ſingulari ad Pacem propenſione moti , ut Deputati , initio quidem publico Charactere deſtituti , heîc , Badæ , Pacis ineundæ conſilia agitarent , tandemque poſt indefeſſos labores , Divinâ aſſiſtente gratiâ , pro firmandâ Pace , utinam perenni , & reſtabiliendâ Helveticâ Fide & unione , Articulos ſequentes in chartam conjicerent , eâque, quâ à ſuperioribus ſuis inſtructi poſtmodum erant , poteſtate , ſervatâ ſemper arbitrariâ horum ratihabitione , ſubſignarent.

I. *Gaudebit nomine ac jure ſupremi in Toggio Dominii ,* Princeps & Abbas *quilibet* Sancto Gallenſis, *& tenebuntur ei conſueta præſtare homagia Toggii , reſervatis tamen horum Juribus ac Privilegiis. Modum autem , quo lites exortæ deciſæ fuerint , ſequentes ordine declarabunt articuli.*

II. *Conſtabit* Senatus Provincialis (der Land-Rath) *ſexaginta membris , triginta nempe ex Religione Romano-Catholica , & triginta ex Evangelica. Electionis jure gaudebunt in omni Provinciæ diſtrictu communitates ipſæ. Qui hanc obtinebunt dignitatem , ætatem eâ , niſi malefactis indignos ſe reddiderint , vel impotes facti fuerint , non excident. Penes hunc Senatum ſtabit , eligere* Arbitrum (Obman des Land-Raths) *hujuſque* Vicarium , (Statthalter:) *nec non* Quæſtores, (Seckelmeiſtere) Vexillarios, (Panner-Statthalter,) *ſervatâ ſemper Religionis ratione alternâ ,* Secretarios *item ,* Commiſſarios , & Nuntios, *numero ſemper pari , aſſervare ſigillum Provinciæ , eoque Decreta ſua obfirmare.*

III. Munia *Senatus hujus* Provincialis *ſunt , invigilare Juribus atque Privilegiis toti Regioni communibus , vel huic illive diſtrictui peculiaribus , ne quid patiantur detrimenti , gravamina circa illa exoritura ad Principem , debitâ obſer-*

vatâ

vatâ reverentiâ, deferre, ejuſque opem ſollicitare: hâc autem non obtentâ, cauſæ ſuæ jus abſque ambagibus poſtulare, locis ad hunc finem deſtinatis; ſtipendia, tributa, & ſumtus bellicos indicere, pro rata diſtribuere, ea calculis ſubducere, & de iis ſibi ipſi rationem reddere, aliaque hujus generis tractare: intereà tamen haud immiſcere ſe rebus ad Principem, Judiciave hæc illave Regionis ſpeciatim pertinentibus.

IV. *Juramento adſtringantur Senatus Provincialis membra, ut & Rev*^mi^ *Principis & Regionis commoda promoveant, damnaque avertant, Juribus ac Privilegiis Regionis conſervandis ſtudioſè invigilent, & obſtacula via vel amicabili, vel juris amoveant; publicis Senatus conſiliis vocati frequentes interſint, ſtipendia atque tributa ex æquo ordinent, & in omnibus his tales ſe gerant, uti Patriæ ſalus exigit, bonâ fide, abſque fuco.*

V. *Certo quodam die quotannis ſemel & ordinarie convocandus eſt Senatus provincialis, ad tractandum res totius Regionis: quod ſi tunc incidat quidpiam, quod Principem tangit, notificari id ei, vel ejus Præfecto per duos, tresve Senatores, debitâ reverentiâ, neceſſe eſt.*

VI. *Liberum tamen eſto Senatui Provinciali, extra conſtitutum illum diem, ſeſe colligere, quoties id poſtulat neceſſitas, ita tamen, ut ante diem congreſſus Principis Præfecto notum fiat, craſtinâ luce Senatum conventurum eſſe: quod ſi & in hujuſmodi congreſſibus occurrat, quod Principis intereſt, id rurſum ei, vel ejus Præfecto ſignificetur neceſſe eſt.*

VII. *Tenetur Senatus Provincialis, Toggii indigenas quosvis, quartum ſupra decimum, & quod excurrit, agentes annum, nec dum* Juramento Provinciali (Land-Eyd) *adſtrictos, per quinquennia citare, &, ut juratione dicta ſe coram Senatu obligent, adſtringere. Hoc ipſum autem juramentum Provinciale ſolemniter eſt renovandum, quoties Concio Populi Toggici* (die Landsgemeind) *ſeſe congregat; & eligi ſimul debet à Concione* Vexillarius, (Pannerherr.)

VIII. Judicii Provinciæ Criminalis (des Landgerichts) *forma hæc eſto : Præſes ſit quilibet Toggii Præfectus : Judices ipſos, numero viginti quatuor, conſtituit Princeps, ſeligendo ex omni Provinciæ diſtrictu, videlicet ex ſingulis veteribus viginti & duabus Parochiis unum, binos autem tum ex* Lucis Steigâ (Liechtenſteig,) *tum ex* Vatvila (Wattweyl:) *ſint autem hi Judices viri probi, rebus agendis apti, integræ famæ, ex Evangelica Religione duodecim, ex Romano-Catholica totidem.*

IX. *Obligandi ſunt hi Judices ſolenni juramento, ut, quoties convocantur, judicio frequentes interſint, judicentque caſus obvios ex æquo, nullâ niſi Juſtitiæ ratione habitâ, divitibus atque pauperibus, pauperibus atque divitibus, extraneis atque indigenis, nullâ habitâ ratione amoris, vel odii, neque ſe corrumpi patiantur muneribus aut largitionibus, ſed ubique ſatis DEO faciant & juri, ſine perſonæ, vel Religionis diſcrimine, bonâ fide abſque fuco.*

X. *Haberi & exerceri debet Judicium hoc Criminale nomine & authoritate Principis.*

XI. *Judicii hujus Criminalis eſt, ſententias ferre in criminalibus, ſub fide honoris & juramenti. Conſtat autem id Præſide, Præfecto, Judicibus ordinatis viginti & quatuor, cum Provinciæ Secretario* (Landſchreiber.) *Penes Præfectum & Forum hoc Criminale, tanquam Senatum Regionis à Principe conſtitutum, porrò ſtat, ordinare & expedire mandata alia, & Leges, quæ commodum totius Regionis attinent.*

XII. *In cauſa delictorum Criminalium, quæ vi & tenore legum non poſtulant pœnam corporalem, ſed quidem mulctam pecuniariam, nemo indigenarum incarcerandus, qui fidejuſſionis nomine ſe obligare poteſt.*

XIII. *In Criminalibus teſtimonia produci debent coram Præfecto, Secretarii Provinciæ, & binorum ex Judicio Criminali, quorum unus ſit Romano Catholicæ Religionis, Evangelicæ alter. Teſtes autem ipſi ante notificandi ſunt in vincula conjecto, quàm ſub fide juramento deponunt; ut exceptio-*

ceptionibus, ſi quæ adſint, detur locus, & hunc in finem enuntiata ipſa accuſato communicanda. Nemo autem in propria cauſa accuſatoris ſimul & teſtis perſonam agere poteſt. Pro accuſatoribus autem non habendi, qui vi officii ſui & juramenti delicta ad judicem deferunt, vel conſortes.

XIV. *Omnibus Examinibus in Criminalibus, ſive Confeſſiones ſint ſpontaneæ, ſive exprimantur tormentis, adſiſtant Judices ſupra nominati, quibus moderatum adſignari poteſt ſalarium.*

XV. *Quod ſi inter Examinatores memoratos non conveniat, num habenda ſit quæſtio de reo, nec ne, deferendum eſt hujus controverſiæ punctum ad dimidium Judicium Criminale, formandum ex pari Romano-Catholicorum & Evangelicorum, ſenario nempe ex quavis Religione numero.*

XVI. *Quod ſi quempiam Judicum ex foro Criminali excludat parentela cum reo, aliave cauſa, ſupplendus eſt excluſorum, vel aliàs abſentium, numerus aliis ejuſdem Religionis, & pro finali ſententia danda complendus integer viginti & quatuor Judicum numerus.*

XVII. *Diſcedentibus in cauſa Criminali in paria vota Judicibus, & dijudicante fortè Præfecto pro graviori pœna, licitum eſto, ſuſpenſâ executione, reo, ſuisve, Principis implorare clementiam.*

XVIII. *Jus aggratiandi Principi abſolutè competit.*

XIX. *Pœnæ omnes pecuniariæ in cauſis criminalibus à Judicio Criminali definitæ ſunto Principis: bonâ verò confiſcata omnium maleficorum morti datorum; ut & eorum, qui malitioſâ intentione ſibi ipſis necem intulerunt, eorumque fugitivorum, qui pœnam mortis meruere, & jure, ſi præſentes forent, ſuſtinerent, eidem Principis fiſco ſunt adjudicanda: declarat autem ſe Reverendiſſimus Princeps, pro ſua erga indigenas clementia, paternoque affectu, ſatis ſibi futurum dimidiâ bonorum poſt ſumtus proceſſus ipſius, & æs alienum, ſoluta, parte, ſi quidem infortunium tale reciderit in unum ex Toggiis, unius, pluriumve liberorum parentem.*

XX.

XX. *Stipendia Foro huic Criminali numerabit Princeps: obſtrictus autem eſt hic ipſe Principis Senatus Provincialis convocatus ab eo ſeſe congregare, & pro conſcientiæ dictato conſulere: deſtinato floreni ſtipendio quotidiano iis, qui ſupra* Krumenoviam (Krumenau) *infra Rivum* Gunzenbach *habitant, dimidio autem iis, qui Lucis Steigæ ſunt propiores.*

XXI. *Membra Judicii hujus Criminalis non varianda, niſi quem excludat corporis mentisve adverſa valetudo, aut vitæ vitium.*

XXII. *Crimina quævis ſeu intentata ſeu commiſſa publicè ſunt a competenti judice judicanda, abolitis tacitis circa illa conventionibus, niſi quis, nemine urgente, facinus confiteatur ſponte: & Principi pecuniariæ coërcitiones adſignandæ.*

XXIII. *Judicum inferiorum juramentum eſto idem, quod membrorum Fori Criminalis.*

XXIV. *Ammannorum in Judiciis Inferioribus ſuggeſtiones & ſurrogationes ſint conformes juribus, privilegiis & uſibus hactenus receptis: eligatur autem Ammannus iis in locis, ubi Communitati nominationis jus competit, die ſuggeſtioni dicato, & ſequatur Principis ratificatio intra proximos quatuordecim dies.*

XXV. *Judicum pars dimidia eligenda, conformiter Privilegiis & Praxi, a Principe, medietas altera à Communitate, obſervatâ ſemper Religionis paritate.*

XXVI. Apparitor (der Weibel) *quia Principis eſt officialis, Eique vi juramenti addictus, ut res pœna dignas deferat & annuntiet, nulla ratio ſubeſt, cur aliter quam more hactenus recepto & ſuggeratur, & eligatur.*

XXVII. *Scribas quod attinet Judiciorum* (die Gerichtſchreiber,) *proponet Princeps Communitati binos ex ipſa Communitate judiciali* (Gerichts Gemeind) *huic muneri ſufſenos, ex quibus jus habet Communitas ſeligendi unum: hac tamen Lege, ut Apparitore addicto uni Religioni, Scriba ſit alterius.*

XXVIII.

XXVIII. *Non habent Præfecti, Ybergenſis & Schwartzenbacenſis* (die Vögte von Yberg und Schwartzenbach) *quod ſeſe immiſceant rebus Judicialibus, vel Judicio adſideant, niſi nati ſint Toggii.*

XXIX. *A Judiciis Inferioribus non conceditur appellatio in civilibus, niſi cauſa excedat florenos* 15. *Hanc ſummam ſi exceſſerit, non impediri poteſt à Judicio provocatio.*

XXX. *Judicia annua* (die Jahr-Gericht) *pro more antiquo haud intermittantur; & tenentur quidem Judicia Inferiora multare delicta & facinora, quæ ſui ſunt fori, juxta tenorem Legum, Mandatorum, & Conſtitutionum, viâ juris, partium ſtudio ſemoto. Ipſæ autem mulctæ à Judiciis Inferioribus decretæ omnes Principis ſunto.*

XXXI. *Delicta hujus generis Inferioribus Judiciis ſubjecta publicè ſunt à competenti Judice judicanda, pro more antiquo, & ſecretæ circa illa conventiones abolendæ, niſi delinquens, nemine urgente ſpontaneâ confeſſione judicationem finalem ſuæ cauſæ poſcat.*

XXXII. *In taliſmodi Delictis, quæ Foris inferioribus ſubſunt, nemo cogendus eſt ad teſtimonium contra ſe ipſum, vel ut juramento ſe purget: niſi decreverit id, validis rationibus motus, Judex.*

XXXIII. *Executio circa ſolvenda credita vel debita fieri debet pro ritu & more veteri æſtimatione* (durch die Schatzung.)

XXXIV. *Judicium appellatorium* (das Appellations Gericht) *conſtabit* 12. *membris, viris huic muneri aptis, probis, & integræ famæ, ex ipſa Natione Toggica.*

XXXV. *Judicii hujus Præſes eſto Toggii Præfectus: Hic autem vi præſtandi & præſtiti in ipſa inauguratione juramenti ad id eſt obligandus, ut in omni ſuo judicii tum Provincialis tum Appellatorii Præſidio, procedat abſque vel Perſonarum vel Religionis acceptione.*

XXXVI. *Circa electionem membrorum Judicii Appellatorii obſervandum, à Principe pendere conſtitutionem trium Romano-Catholicæ Religionis, & trium Evangelicæ, & à Se-*

natu Provinciali pariter trium ex Evangelica, triumque ex Catholico-Romana, quæ ex proprio Corpore ſeligere, huicque Judicio admovere poteſt.

XXXVII. *Formula juramenti eadem eſto, quæ ſupra in puncto Judicii Criminalis.*

XXXVIII. *Stipendium quotidianum his Judicibus Appellatoriis eſto florenus, ſolvendus ex ſumtibus pro ſententia erogandis* (von denen Urtheil Gelteren.)

XXXIX. *Nec variandi ſunt hi Judices, quamdiu muneri ſunt apti, & vitæ probæ, uti ſupra occaſione Judicii Criminalis monuimus.*

XL. *Terminantur appellationes à Tribunalibus inferioribus factæ in hoc Judicio appellatorio, quod abſolutam, & definitivam dat ſententiam, à qua ulterius provocare non licet. Excipiuntur Dominia, Dominii Jura, Uſuræ fundorum ſtabilium, aliæque poſſeſſiones, quæ alienari vel redimi nequeunt. Permiſſa item provocatio ad Principem in cauſa extranei, qui ne quidem in Toggio ulla bona poſſidet, cum indigena, ſeu poſtulator ille ſit, ſeu poſtulatus: hoc nempe in caſu gravato licet appellare ad Principem, ſeu extraneus is fuerit, ſeu indigena. Hæ appellationes quotannis bis & ſemel, pro re nata, in Toggio ipſo examinari, & lites terminari debent, nec exigi alii ſumtus, quam qui pro ſententia appellatoria ordinariè impendi ſolent. Quod ſi ipſe Princeps morbo aliave cauſa graviori impeditus judicio huic ſolemni intereſſe non poterit, ſtabit penes eum, rem per unum vel duos delegatos perficere.*

XLI. *Sententiis in paria vota diviſis, ſtat jus dirimendi penes Præfectum.*

XLII. *Conſtitutio Præfecti in Toggio pendet à Principe & Abbate Sancto Gallenſi, cui liberum eſt, Toggium ſeligere indigenam, vel extraneum.*

XLIII. *Principis quoque eſt, Provinciæ tum Secretarium* (Land-Screiber) *tum Apparitorem* (Land-Weibel) *eligere ex Natione Toggica; hac tamen conditione, ut non ejuſdem ſint hi duo Officiales Religionis. Catholico autem Secre-*

tario adjungendus Evangelicæ Religionis Subſtitutus, & viciſſim Evangelico Secretario Subſtitutus Romano-Catholicæ cultui addictus, qui in cauſis tum Appellatoriis, tum Criminalibus adſit Tribunalibus, & in Protocollo formando Secretarium adjuvet, omnia tamen hæc abſque Principis impendio. Nominabit autem Judicium Criminale tres integræ famæ Subſtituti munere dignos, & liberum erit Principi, ex his unum eligere.

XLIV. *Circa Jus Militiæ ſeu Armorum, & quæ inde pendent, nihil decernit præſens Pacificatio, ne cuiquam jura habenti aut prætendenti ſit præjudicio.*

XLV. *Jus indigenatus nemini concedendum, niſi occaſione homagii novo Principi præſtandi, & conſentiente primùm Principe, dehinc dimidia ad minimum Toggiorum tunc præſentium parte. Ipſi autem, qui recipi poſtulant, vel præſentes ſe ſiſtere, vel ſaltem nomine tenus proponi debent.*

XLVI. *Jus habitandi nemini concedendum invitâ Communitate.*

XLVII. *Jus Venationis & Piſcationis Principis eſt, niſi quis tenore ſingularium Privilegiorum id poſſideat.*

XLVIII. *Toggiis omnibus & ſingulis jus mercaturæ, ſalis commercio non excepto, eſt liberum.*

XLIX. *Fundorum venundatio in manus mortuas, unde redimitio non datur, nemini concedenda. Caſu etiam quo per Teſtamentum, Proſcriptiones* (Auffähle) *Dotem, vel jure hæreditatis eò reciderint, liberum eſto indigenis præviâ æſtimatione ſub fide juramenti factâ fundos ſibi appropriare. Aſt Principi ipſi nemo obſtaculo ſit, ſi quidem is poſſeſſiones in Toggio emtionis jure ſibi comparare velit, hâc additâ cautione, ne talia bona incorporentur Monaſterio D. Johannis, vel quovis alio modo incidere poſſint in manus alias mortuas, vel in Feuda converti, ſed occupentur à Laicis.*

L. *Pollicitatur Rev. Princeps, ſe neque Vectigalia nova, aut telonia ad Vias, Pontes,* (Zölle Brucken- noch Weggelter) *indicturum, quæ quovis modo Toggus gravamini eſſe poſſint, aut præjudicio, neque indicta hactenus ad altiorem gradum evecturum.*

LI. *Volunt jura Toggii, ut quilibet propriis ſuis bonis abſque detractu migret, quocunque lubet: bona verò quod attinet hæreditario jure, vel alio, acquiſita, de iis detractus ſolvi, ejuſque media pars fiſco Principis, Provinciæ altera inferri debet.*

LII. *Pari modo ſolvi debent jura indigenatus, mediâ unâ parte fiſco Principis, alterâ Provinciæ adjudicatâ; quo ipſo tamen nihil præjudicatur introitui ſolvendo illi Communitati, cui novus indigena accedere in animo habet.*

LIII. *Quæ propter Toggium ſolvuntur Penſiones, mediâ ſuâ parte Principis, alterâ Provinciæ fiſco inferuntor.*

LIV. *Portio illa, quæ Provinciæ eſt, neutiquam in uſum cedat hujus illiusve ſacri cultus, ſed quidem in communem & civilem Provinciæ.*

LV. *Nulla, niſi gravi urgente neceſſitate, nova erigantur molendina, neque Fabrorum Ferrariorum officinæ, neque olei preſſoriæ, neque Balnearia. Si quis horum quidpiam deſideret, quiſpiam vero alius id vel non neceſſarium, vel ſibi oneroſum reputans ſeſe opponeret, examini ſubjiciet accurato Forum & neceſſitatem, & quod prætenditur onus, enuntiatio autem ſub juramenti fide facta deferenda eſt ad Principem, cujus eſt, Privilegia circa talismodi ſtructuras largiri: abſque quod ſtructuræ veteres novis graventur oneribus.*

LVI. *Diverſoria privilegiata* (die Taverne-Wirthshaüſer,) *quod attinet, inquiretur eorum numerus, locus, & neceſſitas à Præfecto & judicio Provinciali, item quid quodvis Principi recognitionis loco ſolvendum habeat quotannis, quod tributum uti nec intendi, neque Religionis ulla diverſitas in conſiderationem venire debet.*

LVII. *Feuda inſcriptione renovanda* (die Einſchreib-Lehen) *quæ diplomate Feudali non opus habent, non redduntur caduca, licet cliens fiduciarius conſuetam receptionem prætermittat: mulctetur autem talis pro prima vice duplatione Laudemii: poſtea verò quoties hic neglectus contigerit cunque, multæ loco petendus pro rata poſſeſſionis ratione centeſimus florenus.*

LVIII.

LVIII. *In omnibus prædictis cauſis forenſibus ſicuti Dynaſtis, Moſnangenſi, Eppenbergenſi, Magdenovienſi, Krynovienſi,* (denen Particular Gerichts Herren, Moſſnang, Eppenberg, Magdenau, Krynau:) *& ſi qui fuerint alii, partium nunc paciſcentium munere haud defuncti, ſua ſingulis jura authentica ſolenniter reſervantur, iiſque nihil præjudicio ſtatutum, ita in omnibus his Dynaſtiis, ubi ſimultaneum eſt Religionis exercitium, modo ſub aliis punctis jam explanato obſervari debent jura, & paritas Religionis.*

LIX. *Reſervantur item expreſſis terminis oppidi Luciſſteigæ jura & privilegia ſingularia, ſuis diplomatibus, & conſuetudine antiqua fundata: hac quidem lege, ut & Sculteti munus utriuſque religionis civibus ſit alternum, eademque paritas in ordinatione Senatus, Fori civilis, aliiſque officiis obſervari debeat.*

LX. *Quod ſi & his illisve Communitatibus, vel etiam privatis, ſua forent ſingularia jura, in præcedentibus articulis haud memorata, diplomatibus firmata, manebunt & hæc illibata, atque illæſa.*

LXI. *Omnes Sententiæ, & Decreta à quibuſcunque foris, qualitercunque conſtitutis, ad hunc uſque diem facta, privatæ item conventiones abſque præjudicio tertii tranſactæ, in ſuo manebunt & pleno quidem vigore, abſque quòd vel aboleri, vel immutari queant: atque proin deciſa quævis ſtabunt deciſa, iis duntaxat caſibus exceptis, quibus Abbatiæ jura vel fundos fortè tetigiſſet judex. Approbantur item & confirmantur rationes circa impenſas durante proceſſu & motibus bellicis factas initæ, eo modo, quo examini eas ſubjecit, & ratificavit Senatus Provincialis, ita ut abſque ulteriori vel inquiſitione vel obſtaculo in diſpertiendis iis locum habeant præter morem receptum Conventiones & Sententiæ de Annis* 1513. & 1514.

LXII. *Plena tandem ſancitur & rata habetur ex omni parte Amneſtia, ſeu æterna omnium earum rerum oblivio, quæ inde à primordio litium exortarum, & durantibus bellicis motibus, ad hunc uſque diem cunque acta fuere, ut non ſub ullo prætextu ulli vel quoad corpus, vel bona, memoratis*

de cauſis, actio intentari unquam poſſit. Multas quod concernit & impenſas, quæ cives Sex Wattwilanos, Vexilliferum Pöſchium, hujus filium Jacobum Pöſchium, Apparitorem totius provinciæ Germannum, & hæreditatem Kellerianam attinent, abolentur illæ & eraduntur penitus, ut nemo non indigenarum poſſeſſionibus ſuis in familia ſua liberè & tranquillè frui queat.

LXIII. *Cauſam Religionis quod attinet, & tranſactiones circa eam,* (den Religions oder Landsfriden) *conceditur duntaxat, in univerſo quidem Toggio, cultus Romano-Catholici & Evangelici exercitium, idque plenarium, & liberrimum, in omni utriuſque cultus parte, cum omnibus dependentiis, ut nemo unquam hos illosve turbare poſſit.*

LXIV. *Quemadmodum autem Evangelici, Romano-Catholico-cultum, Ritus, Ceremonias, aliaque inde pendentia, quoad modum, formam, ordinem, circumſcribere, aut illis obſtaculo eſſe non poſſunt: ita neque aliis conceditur, Evangelicos turbare in ſuo cultu, Ritibus, Ceremoniis, & aliis rebus inde pendentibus, aut modum, formam vel ordinem præſcribere, vel quoad dies feſtos, prouti à Catholicis obſervantur, illis incommodo eſſe: ut quoad Dogmata confeſſioni Helveticæ porrò adhærere, & ritus nunc uſitatos ſervare poſſint.*

LXV. *Ordinabuntur horæ cultui ſacro dicatæ, ubi id nondum effectui datum, abſque morâ: & gravi pœnâ ſancitur, ut nemo alterum pro cathedrâ, vel aliâ quavis occaſione, propter Religionem conviciis aut maledictis proſcindere poſſit.*

LXVI. *Conceditur paſtoribus Evangelicis & Conſiſtoriis neceſſaria Diſciplina Eccleſiaſtica, quatenus ea conſiſtit in conſtitutione, & ſeria ad vitæ correctionem admonitione: ita tamen, ut hoc diſciplinæ exercitium haud tranſeat in juriſdictionem. Injungitur iiſdem ſedula cura ſcholarum, ut in iis proficere poſſit tenera ætas non ſolum legendo, ſcribendo, & cantando, ſed & circa principia Religionis, & fidei articulos benè erudiri.*

LXVII.

LXVII. *Paſtores Evangelici non viſitabuntur, niſi a ſuæ Religionis ſociis, neque amandabuntur ad præbendas alias inviti, quam diu quidem cœtibus ſuis doctrinâ purâ & vitâ devotâ præſunt. Omittenda quoque poſthac phraſis juramento hactenus inſerta,* Principi obedire in omnibus, dem Fürſten in allem gehorſam zu ſeyn.

LXVIII. *Viduis & pupillis dandi tutores ſuæ Religionis, quorum ut & proximè cognatorum curæ educatio committenda.*

LXIX. *Sicubi hujus illiusve Religionis aſſeclæ propriis ſumtibus nova templa erigere, vel præbendas fundare in animo habent, licitum hoc illis eſto: præmiſſa inter utriuſque cultus Socios conventione amicabili circa ſtructuram templi veteris: Diſſidentes verò in contrarias partes conciliare poterunt viri quatuor probi, ex utraque parte ſcilicet ad hunc finem rogati bini: diſperſis & his arbitris in paria vota, poterit horum quivis proponere tertium, qui probatæ ſit fidei, & à partium ſtudio remotus: ex his autem noviter accedentibus unus eſt ſorte pro arbitro ſeligendus, qui pro litis terminatione alterutram ab arbitris latam ſententiam ſub fide juramenti ſeligendam habet, meliorem nempe ſibi viſam. Licitum quoque eſto alterutri Religioni ſtructuram quampiam Templi cultui utrique communem ampliare, ſed propriis ſumtibus, & abſque alterius Religionis vel præjudicio, vel damno.*

LXX. *Ordinatio & diſpartitio bonorum Eccleſiis & Præbendis deſtinatorum* (Kirchen und Pfrund-Güter) *manebit in poſterum talis, qualis vel olim, vel durante hac Pacis negotiatione facta, ut poſthac nullæ ampliùs vel diviſiones talium bonorum, vel novæ conventiones locum habere poſſint.*

LXXI. *Si quæ Reformatæ Religionis perſona pro matrimonio promiſſo ſervando poſtuletur, vel maritata gravium cauſarum prætextu Divortium petat, tentabunt Decanus, Paſtor, & Politici Aſſeſſores Synodi, in unum congregati, cauſas poſtulationis factæ, vel etiam Divortii quæſiti amicè conciliare: dabunt autem, hac conciliatione fruſtra* ten-

tentatâ, ſententiam definitoriam & ultimam, ita tamen, ut res mulctâ vel pœnâ dignæ ad competentem deferantur Judicem.

LXXII. *Mulctæ pro diſpenſatione in tertio cognationis gradu erogandæ circumſcribuntur ita, ut qui incirca quinquies mille, vel plures poſſident florenos, ſolvendos habeant quinquaginta: viginti, qui in poteſtate habent millenos, & ultra ad quinquies mille: pro rata, quorum bona ad millenarium florenorum numerum non adſcendunt; pauperes verò tractandi ſunt clementer.*

LXXIII. *Synodus Toggii Evangelica in hoc, quo nunc eſt, ſtatu conſiſtet porrò, tractabit autem ea, & ſola quidem, res Religionis & Eccleſiæ juxta normam ſtatutorum, quibus nunc gaudent, Synodalium.*

LXXIV. *Jus Patronâtus circa præbendas manebit tale, quale dant diplomata, Privilegia à Principe agnita, & conſuetudines. Gaudebunt & Romano Catholici Toggii aliis, quàm quidem ſit, juribus, ſi quid pro ſe intra trium abhinc annorum ſpatium demonſtrare poterunt.*

LXXV. *Vacante in Toggio præbendâ quadam Evangelicâ, & Principe vel hujus Præfecto de hac re certiore, ut quidem decet, reddito, cœtus abſque impedimento ullo ſeligere ſibi poteſt Paſtorem in una ex civitatibus Evangelicis, qui quidem in una ex quatuor civitatibus Helvetiæ Evangelicis ſit pro Miniſterio examinatus, atque ad id admiſſus, huncque unà cum probæ vitæ teſtimoniis Principi hujusve Præfecto ad confirmandum præſentare; additâ hac cautione, ut ex uno Cantone admittatur niſi tertia omnium pars: Eandem tertiam partem explere poterunt Toggii ipſi, ſi qui adſint, Miniſterio apti, lege ante expoſitâ examinati, & ad Miniſterium admiſſi.*

LXXVI. *Sancitum porrò eſt inter partes, ut obtentâ Pacificationis hujus ratificatione, illa protinus detur effectui, & homagium ſubſequatur. Quod ſi verò poſt executionem hujus Pacti, circa hoc ipſum, & puncta in eo contenta, inſperatæ oriantur ſimultates atque diſſenſiones, ſeliget pro terminatione litium Princeps tres ex tredecim Helvetiæ*

Can-

Cantonibus, & Toggii tres alios, quibus ſex, obſervatâ Religionis & votorum paritate, incumbet, aut conciliare partes diſſentientes amicabili modo, aut juridicâ viâ, pro antiquo Helveticæ gentis more, litem dirimere, ſi amicæ compoſitioni nullus ſit locus. Cautum inprimis eſto, in omnibus inter Principem & Toggios orituris forte cauſis controverſis, nemini permiſſam fore viam facti, ſed quidem obſervandum modum vel amicæ compoſitionis, vel juridicæ definitionis, nec ad interim mutandam rerum faciem inde ab hac præſenti pacificatione.

LXXVII. *Pacem Religionis quod attinet in Juriſdictionibus magis minusve baſſis Principi Sancto Gallenſi in Landgraviatu Turgoviæ & Vallis Rheguſcæ ſubjectis, obſervari ea debet eodem præciſe modo, quem præſcribit Pacificatio religioſa inter Cantones A°.* 1712. *Aroviæ facta, ita ut omnes in hac ſanciti articuli, prouti nunc ſunt introducti, non excepto ullo, pro præſenti & futuro, plenum vigorem à partibus nunc paciſcentibus nanciſcantur.*

LXXVIII. *Non habent iidem, quod quidpiam ullo ſub prætextu ſumtuum Bello nupero impenſorum ſolvant, hoc ipſo tamen nil præjudicatur creditori cuivis legitima debitorum ſuorum jura prætendenti. Extendit ſe ad eoſdem ſubditos plenaria amneſtia omnium eorum, quibus inde ab initio Belli præteriti ad hunc uſque diem fortè contra Principem peccârunt, ut nemo hac de cauſa vel verbis laceſſiri, vel actionibus infeſtari poſſit.*

LXXIX. *Præfecturas quod attinet extra memorata Judicia ſitas, quales ſunt oppidum & Præfectura Wilenſis* (Statt und Amt Wyl) *Rorſchacenſis, Goſſovienſis,* und das Hofmeiſter Amt, *immunes & harum ſubditi ſunto ab impenſis bellicis, amneſtiæ plenæ participes, quo ipſo tamen reſervantur iterum creditoribus legitimæ ſuæ prætenſiones, harumque jura.*

LXXX. *Præſuppoſito, nil egiſſe D.ⁿⁿ Intendentes (qui partim Wilæ, partim S. Galli nomine Cantonum Tigurini & Bernenſis ſceptrum tenuere) quod vel juribus, vel fundis principis præjudicio eſſe poſſit, ſtatutum quoque, ut illorum*

& aliorum Tribunalium ſententiæ interea temporis latæ, & quicquid controverſi vel amicè compoſuerunt, vel juridicâ viâ terminarunt, ratum maneat & firmum. Quicquid item terrarum ex feudo fuit coëmtum, & ſtructuræ Templi Evangelici in Schönholtzerswylen, *& pro appartenentiis fuit impenſum, ſalvo emphytheuſeos jure, in reliquis fundis quærendo.*

LXXXI. *Inſecutâ Pacificationis hujus ratificatione, pro qua cuique parti ſpatium binorum menſium conceditur, decedent Cantones bini de Poſſeſſione Provinciæ veteris, Judiciorum Turgoviæ & Vallis Rheguſcæ, omnium inde pendentium Immunitatum ac Jurium, omnium item redituum, uſurarum, decimarum, cenſuum, aliorumve jurium, intra extrave terras ſubditas, eo planè modo, quo hæc omnia poſſederunt ipſi, poſſidentque adhuc, Principique Sancto-Gallenſi extradent: Excipiuntur ea, circa quæ in præſenti tractatu aliter diſponere viſum fuit.*

LXXXII. *Toggiis, poſtquam omni in hoc tractatu ſtipulata effectui dederint, eò quidem uſque, ut Senatum Provincialem, cum ſua quota Judicum pro Foro appellationis, ante homagii præſtationem nominaverint, prælegetur in ipſo actu ſolenni homagii, à Principe intra quatuordecim à ratificatione dies ſuſcipiendi, in concionem nempe congregatis, Pacificatio hæc unà cum Ratificatione, quo facto obſtringent ſeſe jurejurando ad obſequium erga Principem, & denominabit Princeps intra tres dies proximè ſequentes Officiales, Judices Provinciæ ac Appellatorii Fori: Redibitque adeò Princeps & Abbas Cœnobii Sancto Gallenſis ad tranquillam, & pacto conformem, Comitatus Toggii poſſeſſionem: manus dantibus binis Cantonibus.*

LXXXIII. *Pax nunc ſtabilita, ut tantò eſſet firmior & durabilior, neve occaſione litium (quas DEUS clementer avertat!) inter vicinos ſtatus fortè emergentium quoquo modo debilitaretur, obligant ſeſe Canto Abbatiſcellanus Extra Rodanus, Princeps & Abbas Sancto Gallenſis & Civitas Sancto Gallenſis, pacto mutuo promiſſorio, bonâ fide Helveticâ, & expreſſis terminis, ut neutra pars erga alteram,*

qua-

qualemcunque ob cauſam viâ facti, vel hoſtiliter procedere velit: Exorientibus inter hoſce ſtatus litibus circa pacta mutua, & jura in iis contenta, vel horum pactorum explicationem, deferet pars læſa ſive oretenus, ſive ſcriptis, pro rei natura, gravamina ſua ad partem lædentem, petendo ſatisfactionem, modo vicinos & amicos decenti, ac præſtolando reſponſum neceſſitudini atque juſtitiæ congruum: interim verò provocatione ad jus factâ nemo procedet viâ facti, & gaudebit quælibet ex Diſſentientibus partibus iis juribus, poſſeſſionibus, & conſuetudinibus, quas habuit ante exortam litem: quod ſi hæ partes litigantes amicè inter ſe convenire nequeant, promovenda eſt res controverſa ad amicam ulteriorem compoſitionem, vel legalem terminationem, ita, ut cuilibet parti incumbat, binos ex Helvetiæ Cantonibus ſeligere pro lubitu, ut hi per deputatos Senatores & paria vota litem controverſam dirimant, abſque quod huic illive parti litiganti ulterius ſeſe opponere liceat; habebuntque Cantones mediatores, qui vel amicè compoſuerunt, vel legalem ſententiam dederunt, jus atque poteſtatem, tanquam vindices, obligandi partem obſtinatam, quæ ſententiæ latæ magis minusve & via facti ſeſe opponere vellet, vel amicè, vel per media fortiora mageve ſeria, tum ad ſententiæ acceptationem, tum ad refundendos parti læſæ ſumtus reparandave damna.

LXXXIV. *Conventum inter tres nunc paciſcentes Status vicinos, ut oblivioni æternæ tradatur pro nunc & futuro omne id moleſtiæ, tædii, atque odii, quod inter illos, & uſque huc exarſit, & inter nominatos tres Status nova fundetur, atque proporro colatur amicitia ſincera, haud fucata, ad quam ex omni parte colendam ſubditi ſeriis exhortationibus ſtimulari debent.*

LXXXV. *Abolitum vectigal in Lanquat quod concernit, manebit res in eo ſtatu, quo nunc eſt, uſque ad vel amicam compoſitionem, vel juridicam definitionem, intra annum terminandam.*

Partes contrahentes, Cantones nempe Tigurinus atque Bernenſis ex una, & Princeps ac Abbas, cum Decano &

Capitulo, Sancto Gallenſis ex altera parte, quemadmodum tractatum hunc pacis promittunt pro ſe & poſteris, & bonâ quidem fide, ſanctè obſervare in ſingulis articulis & integra ſumma, nec pati, ut ei veniatur contra: ita pariter obligant ſe ad mutua pro illius defenſione auxilia: omnia hæc vi præſentis Diplomatis, cujus tres copiæ ejuſdem prorſus tenoris expeditæ & infra ſubſcriptorum Pacificatorum manu atque ſigillis confirmatæ ſunt: Badæ in Argovia, Mercurii die decimo & quinto Junii, Anno à nato Salvatore JESU CHRISTO milleſimo, ſeptingenteſimo & decimo octavo.

(L.S.) Joh. Jacobus Huldricus, *Proconſul & Ordinarii Senatus Reip. Tigurinæ.*

(L.S.) Joh. Henricus Hirzelius, *Proconſul & Ordinarii Senatus Reip. Tigurinæ.*

(L.S.) J. F. Willading, *Dynaſta in Urthenen & Mattſtetten, Scultetus Reip. Bernenſis.*

(L.S.) Joh. Anthonius Tillier, *Vexillifer & Ordinarii Senatus Reip. Bernenſis.*

(L.S.) Joſephus Anthonius Pundtiner, *de Brg. Principis & Abbatis Sancto Gallenſis Conſiliarius & Cancellarius.*

(L.S.) Gallus Anthonius, *Baro de Turre, Principis & Abbatis Sancto Gallenſis, Præfectus in Romiſshom.*

RATI-

RATIFICATIO PACIS

ex parte

Illmæ Reipublicæ Tigurinæ.

Nos Conſul, Senatus ordinarius & frequentior Civitatis Tigurinæ, notum facimus. Poſtquam noſtri in nupero congreſſu Badæ uniti Con-Senatores & Pacificatores Ampliſſimi, Conſultiſſimi & Nobiliſſimi Dn. Joh. Jacobus Huldricus, Proconſul, & Dn. Joh. Henricus Hirzelius, Proconſul, cum Reverendiſſimi Principis & Abbatis noviter electi Joſephi, nec non Decani & Capituli Abbatiæ Sancto Gallenſis Dnis Pacificatoribus, convenere die 15. Jun. Anni currentis circa Articulos Pacis ad Statuum ipſorum Ratihabitionem uſque, Sanciendæ inter Illmas Reſpp. Bernenſem & Noſtram ex una parte, & Revmum Principem & Dominum Abbatem, Decanum & Capitulum Abbatiæ Sancto Gallenſis ex altera, & expeditis prius tribus ejuſdem tenoris Exemplaribus ad ſingulos tres Status, tandemque plenâ poteſtate obtentâ ſubſcripſerunt, & ſigillis ſuis confirmarunt. Nos etiam reviſione factâ & omnibus benè ponderatis Tractatum illum Pacis Divinâ favente Gratiâ ſancitum approbavimus, ratificavimus, & confirmavimus in omnibus ſuis punctis, articulis & clauſulis: approbamus in totum, ratificamus & confirmamus, pro nobis, & poſteris noſtris, ſpondentes ſub juramento Helveticæ fidei omnium in dicto Tractatu Punctorum, Articulorum & Clauſularum ſinceram obſervantiam, & fidiſſimam attentionem. In fidem hujus & ulteriorem confirmationem præſentis Ratificationis ſigillum Civitatis noſtræ ſecretum imprimi curavimus, Jovis die 11. Aug. Anno à Nativitate Salvatoris JESU CHRISTI milleſimo, ſeptingenteſimo & decimo octavo.

(L.S.)

RATIFICATIO PACIS

ex parte

Ill^mæ Reipubl. Bernenſis.

Nos Scultetus, Senatus Ordinarius & frequentior Civitatis Bernenſis, notum facimus. Poſtquam inter Ill. Reſpp. Tigurinam & noſtram ex una parte, & Rev^mum Principem & Dominum Abbatem, Decanum & Capitulum Abbatiæ Sancto Gallenſis ex altera, ortæ fuere ſimultates & diſſenſiones, eæque in apparatus bellicos progreſſæ in apertum erupere bellum, hoc autem amicâ conventione d. 5. Jan. Badæ cœpta, 5. Maji reaſſumtâ, favente Divinâ Gratiâ, per Deputatos illuc D^nos Plenipotentiarios fuit ſopitum, articulis Pacis ad ratificandum chartæ conſignatis, & d. 15. Jun. anni currentis ſubſcriptis, ac ſigillo firmatis, approbavimus nos, ratificavimus, & confirmavimus memoratum Pacificationis Tractatum in omnibus ſuis punctis & articulis, atque integrâ ſummâ. Omnia autem hæc vi præſentis Ratificationis pro ulteriori confirmatione ſigillo civitatis noſtræ muniuntur d. 12. Aug. 1718.

(L.S.)

RATI-

RATIFICATIO PACIS

ex parte

Rev[mi] Principis & Abbatis, Decani & Capituli Abbatiæ Sancto Gallenſis.

Nos DEI Gratia Joſephus, S. Romani Imperii Princeps, Abbas Cœnobii Sancto Gallenſis, quod immediatè Sedi Sanctæ Romanæ eſt ſubjectum, Benedictini Ordinis, Annuntiationis Divæ Virginis Mariæ Eques &c. Nosque Decanus & Capitulum Abbatiæ Sancto Gallenſis notum facimus omnibus. Poſtquam pro ſopiendis motibus bellicis, & terminandis diſſenſionibus, inter Ill. Cantones Tigurinum, atque Bernenſem ex una, & Nos ex altera parte Badæ inchoata d. 5. Jan. currentis anni, & 5. Maji reaſſumta Pacificatio per noſtros hunc in finem Deputatos & plenâ poteſtate inſtructos eò uſque fuit deducta, chartis conſignata, tandemque 5. Jun. ſubſcripta, & ſigillis munita, ut non deeſſet niſi ultima noſtra Ratificatio; Nos nunc Tractatum illum Pacis in omni articulorum ſummâ in ſolidum approbamus, ratihabemus, & confirmamus, vi propriæ noſtræ manus ſubſcriptionis, atque ſigillo Abbatis & Capituli. Data hæc & Acta in Caſtello noſtro Neü Ravenſpurg. d. 5. Aug. 1718.

Joſephus Abb.
(L.S)

P. Jodocus Decanus.
(L.S.)

Operæ pretium duco, adnectere huic Itineri conſectaria, quæ ex obſervationibus meis circa Aëris Dilatationem Actis Societatis Regiæ Scientiarum 1711. p. 156. inſeruit Celeberr. Maraldi.

Non-

Nouvelles Experiences ſur la Dilatation de l'air, faites par MR SCHEUCHZER, *ſur les Montagnes des Suiſſes, avec des Reflexions* par MR MARALDI.

Mr. Scheuchzer a envoyé à Monſr. L'Abbé Bignon pluſieurs Obſervations ſur la Dilatation de l'air, qu'il a faites ſur les Montagnes des Suiſſes pendant le mois de Septembre de l'année 1710.

Nous avions prié M^r. Scheuchzer de faire ces Obſervations pour connoiſtre ſi à ces grandes hauteurs l'air s'y dilate avec la meſme proportion, qu'il ſe dilate prés du Niveau de la Mer. Il a obſervé avec un Tube long de 33. *pouces du pied de Paris, & de deux lignes de Diametre à ſept ſtations differentes, la hauteur du Mercure dans le vuide, & il a fait à chaque ſtation les Obſervations ordinaires de la dilatation de l'air, en laiſſant dans le Tube premierement trois pouces d'air naturel, aprés ſix, ainſi de ſuite, de trois en trois pouces juſqu'à trente. Il a meſuré exactement en pouces, en lignes & en parties de lignes la hauteur où le Mercure reſtoit dans le Tube aprés la dilatation, de meſme que l'etendue qui occupoit l'air dilaté aprés le renverſement.*

Dans la plus baſſe de ces ſtations le Mercure eſtoit ſuſpendu dans le vuide à 26. *pouces* 7. *lignes* $\frac{1}{2}$. *Dans la plus haute il ètoit à* 21. *pouces*, 6. *lignes, de ſorte que la difference de hauteur du Mercure dans le vuide à été de* 5. *pouces. Pour connoiſtre, ſi la regle ordinaire avec laquelle l'air ſe dilate parmi nous, eſt conforme aux Obſervations de M^r. Scheuchzer, j'ay calculé ſuivant cette regle l'eſpace que l'air devoit occuper dans le Tube aprés la dilatation, j'ay fait ce calcul pour toutes ces Obſervations, & j'ay comparé l'un avec l'autre dans une Table à part.*

Il paroit par cette comparaiſon, que le calcul ne s'accorde avec les Obſervations que dans la dilatation qui repond

repond aux trois premieres pouces d'air naturel. Dans les autres la dilatation que l'air par l'Obſervation eſt moindre que par la regle juſqu'au 18. *pouce d'air Naturel, où la dilatation obſervée s'accorde à une ou deux lignes prés avec celle qui eſt calculée par la regle. Depuis le* 18ᵉ. *pouce juſqu'au* 30ᵉ. *d'air naturel la dilatation obſervée eſt toujours plus grande que la calculée, au contraire de ce qui s'eſt trouvé dans les premiers* 18. *pouces. Le plus grand exces du Calcul ſur l'Obſervation qui s'eſt trouvé au* 9ᵉ. *& au* 10ᵉ. *pouce eſt de* 8. *à* 9. *lignes, & le plus grand defaut du calcul à l'egard de l'Obſervation eſt de* 10. *à* 11. *lignes, qui repond au* 24ᵉ. *& au* 27ᵉ. *pouce d'air naturel. Ce qui fait voir qu'à les grandes hauteurs l'air ne s'y dilate pas avec la meſme regle qui s'obſerve proche du niveau de la Mer: & par conſequent qu'elle n'eſt pas generale pour toute l'étenduë de l'air qui eſt dans un meſme climat.*

Nous avons remarqué dans les Memoires de l'Academie de l'année 1709, *que cette regle ne s'obſerve pas non plus à l'egard de l'air ſitué à peu prés à la meſme diſtance du niveau de la Mer, dans un autre climat fort different du noſtre, comme eſt celuy de Malaca dans les Indes Orientales. Dans cet endroit par des Obſervations ſemblables à celles de Mʳ. Scheuchzer trois pouces d'air naturel, aprés la dilatation ont occupé dans le Tube un eſpace de* 7. *pouces* 5. *lignes, au lieu que ſuivant la regle il devoit occuper* 9. *pouces* 6. *lignes* $\frac{1}{2}$. *La difference entre l'Obſervation & la regle eſt de deux pouces une ligne, ſix pouces d'air naturel, aprés la dilatation ont occupé* 10. *pouces* 9. *lignes, par la regle, la dilatation devoit etre* 13. *pouces* 3. *lignes, la difference eſt deux pouces* 5. *lignes, donc la dilatation obſervée eſt moindre que la calculée. Il en eſt de meſme des pluſieurs autres Obſervations faites à Malaca, & calculées dans ce Memoire; Ce qui fait voir dans l'air de Malaca une dilatation bien differente de celle qui arrive au noſtre, & meſme plus grande que celle qui reſulte des Obſervations de Mʳ. Scheuchzer.*

Il y a quelque conformité entre les Obſervations de Malaca

laca & celles de Zuric. A Malaca, où la dilatation de l'air eſt fort differente de celle qui s'obſerve à Paris, la variation du Mercure dans le Barometre eſt plus petite qu'à Paris. Il en eſt de meſme des Obſervations de Zuric, la dilatation de l'air ſe fait d'une maniere differente qu'à Paris, & la variation du Mercure dans le Barometre eſt plus petite que celle qui arrive à Paris & à Gennes. Il eſt vray qu'à Malaca la dilatation ſe fait d'une autre maniere, qu'elle ne ſe fait à Zuric: car à Malaca la dilatation obſervée eſt toujours plus petite, que celle qui reſulte du Calcul, au lieu que par les Obſervations de M^r. Scheuchzer la dilatation obſervée eſt plus petite, que la calculée, juſqu'à un certain terme, enſuite elle eſt plus grande. C'eſt une choſe digne de remarque, dans le lieu le plus bas où M^r. Scheuchzer a fait ſes obſervations, la dilatation de l'air ſe fait d'une maniere differente de ce qu'elle ſe fait à Paris, quoy qu'entre ces lieux & Paris il n'y ait qu'une difference de hauteur qui repond à environ deux pouces de Mercure dans le Barometre, & cependant l'air ſe dilate de la meſme maniere dans les ſtations où M^r. Scheuchzer a obſervé, quoy qu'entre le lieu le plus bas & le plus haut de ces Obſervations il y ait une difference de hauteur, qui repond à plus de cinq pouces de Mercure, d'où l'on pourroit inferer, que dans un meſme climat l'air proché de la ſurface de la terre change ſenſiblement dans une petite hauteur, & qu'il eſt plus uniforme dans une grande étenduë loin de la ſurface de la Terre.

M^r. Scheuchzer ayant fait des Experiences dans une mine d'acier où l'air eſtoit chaud, à cauſe du grand feu qu'on y faiſoit pour fondre la mine qui eſt fort dure, a trouvé dans cette mine la hauteur du Mercure dans le vuide & la dilatation de l'air la meſme que celle qu'il a trouvée par des Obſervations faites au meſme endroit hors de la mine & à l'air libre, ce qui s'accorde avec les experiences rapportées dans les Memoires de l'Academie de 1709. *par leſquelles il paroit qu'une grande chaleur comme eſt celle de l'eau boüillante ne fait pas varier ſenſiblement la dilatation de l'air.*

Illu-

Illuſtrabit hæc porro ſequens Tabula.

Altitudo Mercur.	Weſen.	Tigurum.	Fodinæ Chalybis Sarunet.	Auf Enneſewen.	Auf Scherff.	Auf dem Blattenſtock.
	26. dig. 7. lin.	26. dig. 4. lin.	24. dig. 4. lin.	23. 10.	21. 8.	21. 6.
	Digi	ti Aë	ris dila	tati.		
	Dig. lin.	dig. lin.	dig. lin.	dig. lin.	dig. lin.	dig. lin.
3	11. 11¾. calc. 12. 1. obſ.	12. 3. C. 12. 6. O.	13. 1. C. 13. 1. O.	13. 6. C. 13. 6. O.	14. 8. C. 14. 6. O.	14. 7. C. 14. 6. O.
	1¼. diff.	3. diff.	0. diff.	0. diff.	2. diff.	1. diff.
6	15. 6. C. 15. 3. O.	15. 10¾. C. 15. 7. O.	16 4. C. 16. 1. O.	16. 7. C. 16. 4. O.	17. 6. C. 17. 3. O.	17. 6. C. 17. 3. O.
	3. diff.	3. diff.	3. diff.	3. diff.	3. diff.	3. diff.
9	18. 4. C. 17. 8. O.	18. 7. C. 18. 0. O.	19. 0. C. 18. 5. O.	19. 2. 18. 7.	20. 1. C. 19. 6. O.	20. 1. C. 19. 6. O.
	8. diff.	7. diff.	7. diff.	7. diff.	7. diff.	7. diff.
12	20. 9. C. 10. 0. O.	20. 11. C. 20. 3. O.	20. 10. C. 20. 7. O.	21. 4. C. 20. 9. O.	22. 0½. C. 21. 6. O.	21. 10. C. 21. $\frac{5}{5}$. O.
	9. diff.	8. diff.	3. diff.	7. diff.	6. diff.	5. diff.
15	22. 8. C. 22. 3. O.	23. 0½. C. 22. 6. O.	23. 2. C. 22. 9. O.	23. 3. C. 22. 9. O.	23. 3. C. 22. 9. O.	
	5. diff.	6½. diff.	5. diff.	5. diff.	6. diff.	13. 4½. O.
18	25. 0. C. 24. 10. O.	24. 9. C. 24. 8. O.	25. 0. C. 24. 10. O.	25. 2. C. 25. 0. O.	25. 4. C. 25. 3. O.	25. 6. C. 25. 3. O
	2. diff.	1. diff.	2. diff.	2. diff.	1. diff.	3. diff

Aër ordinarius in Tubo relictus.

 Alti-

Altitudo Mercur.	Weſen.	Tigurum.	Fodinæ Chalybis Sarunet.	Auf Enneſewen.	Auf Scherff.	Auf dem Blattenſtock.
	26. 4. C.	26. 7½. C.	26. 8. C.	26. 8. C.	26. 11. C.	27. 1. C.
21	26. 8. O.	27. 0. O.	27. 0. O.	26. 10. O.	27. 1. O.	27. 3. O.
	4. diff.	4½. diff.	4. diff.	2. diff.	2. diff.	2. diff.
	28. 0½. C.	28. 2. C.	28. 2. C.	28. 3. C.	28. 5. C.	28. 4. C.
24	28. 8. O.	28. 11. O	28. 10. O.	28. 10. O.	29. 0½. O.	29. 0. O.
	7½. diff.	9. diff.	8. diff.	7. diff.	7½. diff.	8. diff.
	29. 7. C.	29. 11¾. C	29. 7. C.	29. 6. C.	29. 9. C.	29. 8. C.
27	30. 5. O.	30. 7½. O.	30. 6. O.	30. 5. O.	30. 6. O.	30. 5. O.
	10 diff.	8. diff	11. diff.	11. diff.	9. diff.	9. diff.
	31. 0. C.	31. 2½. C.	31. 0. C.	30. 0. C.	31. 1. C.	31. 0. C.
30	30. 8. O.	31. 10½. O	31. 6. O.	31. 8. O.	31. 8. O.	31. 6. O.
	8. diff.	8. diff.	6. diff.	8. diff.	7. diff.	6. diff.



JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,

Tigurin. Med. Doct. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolin. & Socc. Regg. Anglic. ac Pruſſic. Membr.


ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

SIVE

ITINERIS ALPINI Deſcriptio Nona,

ANNI MDCCXI.

Nunc primum Edita.


La Ville de MELLINGEN, en Suiſse.
A. Maiſon du Commandeur.
B. Egliſe Parousſiale.
C. Maiſon de Ville.
D. ober Thor.
Ruſs flu

ITER ALPINUM NONUM, ANNI MDCCXI.

Die 23. Maji bono mane Tiguri diſceſſerunt mecum Nob. Juvenes *Conradus Goſsweiler*, *Rodolfus Lavater*, *Caſparus Meyer*, *Andreas Meyer*. Prandium ſumſimus in oppido *Mellingen*, quod peculiaribus gaudet juribus ſub protectione VIII. Cantonum veterum, ad quos patet appellatio. Ipſum hoc oppidum Senatum habet 18. virorum, quorum II. incluſis duobus Sculteris, conſtituunt Senatum minorem: Sculteros eligit civitas, reliquos Senatores eligit ipſe Senatus. Alternus eſt Sculterorum ordo per annos. Oppido huic ſubeſt Pagus *Dägeren* cum Villa Bütſchikon. A vectigali pro ponte ſolvendo exemti ſunt pagi vicini *Rordorff*, *Nider Rordorff*, *Wislispach*, *Dägeren*, *Wolenſchwyl*, *Utikon*, tenentur tamen, ea quæ in ponte & viis deficiunt, reparare. Civitas tota ferè componitur è viris 125. *Mellingen.*

In *Megenwyl* pago celebris eſt lapicidina, inprimis pro fontium Ciſternis; hic reperias variæ magnitudinis *Gloſſopetras*, advecta mihi quoque non ita pridem ſunt *oſſa foſſilia* petrefacta. *Megenwyl.*

In Lapicidinis *Lentzburgenſibus* reperiuntur quoque *Gloſſopetræ* & Pectunculi lapidei.

Ruperti villa, *Rupertswyl*, diverticulum nobis fuit ſemihoræ ad dextram; hîc autem conſpectui ſiſtere cupiebamus organum *Ruperti villa.*

ganum Pneumaticum à ruſtico inventum, quod varii generis aves ſiſtit ſingulas proprio ſibi cantu auditores, delectantes, Bernam nunc adductum, ut ibi exponeretur.

D. 24. Sacræ ſynaxi conſacravimus matutinas horas, quibus finitis & prandio ſumto, Aroviæ diſceſſimus.

In Curia Arovienſi tabula ſuſpenſa inſignia portans Nobilium de Rore cum hac ſubſcriptione:

Wapen der Edlen Graffen van Rore als Stifteren diſes hauſes. Landulus ein Graff Zuo und von Rore lebt und regiert umb das jahr 860. *Erneſtus Graff von Rore A°.* 900. *von diſen Graffen hat die Statt ihren anfang genommen, an welchem ohrt die alte veſte Rore, darinn die Graffen gewohnt, geſtanden, daraus darnach das Rathhaus gemacht worden. Nach abgang diſes Graffen kam die Statt an das Haus Habſpurg, von Rapdone A°.* 1030.

Soloderum. D. 25. Solodori humaniſſime excepti ab Illmo & Exc°. Chriſtianiſſimi Regis Oratore Comite du Luc, cujus prandio intereſſe licuit Societati noſtræ.

Quartâ vix horæ parte ab urbe Sacellum eſt Divæ Catharinæ Sacrum, cujus muro inſerta viſitur Inſcriptio ſequens:

D. M. M.
LILIA PRONIMA.
IVGENIAE MARCELLI
NAE STATILI PATERN

In templo S. Urſi legitur:

VENERABILIS TVMBAE S. VRSI
SVB ALTARI CHORI ANNO DO-
MINI 1519. INVENT. VETVS TEGMEN.

In templo Jeſuitarum, quorum Bibliotheca numero æquè ac qualitate librorum admodum eſt macra, Epitaphium legitur ſequens:

STA



La Ville d'ARAW, *en Suisſe.*



La Ville de *SOLOTHURN*, *en Suiſſe*.

comme elle a été ci-devant.

STA VIATOR
IACET HIC PRAENOB. DOM. CAPIT.
IOHANNES VICTOR SVRI
SENATOR VIGIL. ET ARM. PRAEFECTVS
FVIT PRAETORVM FILIVS NEPOS PRONEPOS
INTER DIVITIAS INTEGER
INTER DELICIAS VIRGO
INTER ARMA RELIGIOSVS
VERE ROSA INTER SPINAS
VIXIT ANNOS LVI.
AT NON NISI DEO ET PATRIAE
TEMPLIS PATRONVS, MISERIS ASYLON
MAIORVM GLORIA, FAMILIAE GEMMA
POSTERIS EXEMPLVM
TEMPLVM HOC ILLIBATAE VIRGINIS
HONORIBVS DIE VIII. DEC. INITIATVM
MVTAVIT IN SEPVLCHRVM
ET RELICTIS CINERIBVS IN COELVM ABIIT.
DIE XII. DECEMB.
PhœnIX æVI sVI.
PatrIæ TotIVs DeLICIVM
SVSPICE VIATOR ET SEQVERE.

Die 26. appuli *Bernam*, ubi ante omnia conſideratione mea dignum judicavi perrarum Fulminis nuperi Phænomenon, cujus deſcriptio ſequens. *Bernæ.*

Die 20. Maji veſperæ horam inter 7. & 8. inter medios effuſos imbres feriit Fulmen Turrim in media ferè urbe ſitam, deſtinatam pro carceribus, unde & *der Keſichthurn* dicitur, cum vicinis ad dextram & ſiniſtram ædibus Turri contiguis. Primus ictus perterebravit tubum ferè Cylindricum è ferro, ut vocant, albo conſtantem, cui ſupremus inſiſtit globus, Turris ipſius apex; facta eſt autem perterebratio ſtatim infra Globum, non autem recta poſtmodum deſcendit, ſed ſpirali ferè ductu primum tubum aperuit, dehinc in turris ipſius contignationem tanto impetu ſe demiſit, ut omnes ex 4. hædris tecti tegulæ fuerint excuſſæ ſedibus ſuis, & in plateam proſtratæ, cupreæ laminæ, quibus peribolus infra campanam erat te-

ctus, à ligno, quod ambiebant, ſolutæ. In tabula Horologii ſuperiori ſeu Occidentali numerus IV. veluti deletus, & tabula ipſa in imo margine veluti in ſpiram convoluta: in tabula Orientali numerus V. pariter deletus, & utrobique ſpatium ſat largum veluti fumo denigratum. Porta denique ima lignea Turris in angulo perforata. Ad ſeptentrionem adſtat Turri domus D^ni^ Præfecti *Eckeri*, poſſeſſore & domeſticis omnibus ἀγαθῇ τύχῃ vacua, hujus conclavia penè omnia pervaſit fulmen ingreſſum per angulum Turri proximum in contignationem ſupremam, ubi ſaxa ingentia per totam conclavis latitudinem fuere ſedibus ſuis mota, diffracta, lignea varia, ſupellectilia in mille fruſta diſcerpta, intactis lectis, libris, Cannabi ex tabulato ſuperiori copioſè ſuſpenſa, aliaque materia facilè inflammabili: Inde in contignationem deſcendit proximè inferiorem, & hic pariter excuſſit è ſaxis fragmina, feneſtras, ut in ſuprema, diffregit, maculam latam ſatis in Muro & tabulato reliquit nigram, laminas è capſis ligneis partim diffregit, partim ſolvit; abhinc deſcendit in inferiorem contignationem, ubi feneſtras rurſum magna ex parte diffregit, vaſa culinaria in terram proſtravit, in adjacente cubiculo ciſtulam ligneam & ſpeculum in mille fruſta diffregit, calceos aliaque in menſa repoſita in altum ſublevavit, & in ſuperliminari depoſuit, Chartulas diſſectas, & fragmina lignea fiſſuris tabulati ſuperioris infixit.

In Orientali domus hujus parte quæ ſunt conclavia, ab effectis fulminis fuêre libera, ſcala cochleari ſaxea excepta, quæ paſſim à Fulmine per angulum Muri ingreſſo læſa fuit. In infima Vaſi domus aſſer inventus diffractus. In adjacenti domo Wagneriana lignea vaſa varia fuêre quoque diſcerpta.

Ad Meridiem quinque conſecutivæ Ædes Fulminis penetrantiſſimi effecta ſunt paſſæ.

Prima, Turris eſt additamentum, & conclavia continet captivis coërcendis deſtinata: in horum uno bini erant detenti, quorum uni vita fuit extincta; In cadavere extincto obſervatum, capillos cum barba fuiſſe igne aduſtos, uti quoque veſtes: ventrem tumidum, regionem umbilicalem aduſtione denigratam, unde litura nigra ad extremos in pedes fuit protenſa,

ſa, alteri viſus ademtus à fulgore nimio, qui nunc ſub manibus eſt Medicorum, & feliciter videtur reſtitui. Feneſtræ in aliis ædibus fuere diſruptæ, plumbo paſſim in particulas diſperſo. Secunda eſt - - - - Tertia viduæ *Hacbrettianæ*, has duas ſine notabili damno trajecit, & fragmina duntaxat ſaxi decuſſit. Quarta eſt Fabri Ferrarii, cujus imam officinam per murum penetravit Fulmen, & mediam ab uno pariete ad alium tranſmeavit, ligna quædam in via diſcerpens, ferrea inſtrumenta nigricante & cœruleo colore veluti oblita, *ſchwartz und blau angeloffen.*

Cupri Faber, qui è regione turris ſedebat rari admodum Phænomeni ſpectator Podagricus à terrore in lectum poſt projectus, mihi retulit, binos ſe audiviſſe, unum immediatè poſt alterum, fragores, vidiſſeque Fulmen in Occidente Turris inſtar glomeris igniti in plateam projectum, & in ſtellulas veluti diſperſum, quem ignem comparavit ſpectator cum bombis illis ignitis, quos *Carcaſſes* vocant; comparuiſſe item ædes fulmine ictas veluti igne lucentes, fumum ſatis denſum, qui ſuam propriam repleverit domum, quæ è regione turris ſat longo intervallo diſtat. Fumo hocce repletam ædem Eckerianam offenderunt, qui primi eam intrarunt.

Eodem, quo hæc contigerunt, tempore, imo temporis puncto, aliud Fulmen feriit Coloſſum illum ligneum, qui Chriſtophori Magni nomen fert, & dextrâ manu bipennem geſtat, hujus dextra manus inter pollicem & indicem fulmineo ictu fuit pertuſa, & inſuper ferrea ſpina ſupra portam poſita dejecta, quæ transvectum à molitore ſaccum farinâ repletum trajecit.

Eadem veſperâ in Agro Bernenſium, qui Lacui Lemanno adjacet, fuit tempeſtas grandinoſa, ſed ſine notabili damno.

Ex Fulminis Bernenſis Hiſtoria corollarii loco in re tam obſcura inferre licet,

1. Fuiſſe id ſeu unicum, ſeu eodem tempore multiplex, & urens, licet ſine incendii effectu, & diſcutiens, & fumigans.

2. Ejus eſſe materiæ, quæ ſeſe inprimis jungat, & applicet corporibus metallicis, quæ ſeu fundat, ſeu in minutas particellas, undiquaque diſpergat, vel perterebret.

3. Eſſe ignem Fulmineum perniciſſimæ velocitatis, cujus ope etiam ſolidiſſimas ſuperet reſiſtentias.

4. Unum eundemque glomerem fulmineum, diſpergi in varios ramos, qui dehinc deorſim ſinguli ſuos effectus edunt.

5. Uni eidemque glomeri fulmineo ineſſe fortè plures minores, eorum ad inſtar globorum, miſſilium ignitorum, qui intra ſe plures recondunt jactus ſpecialis, *Carcaſſen, oder Luſt Kuglen, welche vil ſchläge in ſich haben.*

Illuſtrandis fulminis effectibus conferre forſitan poterit experientia caſualis, quæ Chymico Bernenſi, proſapiâ ruſtico, contigit A°. 1707. In animo erat præparare *Spiritum nitri alcaliſatum*, quem ut fortiorem tanto obtinere poſſet, loco *aquæ* aſſumſit *ſpiritum Vini;* operationi præfecit filium, qui tribus ab igne paſſibus ſtetit dolio innixus. Rumpitur retorta & vas recipiens 27. menſurarum, læditur hinc non parum operator à 7. fragmentis vitri corpori paſſim, ſpeciatim etiam collo infixis, quorum ultimum A°. 1710. demum è corpore fuit protractum. Curioſius fuit acuforme fragmen, quod plantæ pedis infixum hæſerat, nec tamen calcei ſoleæ quidpiam attulit damni. Fragor disruptorum vaſorum fuit exploſo mortario vel tormento majori 20. libras ferenti ſimilis, per totam urbem auditus, ut accurrerint ipſi vicini judicantes, collapſam domum. Surditatem concepit inde temporariam adſtans chymicus, & domeſtici alii. Tribus à recipiente paſſibus repoſitorio erant impoſita vitra, liquoribus variis ad diverſas altitudines repleta; Hæc quouſque fuere vacua in pulverem ſubtiliſſimum fuere converſa, ad poſtica ſparſum per medium parietem ligneum hoc ipſo illæſo. Caſum hunc uti ex ore Chymici eum habuit, recenſuit Nob. D$_n$. *Wildius* Amicus optimus Lit. d. 29. Jul. 1711. ad me datis.

Regimen Juventutis ideale. Dies 27. 28. 29. tranſiguntur ſolennitatibus circa Exercitia armorum magnifica, quibus occaſionem dat Regimen Juventutis ideale, ut ita loquar, veri Regiminis Bernenſis imitatorium. Nimirum eam habet honeſtæ laudis ambitionem juventus, ut Proceres ſuos Reipublicæ gubernatores imitentur tum in forma Reip. propriæ, *exterior Status, der uſſere Stand*, dictæ, tum in conſultandi & decidendi controverſias ſuas mo-

do,

do, & ſic ſeſe maturè ad perſonas ſuas condigno modo *in interiori Statu*, *im inneren Stand*, repræſentandas diſponat.
Suos habent hi Juvenes viri, quos commode appelles *menſuram* Reip. *modicam*, *einen verjungten Maſsſtab der Republic*, Sculteros, Quæſtores, Senatores, Præfectos Arcium ſcil. dirutarum, ut ipſis nil niſi nomen remaneat & gloria. De umbra ficti Magiſtratus v. Boxhorn. Inſt. Polit. 110. Umbraticæ hujus Reip. in Rep. ſpecimen exprimit Numus, in cujus uno latere viſitur ſimia ſpeculum intuens, Aſtaco retrogrado inſidens, cum Inſcriptione, in ipſis quoque vexillis viſunda;

IMITAMVR, QVOD SPERAMVS.

infra:

SENATVS ET XVI. VIRI STATVS EXTERIORIS.

ab altero Lorica manus Inſignibus Ill. Reip. Bernenſis innixa pugionem tenens, è cœlo protenſa cum Inſcriptione:

HOC PROTECTORE CRESCIMVS.

Admittit Reſp. hæc paulo plusquam Platonica non cives duntaxat, ſed & alios, Suevis exceptis, forſan quia hi qualitatibus adnumerantur haſibilibus, hi autem juvenes quicquid agunt, applicativè agunt ad armorum Exercitia, & uſus inde in Reip. Salutem redundaturos. Sua habent Statuta in Codice, quem *das Statutenbuch*, item *Rothe Buch* appellant; ſuis gaudent reditibus, licet exiguis, cenſum annuum cum Magnifico Comitatu Morati petit *Gubernator Moratenſis* ipſis dictus, die D. Andreæ ſolvendum, qui totus conſiſtit in quanto 18. baciorum, quod per denarios conferunt illius περιχώρου ruſtici, duplâ pœnâ mulctandi, ſi in deponendo hoc cenſu ſint negligentes. Leges hujus ſtatus exterioris fuere A°. 1688. reviſæ, & A°. 1691. ab Ampl. Senatu confirmatæ. Primam huic Societati originem ante duo & dimidium ſecula dedêre Exercitia armorum, aggreſſionum, defenſionum varia, quibus ſeſe bellicoſa juventus inprimis poſt Cladem Moratenſem Carolo Audaci fatalem aſſuevit, conſentiente Senatu tanquam ſupremo Domino & Legis latore, qui non ſolum leges præſcripſit Dominii hujus ſtatus limitaneas, ſed quoque Remp.

hanc imitatricem variis donavit Privilegiis, quorum non minimum hoc eſt, ut membra hujus ſtatus ſuffragio aliis civibus præire poſſint, ſicubi quæſtio eſt de reſtaurando Senatus interioris membrorum numero. *Es hat einer von dem auſſeren Stand ein Stimm voraus.*

Fuit dies 27. deſtinatus Equitatui, quo hic Status exterior ſuam oſtendit & pompam & authoritatem. Fuit autem hic Equitatus extra ordinem & magnificus, & numeroſus ad 400. penè incluſis ſervis aſſurgens. Agmen duxit Equus portans inſignia Status exterioris, - - - ſecutus alius cum ſupellectili argenteo Reip. huic proprio, - - - poſt Simiæ figurâ Eques - - - Urſi figurâ Eques - - Helvetii tres pariter Equites habitu antiquo, qui præſentant Triumviros illos libertatis Helveticæ anteſignanos. - - - - - - Tibicines - - - bipenniferi pedites -- Eques loricatus - - - Præfectus Habſpurgenſis, Agminis totius primas cum ſceptro, cujus ſiniſtram clauſit Status exterioris Scultetus - - - - - Senatores bini ordine ultimi ex ſtatu interiori cum Lictoribus, pro indicanda authoritate & protectione ipſius Reipublicæ, - - - Senatus exterioris Quæſtores, Senatores ---- Vexillifer Senatus exterioris ſedecim viri, *Burger* dicti, Equitis urbis, - - ſedecim viri ex Statu interiori ſeu Senatus frequentioris membra, longa denique ſervorum ſeries. Petit hæc virorum Juvenum magnifica turma, poſtquam plateas urbis primarias pertranſiit, Pagum *Urtenen* prandium ibi lautum, quod ad cœnam uſque ſe extendit, ſumtura, & veſperi in urbem redit; ante autem quam portam ingreditur, finitur hæc Ceremonia Oratione ſolenni, quâ Præfectus Habſpurgenſis debitas Deputatis ipſius Reip. interioris ſolvit grates, & hi viciſſim Protectionem ſuperiorum nomine ſpondent.

Bibliotheca Bernenſis. In Bibliotheca Bernenſi aliàs obſervavi alia, nunc fruſta Muſivi operis, quod Aventici detectum fuit ab Ill°. D^no^ Franciſco Ludovico de Graffenriend 46. pedes latum, 60. longum.

Enſes duo ferrei rubigine ferè pereſi, in ditionis Bernenſis loco *La Chapelle* dicto inventi in ſepulchris vel antiquorum Gallorum, vel Vandalorum, vel Romanorum, longa ſatis ſerie ibi detectis unà cum corporibus defunctis, quæ juxta cum multis

multis aliis caſibus contumulatis illicò, atque tacta fuere, in pulverem collabebantur. Adjuncta his antiquitatis Gallicæ reliquiis eſt tabula Oſſea ſculpturis quibuſdam exarata, in qua obſervavi, linguæ pariter adhærere atque unicornua vulgo ita dicta foſſilia, ut inde pateat, oſſa diu in terra relicta tandem hanc qualitatem induere.

Mentionem antea & deſcriptionem fecimus Status exterioris, qui cortex vocari poteſt & murus Interioris, ſeu nuclei.

Illuſtriſſimæ hujus & totius Helv. potentiſſimæ Reip. facies, hæc eſt: *Facies Rep. Bernenſis.*

Capita ſunt duo Sculteti, *Schultheiſs*, Theſaurarius, ut vocant, Germanus, ſeu Provinciarum Germanico Idiomate utentium, *der Teutſche Seckelmeiſter*; *Proſcultetus Venner*, Theſaurarius Provinciarum Gallicâ linguâ loquentium, *der Welſche Seckelmeiſter*, qui duo poſtremi non aliam eminentiæ prærogativam habent, quam electionis, ut præeat, qui primus fuit electus.

Senatus eſt duplex, minor, *der kleine*; & major ſeu frequentior, *der groſſe Rath*. Componitur ille ex 27. membris, incluſo Sculteto regente: bini Senatores poſtremi vocantur *Heimlichere von Burgeren*; gaudent hi eadem votorum prærogativâ cum aliis, ſed non eodem incedunt Senatorio veſtitu; In Senatum non habet aditum, niſi qui in ipſa natus eſt urbe, excipiuntur tamen, qui Præfecturis parentum durantibus lucem vident.

Frequentioris Senatus membra ſunt in totum 299. qui numerus non tranſcendi poteſt. Tribus, unde petuntur, ſunt I. quatuor Venneriancæ, *Venner Geſellſchafften*, nempe

1. *Piſtoria*, *zun Pfiſteren.*
2. *Sartoria*, *zur Schneideren.*
3. *Macellaria*, *zun Metzgeren.*
4. *Coriaria*, *zun Gerberen.*
5. *Nobilium*, dicta *zum Diſtelzwang.*
6. *Leonis medii*, *zum mittlen Loüwen.*
7. *Sutoria*, *der Schumacheren.*
8. *Pannifica*, *die Wäbern.*
9. *Mercatoria*, *der Kauffleüthe.*

10.

10. *Ad Æthiopem, zum Möhrle.*

11. *Ad Simiam, zum Affen.*

12. *Fabrorum lignariorum, zun Zimmerleüthen.*

De Electione ſequentia ſunt obſervanda. Die Jovis, qui Feſtum Paſchatis antecedit, confirmatio fit Senatus, tuncque ſi ſat magnus ſit membrorum ex Senatu frequentiori deficientium numerus, is novâ & numeroſâ electione reſtauratur; Nova hæc Senatus frequentioris membra vocant *Neüe Burger;* Die Lunæ, qui Paſcha ſequitur, confirmantur Sculteti, & 4. Venneri, vel vacantibus quibuſdam dignitatibus eliguntur novi: Die Martis ſequenti confirmantur Senatores, & ſimul reſtaurantur, qui deficiunt; electio fit ſimul Theſaurariorum pro Provinciis tum Germanicis, tum Gallicis, Præfectus Comitatus Badenſis, Præfecturæ Italicæ, ſicubi ordo ad Bernenſes redit. Majo menſe eliguntur Præfecti & Oeconomi.

Tribunalia. Præter Senatum tria ſunt Tribunalia, Judicibus conſtitutis à Venneris, Theſaurariis & Minori Senatu.

Primum eſt *Judicium* ſive *Tribunal exterius, das auſſere Gericht,* ubi 12. numero ſunt Judices, nimirum 2. ex minori, & 10. ex frequentiori Senatu, una cum Scriba & duobus Apparitoribus, *Weibel.* Supremus Judex eſt Scultetus, qui tamen propter numeroſa gravis molis negotia pro Vicario perpetuo ſubſtituit Apparitorem Reip. *den Groſsweibel,* cujus dignitas eſt magni æſtimii, & amplæ ad promotiones ulteriores ſpei: decidunt hi controverſias circa creditum & debitum, injurias in verbis & verberibus. Appellatur inde ad Senatum minorem, abhinc ad Senatum & 60. *Räth und Sechzig,* ſive 27. membra minoris Senatus, & 36. Senioris ex frequentiori, abhinc porrò ad ipſum Senatum frequentiorem.

Sequuntur duo *Tribunalia Appellationis, Appellations Gericht,* unum pro provinciis Germanicis, alterum pro Gallicis. Præſidet in his Theſaurarius, reliqui judices ſunt 10. ex minori, & 8. ex frequentiori Senatu, unà cum Apparitore & Secretario. Deciduntur hîc caſus per appellationis formam à Præfectis huc delati.

Ter-

Tertium *Judicium* eſt *Matrimoniale*, ſeu *Conſiſtorium*, ubi 10. Judices. 2. ex minori Senatu (qui per alternos menſes Præſidium gerunt) 2. Miniſtri Verbi Divini. 4. ex frequentiori Senatu, & Secretarius cum Apparitore. Decidunt hi caſus matrimoniales, & diſciplinæ attendunt Eccleſiaſticæ.

Criminalia proponuntur Senatui frequentiori, ubi præſidet Scultetus. Poſtquam ſententia eſt lata, occupat Scultetus ſedem in Tribunali publicè erecto in mediâ plateâ: circumſtant undique Apparitores, prælegit Secretarius Malefico ſententiam, traditque Scultetus authoritate ſuâ Carnifici, ut is ſententiæ faciat ſatis.

Notabilem prærogativæ gradum in Ill. hac Rep. poſſident præ aliis 6. prænobiles Familiæ.

1. *De Erlach.*	2. *De Dieſsbach.*
3. *De Mullenen.*	4. *De Waltenwyl.*
5. *De Bonſtetten.*	6. *De Lautemau.*

Qui ex his Familiis promoventur ad Senatum minorem, præeunt aliis anteà licet electis Senatoribus, & ſtatim poſt Venneros adſident.

Ampliſſimum eſt Reip. Bernenſis Territorium, id quod patebit ex ſpeciali partium enumeratione. *Territorium Bernenſe.*

I. Sunt *Judicia Provincialia*, IV. *Landgericht*, quæ reguntur a Venneris,

Seftingenſe à Vennero Piſtoriæ tribus.
Sternbergenſe - - - - Fabrorum.
Konolfingenſe - - - - Macellariorum.
Zollickofenſe - - - - Coriariorum.

II. A Sculteteis, qui Præfectorum vice ſunt, reguntur

1. Comitatus *Bürenſis*.
2. Comitatus *Burgdorffenſis*.
3. *Thunenſis*.
4. Oppidum *Underſeen*.

III. Sequuntur Præfecturæ, *Caſtellaniæ* dictæ,

1. *Vallis Simeæ ſuperioris, Ober Sibenthal* oder *Zwey Simlen.*

2. *Vallis Simeæ inferioris, Under Sibenthal,* oder *Wimmis.*

3. *Frutingenſis.*

IV. Præfecturæ, *Landvogtheyen,* ſunt,

1. *Trachſelwaldenſis.* 2. *Wangenſis.*
3. *Landshutenſis.* 4. *Lenzburgenſis.*
5. *Nydovienſis.* 6. *Sanenſis.*

V. Præfecti, *Vögte* dicti, ſunt,

1. *Bippenſis.* 2. *Arwangenſis.*
3. *Arbergenſis.* 4. *Erlacenſis.*
5. *Brandiſianus.* 6. *Laupenſis.*
7. *Signovienſis.* 8. *Oberhofanus.*

VI. Præfecti, *Obervögte* dicti, ſunt,

1. *Schenckenbergenſis.*
2. *Biberſteinenſis.*
3. Gubernator *Aquilegienſis zu Aelen.*
4. Gubernator *Arburgenſis.*

VII. *Vallis Haſelana, Haſſle,* Diſtrictus eſt ſuis gaudens peculiaribus Privilegiis, regitur à Landammanno ex ipſis Vallicolis, qui confirmationem nanciſcitur, à Senatu Bernenſi.

VIII. Oeconomi Monaſteriorum Seculariſatorum, *Vögte* dicti, ſunt,

1. *Interlacenſis.* 2. *Königsfeldenſis.*
3. *Thorbergenſis.* 4. *Traubrunenſis.*
5. *Zofingenſis.* 6. *Frieniſpergenſis.*
7. *D. Johannis.* 8. *Gottſtattenſis.*
9. *Buchſeanus.*

IX. Urbes ſeu Oppida municipalia ſunt,

1. *Zofingen.* 2. *Arovia.*
3. *Brugæ.* 4. *Lentzburgum.*

X. In Provincia, quæ Gallico Idiomate utitur, *das Welſch Bernerbiet* dicta, ſequentes ſunt Præfecturæ.

1. *Aventicenſis*, *Avenche*, *Wifflißpurg.*
2. *Meldonenſis*, *Milden*, *Mondon.*
3. *Yverdunenſis*, ſeu *Ebrodunenſis.*
4. *Lauſannenſis.*
5. *Morgenſis.*
6. *Nevidunenſis*, *Nyon.*
7. *Viviacenſis*, *Chyllon Vevay*, *Vivis.*
8. *Oronenſis.*
9. *Romano-monaſterienſis*, *Romain moſtier.*
10. *Albonenſis.*
11. *Paterniacenſis*, *Peterlingen*, ubi eſt *Oeconomus*, *Schaffner.*
12. *Beaumontanus*, ubi Gubernator.

XI. Præfecturæ olim Germanico Equitum ordini adſcriptæ, nunc Bernenſes, ſunt *Küenitz*, *Sumiswald*, *Rüggiſperg.*

XII. Extra Territorium Bernenſe participat Reſpublica Regimini Comitatus *Badenſis*, Juriſdictioni ſupremæ in criminalibus *Turgoviæ*, idque cum condominis VIII. veteribus Pagis: porrò cum XI. excipiuntur ſcil. Abbatiſcellani in Regimine Præfecturarum Italicarum, *Luganenſis*, *Locarnenſis*, *Mendriſianæ* & *Madiæ.* Juxta cum Cantone *Friburgenſi* Domini ſunt Præfecturarum *Moratenſis*, *Schwarzenburgenſis*, *Grandiſonianæ* & *Eſcaleniæ.* Una cum Solodorenſibus poſſident *Bechburg* ſeu *Bubenberg*, *Lüſſlingen*, *Aettingen*, *Meſſen* & *Balin*, ubi Juriſdictio alta eſt Bernenſium. Regunt porrò unà cum *Epiſcopi Baſilienſis* Meyero, ut vocant, Biennenſi Pagos in *Teſſenberg.* Occaſione Belli Toggici Ao. 1712. excitati vi pacificationis inter Tigurinos, Bernenſes, Lucernenſes, Uranios, Suitenſes, Subſylvanios, Tugienſes,

diebus 18. Jul. 9. & 11. Aug. ſancitæ admiſſi inſuper fuere Bernenſes ad Condominium Turgoviæ, Vallis Rheguſcæ & Sarunetum, Raperſuilæ porrò (reſervatis oppido privilegiis) ac pagi Hurden, qui trans pontem eſt.

Fuit dies 29. deſtinatus Exercitio armorum magnifico, quod genium oſtentabat nationis in militaribus rebus gerendis dexterrimum.

Thunum. Die 30. venimus hora meridiana *Thunum*, & Meridie viſitavimus opus magnificentiâ Bernenſi dignum, derivationem *Kanderæ* torrentis, quæ inundationibus ſuis latam terræ partem devaſtavit, & devaſtatura videtur magis ac magis. Eo autem devenerunt conſilii Ill. Reipublicæ Proceres, ut derivationem tentarint Kanderæ ſupra Arcem Strättingen in Thunenſem Lacum, unde quidem metuunt, nec ſine cauſa, Thunenſes pro Urbe ſua, Agris, Hortis & Pratis, cum Lacu ferè horizontalibus damna non modica: contrarium aſſerentibus, qui hunc laborem & urſerunt & ſuſceperunt, quos inter directionem tenet Geometra Ill. Reip. D^n. Bodmerus.

A Kanderæ novo in Canalem ingreſſu ad oſtium numerantur paſſus 12000, quorum ſinguli habent 3½. pedd. diameter novi Canalis in ingreſſu primo erit 272'. profunditas ſumma ad Kanderæ Horizontem effodienda perpendicularis eſt 152'. canalis novi longitudo 3000'.

Inter fodiendum non offenderunt hactenus aliud quam terram glareoſam, eam quidem ſatis denſam, quam inter paſſim reperiunt cavitates aliquot pedum Cubicorum, cruſta duriſſima undique obtectas: in his cavitatibus reperiunt *Morochtum*: alibi etiam offendunt ſtrata *Selenitæ talcoſi*. Laborant quotidie in hoc opere 250. circiter viri, pro 5. Baziis ſinguli, conquirunt etiam mendicos quoſvis ſtipem in vicinia petentes, quos retinent pro cibo. Singulis manè & veſperi preces recitantur operariis, & diebus Mercurii Paſtor vicinus concionem habet in Cathedra Nova ſub umbra & ramis Fagi erecta.

Duce & Com. D_n. Prof. Eirinio, viro raræ ut eruditionis ita Curioſitatis, natione Armeno, Religionis Græcæ, viſitavimus novas D^n. Viſcherorum venas, in Monte juxta Kande-

ræ



La Ville de THUN, en Suiſſe.



ræ longitudinem per horam ferè protenſas, ubi obſervavimus infra petras ſiliculoſas digitos 5. ad 10. terræ finiſſimæ luteæ, pro vaſis coctilibus igni invictis deſtinatæ, infra eam aliud ſtratum ex ſiliculis ad 2', infra hoc ſtratum aliud argillaceum rurſus flavum, partibus tamen fuſcis magis intermixtum, infra id marga cinerea; & tandem ſtratum curioſiſſimum *lignorum Foſſilium*, quæ aëri expoſita partim indureſcunt, partim in fragmina diſſiliunt. De his lignis foſſilibus notabile hoc eſt, quod trunci & rami ſunt non rotundi, ſed compreſſi, nihilominus tamen cortice ſuo paſſim veſtiti, & foliis ſubinde ornati; Eſt hoc lignum inflammabile, ignem concipiens ſat vehementem, ut Carbonum inſtar Foſſilium inſervire poſſit. Compreſſionis hujus ratio peti ſine dubio debet inde, quod ligna ab aquis diluvialibus madefacta fuerint à ſuperincumbente nova Saxorum & montium mole preſſa, & in latum extenſa. Hæc ipſa compreſſio contrariæ Hypotheſeos fautoribus anſam dat conjectandi, annon hujus generis ligna fuerint ab ipſa natura variarum Figurarum formatrice in terræ viſceribus forſan ex luto producta: nos vero magis confirmat & magis in noſtrâ Diluvianâ. Qui enim quæſo non debuiſſet comprimi ſubſtantia lignoſa, aquis Diluvialibus perfuſa, a ſuperincumbenti millionum innumerorum centenariorum mole? Idem ferè Phænomenon exhibent piſces foſſiles pariter compreſſi, ut nil plerunque reſtet aliud quàm figura Branchiæ, ſquamæ, innumeræ porro cochleæ, conchæ, Diluvianæ compreſſæ, & in fruſta diffractæ. In Lapicidina Oningenſi quoſcunque offendimus Piſces, ſuis adhuc gaudent ſpinis, quod exigua admodum ſit Saxorum incumbentium moles.

D. 31. Thuno digreſſi viſitavimus novas Fodinas Carbonum foſſilium ex altera Arolæ parte apertas ſupra Pagum *Erla*, qui quarta horæ parte diſtat à *Stäffisburg*. *Carbones foſſiles* hic ſunt picei coloris, ſtratum eſt verſus Meridiem inclinatum, id primum vix ¼. digiti parte fuit latum, poſt tamen magis magiſque craſſeſcens intra Terræ viſcera nunc ſeſquipedis habet altitudinem: ſuperincumbit Carboni marga cœruleſcens, margæ Saxum vivum, ſubinde pyrite adhærente micans. *Carbones Foſſiles.*

Hhhh 3 Puteus

Puteus prope Pagum fuit apertus, in cujus Strato ſuperiori marga reperitur, plantarum variarum Iconibus figurata, colore cinerea.

Cœnobium, Werdenſtein.

D. 1. Jun. tranſivi Agrum Lucernenſem. In Cœnobio *Werdenſtein* tenuem offendi pro 70. annorum ætate, quam habet, Librorum ſupellectilem, & Fratres ignorantiæ. Teſtis eſt titulus Catalogi Bibliothecæ, qui ita ſe habet.

Catalogus Librorum continentium in Bibliotheca F. F. min. Conventus Werdenſteinenſis.

Finii 10. Novembr. 1718.

ACARNANIA,

SIVE

RELATIO

Eorum, quæ hactenus elaboravit

ACARNAN,

JOH. JACOBUS SCHEUCHZER,

*Tigurin. Med. Doct. Math. Prof. Acad. Leopol-
dino-Carolin. & Socc. Regg. Anglic. ac
Pruſſic. Membr.*

Nunc primum Edita.

RELATIO
Eorum, quæ hactenus elaboravit
ACARNAN,
JOH. JACOBUS SCHEUCHZER.

Non encomium ſpirat hæc qualiſcunque relatio; non excuſo me, nec accuſo. Patebit, quid ſcripſerim; quam bene, non eſt meum definire: ſtat judicium penes rerum peritos. Nec prologo opus habet nuda recenſio, nec Epilogo.

Polaris multorum ex Medica Natione ſtella eſt lucrum, adeunt terras cognitas, vitulâ plerunque aratur alienâ; ego, neſcio quo fato, à tenera juventute Terras quæſivi vel incognitas, vel parum tritas, nova ſulcavi maria, vel parum frequentata, labores amavi, obſervationes, nullis parcendo ſumtibus. Primum, quod quidem edidi, ſpecimen curioſitatis meæ fuit

Diſſertatio Inauguralis de Surdo Audiente, ſub Rectoratu optimi ſenis *Johannis Leuſdeni* in choro Profeſſorum defenſa Ultrajecti. Typ. Franc. Halmæ, 1694. 4. Volebam præfigere titulum ipſius legis 10. Cod. Lib. 6. Tit. 22. vel legem ipſam, quæ attinet ſurdum ex accidenti à poteſtate faciendi teſtamentum non excluſum: *Si ei vox articulata à natura conceſſa eſt, nihil prohibet, eum omnia, quæ voluerit, facere, quia ſcimus, quoſdam juris conſultos, & hoc ſubtiliùs cogitaſſe, & nullum eſſe expoſuiſſe, qui penitus non exaudiat,*

audiat, ſi quis ſupra Cerebrum illius loquatur, ſecundum quod Jubentio Celſo placuit. Placuit legum Doctoribus nec Rubrica legis, nec Lex ipſa, quæ Diſſertationi Medicæ præfigi poſſit, noluerunt ut involarem in J. C. Caſtra, ſed placuit mihi materia: compoſita res *ſurdi audientis* titulo. Materiam ipſam elaboravi, tum quia eſt ſingularis generis, tum quia ſatis volueram facere curioſitati Celeberrimi νυῦ ἐν ἁγίοις *Joh. Chriſtophori Wagenſeilii*, Prof. Altorffini & hoſpitis mei etiam in cineribus colendi, qui de ſenſu hujus legis non ſemel mecum verba fecit.

Ex Belgio Palæcomen, ſuaviſſimam tunc Muſarum ſedem, redux elaboravi d. 24. Jun. 1695. ad Celeb. *Joh. Chriſtophorum Sturmium* Phyſ. & Math. Prof. Præceptorem meum ſemper chariſſimum, *de Generatione Conchitarum Epiſtolam.* Eſt ille Ager, ſi quis alius, foſſilibus figuratis, quæ Diluviana nunc audiunt, refertiſſimus, ut patet ex *Joh. Jacobi Bajeri* ὀρυκτογραφία *Norica.* Norimb. 1708. in lucem edita. Collegi naturæ hæc curioſa per aliquot annorum decurſum in περιχώρῳ illa magno ſtudio. Tunc autem temporis nondum invaluerat Diluviana hypotheſis, cui oppoſita hæc ipſa Diſſ. Epiſtolica, inſerta Appendici Eph. Germ. Dec. III. Ann. IV. p. 152. & quam, rogo, aſpiciet lector tanquam prurientis ingenii fructum. Non tamen me pœnitet unquam hujus laboris, quia ingenuitatis meæ luculentum teſtimonium præbet, & amoris pro veritate. Inde enim ab illo tempore meliora ex innumeris obſervationibus, pretioſis collectionibus, ſcriptiſque aliorum, cum primis Clariſſimi mihique chariſſimi *Joh. Woodwardi* edoctus, neutiquam mihi dedecori duxi παλινωδεῖν. Pugnamus in hac rei literariæ militia non pro opinionibus, ſed pro veritate.

Extra patriam ubi poteram cunque horas à Medico ſtudio ſucciſivas impendi hiſtoriæ Naturali, & hunc in finem in urbibus & Academiis vidi Muſea, in campis & montibus herbas, in fodinis metalla & varii generis Foſſilia, collegi quidquid poteram in itineribus. In Patriam redux ſtatim applicare me cœpi Hiſtoriæ Helvetiæ Naturali, & huic magnam laborum meorum & vitæ partem conſecrare. Prævidi quidem magnas undique difficultates, ſed non, quas poſtea expertus ſum,

ſum, & gratia DEI ſuperavi, omnes, quæ abſterrere me à propoſito potis erant: Auxilia ſperavi ex edita in lucem

Charta invitatoria, quæſtionibus, quæ hiſtoriam Helvetiæ Naturalem concernunt, præfixa. 4.

Einladungs brieff zu erforſchung naturlicher Wunderen, ſo ſich im Schweitzerland befinden. 4.

Qua quidem hiſtoriam patriæ amantes humaniſſimè per quæſtiones 186. (in germanico Exemplari 189.) invitavi, ut ſuas ad tam vaſtum opus conferrent operas, ſed ſurdis ad hæc ſtudia, ab αἰσχροκερδείᾳ nimis quàm remota narravi fabulas. Ad dimiſſas in omnes Helvetiæ provincias chartas pauca vidi reſponſa, quapropter ſi Reipublicæ literariæ, tot amicorum & fautorum extra Helvetiam votis, meæque ſimul curioſitati ſatisfacere volui, coactum me vidi pererrare valles, conſcendere montes, ſubire cryptas, deſcendere flumina, transnavigare lacus, verbo, naturam ipſam conſulere. Præſtiti autem id annuis ferè itineribus in has illasve Regionis montoſæ partes ſuſceptis optimâ fide, immenſo labore, multis periculis, magnis ſumtibus, copioſo ſudore, nunc expoſitus fami, nunc frigori, nunc æſtui, mox benigne exceptus ab amicis, mox indigne tractatus ab hominibus inſidioſis & ſcrupuloſis. Evulgavit pro Hiſtoria Naturali Walliæ hujuſmodi quæſtiones *Eduardus Luidius*, titulo *Parochial Queries in order to a Geographical Dictionary, a Natural Hiſtory:* nec ita pridem, nempe A°. 1715. *Chriſtianus Gabriel Fiſcher* Phyſ. Prof. Regiomontanus, titulo, *Anderer Verſuch vor die Hiſtorie des unterirrdiſchen Preuſſens, oder deutliche Fragen von Preuſſiſcher Erden.* &c. num feliciori ſucceſſu, quam ego, eventus docebit. Optandum ſanè foret, ut exquiſita quadam methodo formarentur quæſtiones tum generales rerum, terra marique inquirendarum, tum ſpeciales huic illive Regioni applicativæ, quo ſic erigi poſſet ingens obſervationum cumulus, & ſucceſſivè formari ordinatum Phyſicæ ſyſtema. Sunt multi qui talismodi informationis erotematicæ defectu neſciunt, quid inquirere debeant, vel quomodo.

De dendritis aliisque lapidibus, qui in ſuperficie ſua Plantarum, foliorum, florum figuras exprimunt, Diſſertatio Epiſto-

piſtolica ad *D. Michaëlem Fridericum Lochnerum* Archiatrum Cæſareum &c. Fautorem & amicum ſemper æſtumatiſſimum, inſerta eſt Acad. Nat. Cur. Ann. V. & VI. p. 57. Append. Prodromus veluti *Herbarii Diluviani.*

Ex *Epiſtola de Cerva Cornuta*, 14. Cal. Maji 1700. data ad χαριέστατον diſcipulum & amicum Dn. *Joh. Fridericum Leopold* Lubecenſem, Diſſertationi ejus *de Alce* Inaugurali annexa patet, in cornigerorum claſſem recipiendum eſſe non duntaxat ſexum maſculinum, ſed quoque fœmineum. Monſtratur caput hoc Cervæ monocerotis in Muſeo civico Tigurino. Conſtitueram mecum, Hiſtoriam Helvetiæ Naturalem Latino Idiomate vulgare, & quoties occaſio ferret, in diſputationibus publicis defendere, ſed animi ſenſa poſteà mutavi, tum propter rarum defendentium numerum, tum propter cauſas alias. Primum interim ſpecimen fuere

Hiſtoriæ Helvetiæ Naturalis Prolegomena; quæ me Præſide defendit *Johannes Rodolfus Lavaterus* Tigurinus, Diſcipulus tunc meus, Medicinæ poſt Doctor, qui magno ſuorum mœrore obiit A°. 1717. Continent ea generalem totius operis Proſpectum, unà cum Recenſione Hiſtorico Geographica Scriptorum Hiſtoriæ Naturalis.

Alterum fuit *Stoicheiologia ad Helvetiam applicata*, quam *defendit eodem anno 1700. *Joh. Huldricus Hegnerus.* Med. nunc Doctor Vitoduranus, amicus ex deſideratiſſimis.

Novam in dies ineunte novo ſeculo accendente facem Matheſi in Medicina Author fui Dn. *Eraſmo Blanck* Norimbergenſi, diſcipulo tunc meo & commenſali gratiſſimo, (qui d. 14. Febr. 1704. Hersbrucci obiit febri Caſtrenſi) ut elaboraret Diſſertationem Inauguralem *de Matheſeos Uſu in Medicina*, eumque operâ meâ adjuvi. Prodiit ea Baſileæ A°. 1701.

Ita quoque obſtetricante me prodiit A°. 1698. D. *Joh. Henrici Hottingeri* Tigurini, Diſcipuli tunc mei, Κρυσταλλολογία, *ſeu Diſſertatio de Cryſtallis, harum naturam ad mentem Veterum & Recentiorum per ſua Phænomena explicatiùs tradens*, quam defendit Præſide Dn. *Solomone Hottingero*, Med. D. & P. quamvis haud diffitear, aliqua etiam defendentem meo labori addidiſſe.

Con-

Conſiderantem divitias linguæ Germanicæ, & facilitatem, quâ hodie Angli, Galli, Itali, aliæ Nationes, ſuis Idiomatibus ſingulæ omnis generis ſcientias & harum ſyſtemata integra conſignant, atque luci publicæ dant, ſæpe ſæpius admiratio rapuit, cur non & Germani iiſdem cum aliis populis uterentur juribus. Quapropter primus, quod quidem ſciam, in gratiam amicorum quorundam, pro privato horum uſu conſcripſi Phyſicæ modernæ Syſtema, titulo: *Phyſica, oder Naturwiſſenſchaft*, Zurich bey Heinrich Bodmer 1701. 8. quæ duplo auctior, cum figuris æneis, prioribus Exemplaribus diſtractis, prodiit Typis iiſdem 1711. 8. in Generalem & Specialem diviſa partes; cui anno modo citato adnexui *Medullam, Kern der Naturwiſſenſchaft*, quæ in breves Aphoriſmos redacta inſervire poſſit Doctoribus atque diſcipulis memorialis inſtar.

Anno 1702. prodiit Typis Geſſnerianis *Specimen Lithographiæ Helveticæ curioſæ, quo lapides ex Figuratis Helveticis ſelectiſſimi æri inciſi ſiſtuntur & deſcribuntur.* Dedicatum Ill. atque Exc. Franciſco Honorio Comiti de Trauttmanſdorff, Oratori tunc ad Helv. Reſpp. Extraord.

A°. 1704. Typis iterum Geſſnerianis, me Præſide, Johanne fratre Defendente, prodiit ὀυρεσιφοίτης *Helveticus, ſive Itineris Alpini Deſcriptio Phyſico Medica prima, in* 4.

Inter tot Diariſtas, Actorum & novorum Literariorum Publicatores comparere & ego volui, oſtenſurus, pro meo erga patriam amore, non deeſſe in exiguo Helvetiæ præſertim Reformatæ angulo, qui omnis generis ſcientias habeant in deliciis. Prodierunt itaque A^{i}. 1701. *Nova Literaria Helvetica.* Typis Dav. Geſſneri, 1702. 8. quibus paſſim inſunt Eruditorum Biographiæ, & fragmenta nonnulla inedita; & in primo quidem primi anni faſciculo Extractum Scriptorum, quod in ſequentibus annis omiſi, ſola contentus titulorum recenſione, & Biographiâ. Nec me reprehendat quiſquam, quod non ſpiſſa duntaxat volumina recenſuerim, ſed ad ipſas deſcenderim conciones. Apologiam ſuſcipit Rev. *Lud. Melchior Fiſchlinus* V. D. M. Stuttgardianus *in Biographia præcipuorum Theologorum Wirtembergenſ.* Ulm. 1710. 8. edita: ubi ſe-

quentia legas verba: *Carpit non nemo Joh. Jacobum Scheuchzerum, quod ſingulas conciones funebres novis ſuis Literariis Helveticis addiderit: At verò, ſi Principum, Comitum, Nobilium, Doctorumque vitas æſtimamus, quid ni & parentationes & Conciones, in quibus commemorantur? Quid quod Fanatici moderni Theologos noſtrates in quam plurimis Theologiæ profundioris & Practicæ capitibus hoſpites fuiſſe, vel ea populo tradere per inſignem injuriam neglexiſſe, publicis in ſcriptis aſſeverare non erubeſcant, quos hac ratione vel ſoli concionum quarumcunque tituli aut textus obiter ſaltem inſpecti in ruborem dare, aut mendacii convincere queunt. Adde, quod, ut Cl. Wittenius obſervat, una ſæpe hic pagella plus ſucci & bonæ frugis habeat, quam ſpiſſum quandoque chartaceum volumen (addo ego, & Miniſtris præſertim longè gratius,) unde magno hæc Reipublicæ Literariæ diſpendio à multis negligi rectè monent* Naudæus lib. de inſtituenda Biblioth. & Hottingerus in Biblioth. Quadripartita: c. 1. p. 5.

Nova Literaria Helvetica pro Anno 1702. Tyg. Typ. Rod. Simleri 1703. 8.

Nova Literaria Helvetica pro Anno 1703. Tyg. Typ. Dav. Geſſneri 1704. 8.

Nova Literaria Helvetica pro Anno 1704. ib. 1705. 8.

Nova Literaria Helvetica pro Annis 1705. & 1706. Tyg. Typ. Schaufelberg. & Hardmejer.

Nova Literaria Helvetica pro Annis 1707. & 1708. Typ. iiſd. 8.

Nova Literaria Helvetica pro Annis 1709. & 1710. *Quibus annexa eſt Vita Magni Henrici Bullingeri.* Typ. iiſd. 8.

Nova Literaria Helvetica pro Annis 1711. & 1712. *Quibus adnectitur ſyllabus Scriptorum, quæ rem Toggicam & bellum inde ortum attinent.* Typ. iiſd. 1713. 8.

Nova Literaria Helvetica pro Annis 1713. & 1714. Typ. iiſd. 1715. 8.

Heic deſii, tum aliorum laborum mole impeditus, tum alias ob cauſas, quarum recenſione ſuperſedeo: non tamen pro uſu

uſu meo privato deſino congerere, quicquid in Helvetia tum Reformata, tum Pontificia lucem adſpicit.

Terræ ſtatum naturalem ex Chaotico veluti ſtatu luci ſuæ reſtituit, ſi quis alius liber, ſequens certè. *An Eſſay to ward a Natural Hiſtory of the Earth and Terreſtrial bodies, eſpecially Minerals, as alſo of the Sea, Rivers and Springs. With an account of the univerſal Deluge, and of the effects, that it had upon the Earth. London for Ric. Wilkin.* 1695. & 1702. 8. Author eſt, vir de Orbe Literario, inprimis totius Hiſtoriæ Naturalis amatoribus meritiſſimus, *Joh. Woodwardus*, quem vel nominaſſe eſt laudaſſe. Hic liber, amplioris operis Prodromus, ne ſoli Anglicæ Nationi inſerviret, ſed ut aliis quoque nationibus uſui foret, dignus omnino mihi videbatur, ut transferretur ex Anglico Idiomate in Latinum. Præſtiti id & effectui dedi A°. 1704. Rubrica libri hæc eſt:

Specimen Geographiæ Phyſicæ; quo agitur de Terra & Corporibus Terreſtribus, ſpeciatim Mineralibus: nec non Mari, Fluminibus & Fontibus. Accedit Diluvii Univerſalis, effectuumque ejus in Terra deſcriptio. Tiguri Typ. Dav. Geſſneri 8. Dedicatus labor ipſi Authori.

Correctiones *Naturali Hiſtoriæ Telluris illuſtratæ & auctæ, unà cum defenſione contra nuperas objectiones Eliæ Camerarii*, Lond. 1714. 8. adjecit optimus Author: & utrumque hunc librum A°. 1717. ex Latino in Gallicum tranſtulit ex Pontificia Religione ad noſtram Proſelytus, natione Gallus, cui nomen *de Prat*, an verò lucem viſurus ſit hic labor, tempus docebit.

A°. 1705. currente cœpi hebdomadatim publicare Novellorum modo Hiſtoriam Naturalem Helvetiæ, & Idiomate quidem vernaculo. Tom. I. Rubrica hæc eſt: *Beſchreibung der Natur Geſchichten des Schweitzerlands.* Contenta ſine ordine ullo ſunt digeſta: quæ quia Idiomatis Germanici ignaris ſunt incognita, heic commemorare non piget. ſunt autem hæc: De Fago rubra Buctienſi - - - de Halone Lunari viſo d. 5. Febr. 1705. De Spectro Alpium Surenenſium - - De Turffa Tigurina - - - de Prognoſticis pluviæ - - - de

Monte

Monte Pilati in ditione Lucernenſi - - - De Morbo generis Bovini vertiginoſo, ejuſque medela - - - De Altitudine Montium, ejuſque dimenſione - - - De Monte S. Gotthardi - - de Divitiis Aquarum Helvetiæ - - - De Vino Tigurino - - - De Vento periodico in Lacu Rivario - - - de Lacte & Lacticiniis Helvetiæ - - - De Senni ſeu Caſeificis perſona, officio & caſa - - - de Præparatione Caſei - - - De Coagulo Lactis - - De Præparatione Butyri - - - de Caſeo ſecundario & ſero Lactis - - - de Lacticiniis dictis Nidelbrot & Stuncken Werne - - de Vena Chalybis Saruneťana - - - de Nebulis & Nubibus montanis - - - De Rupicaprarum reſiſtentia ad globulorum jactus - - - De Rupicaprarum linctibus, dictis Leckinen, vel Sulzen - - - De Rupricaprarum venatione - - De vitæ genere, quo utuntur Rupicapræ - - - De Meteoro ignito viſo Tiguri d. 19. Apr. 1705 - - - de Thermis Piperinis - - - De Noſtalgia, morbo Helvetis peculiari - - - De differentia plantarum & arborum, prouti creſcunt in Montibus, vel Vallibus - - - de Itinerum Alpinorum jucunditate, utilitate, & commoditate - - De Itineribus per Alpes ſummas - - De Periculis & Incommodis itinerantium per Alpes, a nive & glacie, atque Remediis - - - de Incommodis Itinerantium à frigore - - - de Periculis ob petras deciduas & anguſtiam viarum - - De Statu Helvetiæ reſpectu Elementorum & temporum Anni - - - De Reliquiis Diluvii in Helvetia reperiundis - - - De Terræ motibus Ditionis Glaronenſis - - - de Labinis - - - de earum Cauſa, Differentiis, Remediis, circumſtantiis aliis - - - Hiſtorica recenſio Damnorum, quæ Labinæ intulerunt - - - de duabus aquis ſulphureo bituminoſis Pagi Ruſchlikon ad Lacum Tigurinum, & prope Lacum Rivarium - - - de Morbo contagioſo, qui hoc anno infeſtavit Rupicapras - - - De Ægagropilis ſeu pilis Rupicaprarum - - - De Calculis Rupicaprarum - - - de Fontibus Helvetiæ rubris - - - de Lacubus, qui ingenti ſonitu ac murmure tempeſtates præſagiunt - - - De Itinere per Spelugam Montem - - - de Lapide Ollari, & ejus uſu, - - - De vento Meridionali, qui ſub finem Octobris & principium Novembris 1705. Helvetiam

tiam perflavit, & ortis inde damnis - - De Terræ motibus obſervatis d. 13. & 17. Nov. 1706 - - - De copioſis Aquarum ſcaturiginibus in Pago Flims Rhætiæ.

Tomus II. prodiit A°. 1706. currente. Ejus contenta hæc ſunt. De Balneo Valterſuilano Cantonis Tugienſis - - - de Fonte famis prænuntio in Pago Wangen Ditionis Tigurinæ - - de Metallis Helvetiæ, Auro, Argento, Ferro, Ære, Plumbo, Argento vivo, Antimonio, Pyrite. De Iride Lunari, primaria & ſecundaria viſa 1705. Lunâ plenâ - - - de aliis rarioribus Iridum Helveticarum Phænomenis - - - de Tonitru, Fulgure, Fulmine, Globis ignitis, aliiſque Meteoris ignis Helvetiæ - - - de Lapide Fulminari - - - de igne S. Elmi, qui viſitur Vitoduri in apice Turris - - De igne Lambente - - De ignibus fatuis - - - de Monte Julio Rhætiæ. De Caſeo viridi Glaronenſium Schabziger - - - De Eclipſi Solis totali, obſervata in his oris d. 12. Maji 1706 - - - de Fontibus Majalibus - - - de Carbonibus foſſilibus Helvetiæ - - - de Draconite Lucernenſi - - - De Meteoris aqueis & aëreis ſeu ventoſis Helvetiæ - - De tempeſtatibus, quæ oriuntur ex projectis in Lacus montanos vel cryptos Lapidibus - - - de Typhone - - - De Columna aquea, Anglis Spout, in Aërem elevata; - - - de Preſtere. De Teſſeris Badenſibus - - - de Terris Helvetiæ, earumque fœcunditate - - - De Terris Mineralibus Helvetiæ, ſpeciatim de Creta. De Cretis variorum Colorum, Argilla, gypſo, Lacte Lunæ, Unicornu foſſili - - - de Venatione Urſorum. De Helvetiorum vivendi ratione, diſpoſitione corporis & animi. De Terræ motibus Egliſovienſibus A°. 1706. De Caloris Æſtivi A°. 1706. extraordinariis effectibus - - - de Inundationibus & tempeſtatibus - - - de Circulis Pratorum veluti aduſtis.

Tomus III. ſequentem præfert titulum. *Beſchreibung der Natur Geſchichten des Schweitzerlands dritter theil, enthaltende vornemlich eine über die höchſten Alpgebirge A°.1705. gethane reiſe.* Prodiit deſcriptio hæc Itineris A°. 1705. per Alpes ſuſcepti per decurſum Anni 1707. Typis Schaufelbergi-Hardmejerianis, ſed omnes Tomi propriis meis ſumtibus. Primum dicavi Illuſtris Familiæ de Salis Soglienſi Fratribus

quatuor *Herculi*, Præfecto Morbennenſi, & Senatori Curienſi: *Rodolpho*, Capitaneo Generali Sondrienſi apud Volturenos, *Friderico Antonio*, Chriſtianiſſimi Regis Capitaneo, & Directori Fœderis Domus DEI, *Andreæ* locum tenenti Colonello in Militia Regis Galliæ, & Sorori *Annæ Margarethæ:* Secundus Eruditæ *Hortenſiæ de Salis*, Capitanei de Gugelberg viduæ: Tertius Nob. *Joh. Rodolpho de Roſenroll*, Ex vicario apud Volturenos. Contenta tertii hujus Tomi ſunt: De Caſu Montis in Pago Altendorff ad Lacum Tigurinum - - de Balneo Infra Urnenſi - - De Ecnephia effuſa ad hunc Pagum - - De veſtigiis digitorum a SS. Martyribus Felice & Regula, Thebeæ legionis ſociis, ipſi Saxo impreſſis Glaronæ, quæ aliud nihil eſſe demonſtro, quam naturæ luſum in ſtalactite, - - de ſignis caloris inſtantis vernalis - - de Aquis Saponi incommiſcibilibus, & coctioni Leguminum ineptis - - de Torrentibus montanis - - Montibus Glacialibus - Fœniſectorum in Alpibus vita periculoſa, - - de variis Naturæ curioſis in Alpibus Glaronenſibus - - de Monte Libero, Freyberg, Rupicaprarum Aſylo - - De Balneis, -- Lacubus, Rivis, Montibus Vallis majoris Glaronenſium - - de Linthæ ſeu Limagi Scaturigine. De prima harum Regionum habitatione - - de Ponte tremendi Proſpectus, Pantenbruck -- de Terræ motibus Cantonis Glaronenſis - - Tranſitus ex Cantone Glaronenſi in Uranienſem per Claridenſes alpes - - de Balneo infra Schächano - - de Ventis Auſtralibus Cantonem Uranienſem perflantibus - - De Cantone Uranienſi ſede fortitudinis Helveticæ -- de Ponte Diaboli -- de Valle Urſerana -- de tranſitu per ſummas Gothardi alpes - - de Cryſtallis - - De Equis Clitellariis vel Saumariis, horumque conductoribus & juribus. De Lacubus in Monte S. Gothardi, qui Urſæ & Ticini conſtituunt fontes - - de Ponte Tremulo - - de Granatis in deſcenſu Gothardi obviis - - de Alpibus Lepontiis - - De Lepontiis Lacticiniorum & vaſorum variorum nominibus - - De Lucumonis monte - - de Valle medullina - - de Fontibus Urſæ, Ticini, Rheni, Rhodani in ſummis alpibus - - de Montibus nivoſis & Glacialibus Helvetiæ - - Iter per dimidiam Valleſiam inde à Scaturigine Rhodani Leucam uſque - - de Ther-

Thermis Brigenſibus. De Thermis Leucenſibus - - De Monte Gemmio & Lacu Dubano in hoc Monte - - de variis Mineralibus ditionis Bernenſis - - De aquis Mineralibus in vicinia Thuni - - de Antiquitatibus & aliis curioſis Bibliothecæ Bernenſis - - de altitudine Montium eorumque dimenſione per Barometra - - De Montium Helveticorum ſtructura & ætate - De Palude ardenti - - Fulmen, monſtra - - Draco igneus, meteorum, - - De Balneo Faliſcano Rhætiæ. De Fontibus Rheni poſterioris.

In lucem prodiere hi tres Tomi nunc recenſiti eum in finem, ut & conſtaret laborum hactenus inſumtorum ratio, & ſaliva moveretur Helveticæ nationi ad inveſtigationem admirandorum naturæ. A°. poſtea 1716. cœpi luci publicæ dare uberius ſimul & ordinatius Hiſtoriæ Naturalis Helvetiæ ſyſtema, ita tamen, ut ne cramben bis coctam Lectori apponerem, eum relegaverim occaſione quavis ad Tomos & paginas prius editas, & I. Tomus Hiſtoriæ hujus conſiderari poſſit tanquam IV.

Tomi hujus IV. igitur Rubrica eſt ſequens. *Helvetiæ Stoicheiographia, Orographia & Oreographia, oder, Beſchreibung der Elementen, Grenzen und Bergen des Schweitzerlands. Der Natur Hiſtori des Schweitzerlands Erſter theil.* 4. Contenta ſunt, De Aëre Helvetico, ubi plura experimenta Barometrica, ſcala graduationis nova differens à Caſſiniana & Mariottiana experimentis fundata: multa etiam de Dilatatione Aëris &c. - - de Igne & Calore Helvetiæ - - De Terra Helvetica - - de Temporibus Anni, quibus gaudemus - - De Montibus Helveticis, eorum denominatione, diviſione in partes, ætate, ſtructura, - - de Montium Cavis - - De Cryptis Æoliis - - - de Caſibus Montium - - de Labinis - - - De Montium Helveticorum utilitate, ſitu, dimenſione - - de Montibus nivoſis glacialibus, & Itineribus alpinis. Recenſio Alphabetica & deſcriptio omnium & ſingulorum montium Helvetiæ, Conradi Geſneri Deſcriptio montis Fracti ſive Montis Pilati juxta Lucernam, Johannis Rhellicani Stockhornias, Theodorici Zwickii deſcriptio Montium Glaronenſium. P. Clementis Capucini deſcriptio montium Abbatiſcellanorum. Rodolfi de Roſenroll deſcriptio montium præcipuo-

puorum Rhætiæ - - Joh. Leonhardi deſcriptio Montium Sylvæ Rhenanæ, Splügenſium & Suferanorum.

Tomi V. ſeu *Novi operis II.* qui Tiguri Typis Bodmerianis prodiit 1717. Titulus hic eſt: *Hydrographia Helvetica. Beſchreibung der Seen, Flüſſen, Brünnen, warmen und kalten Bäderen, und anderen mineral Waſſeren, des Schweitzerlands. Der Natur Hiſtori des Schweitzerlands Zweyter theil.* 4. Contenta ſunt. De aqua Helvetiæ - - Recenſio Lacuum Helvetiæ juxta ordinem Provinciarum, alia Lacuum, Fluminum & Rivorum juxta ordinem Alphabeticum - - De inundationibus, ſubmerſionibus, & extraordinaria ſiccitate - - vera narratio Inundationis, quæ Locarnum cum toto ejus Comitatu menſe Septembri 1556. afflixit, atque vaſtavit. Tobiæ Eglii literæ ad Bullingerum 28. Aug. & 25. Sept. 1576. de quibuſdam exundationibus Rhætiæ - - - Abrahami de Champrenaud antelucana exundatio Birſici Rivi Baſileam interluentis d. 6. Jul. 1701. De Fontibus majalibus, & periodicis aliis, & relatio fontis juxta Larium Lacum, cujus meminit Plinius Epiſt. L. IV. c. 30. - - De fontibus famis prænuntiis - - de fontibus Barometricis, ſeu tempeſtates præſagientibus - - - De fontibus largis - - - De Fontibus lotioni vel coctur æ idoneis aut inidoneis - - de fontibus & Saxis profluis - - de fontibus æſtate congelatis hyeme fluidis - - de Fontibus in oppoſitas partes viâ longiſſimâ cuntibus ex eadem Scaturigine, quorum nempe rami Mari Mediterraneo aquas ſuas dant, alii Oceano Germanico, - - de Aquis Mineralibus Helvetiæ. Tractantur hæ ordine Cantonum ſeu Provinciarum, ſed & ſubdividuntur. I. in balnea mineralia κατ' ἐξοχὴν ita dicta, quorum recenſentur & deſcribuntur n. 85. II. in Acidulas & aquas Martiales, quarum deſcribuntur 32. III. in Balnea frigida, quorum deſcribuntur 9. IV. in Aquas ſalſas, quarum ſiſtuntur 6. V. in aquas ſulphureas frigidas, quarum habentur 40. VI. in Aquas Tofaceas ſeu Petrificantes n. 2. VII. in Aquas ſtrumoſas n. 2. VIII. Thermas n. 12. ut adeò in univerſum deſcriptio adſit Aquarum mineralium 188. quarum magna pars illuſtratur propriis experimentis, tum Chymicis tum Practicis.

Tomus

Tomus VI. ſeu Novi Operis *III.* prodit A°. 1718. Typis rurſum Bodmerianis, titulo ſequenti.

Meteorologia & Oryctographia Helvetica, oder Beſchreibung der Luft Geſchichten, Steinen, Metallen, und anderen Mineralien des Schweitzerlands, abſonderlich auch der überbleibſelen der Sündfluth. Contenta Meteorologia Helvetica. De Ventis -- De Nubibus -- De Pluvia -- de Pluvia Sulphurea -- D. Joh. Jac. Wagneri judicium de pluvia Sulphurea, Tiguri lapſa d. $\frac{19}{29}$. Apr. 1677. De Pluvia ſanguinea -- De Præſagiis pluviæ - De Rore - De Rore melleo - De Pruina - De Grandine, - De Nive - De Tempeſtatibus inprimis grandinoſis. De Meteoris igneis -- De Fulmine. Obſervationes circa Hiſtorias Fulminis Helvetici. De Globis ignitis -- De Ignibus Fatuis, De Igne lambente, -- De Stellis cadentibus -- De Draconibus volantibus & Capris ſaltantibus -- De Jaculis ignitis, trabibus ardentibus, & exercitibus igneis, D. Chriſtiani Wolfii Prof. Hallenſis Meditationes circa Phænomenon, quod accidit 17. Martii 1716. - De Cœlo ardente -- De Terræ motibus -- De Iride Solari & Lunari -- De Halonibus Solaribus & Lunaribus -- De Parheliis & Paraſelenis -- De inſolitis Aſtrorum coloribus -- De Mineralibus Helvetiæ. Hæc diſpeſcui Methodo amiciſſimi mei Woodwardi, quam annexuit Hiſtoriæ Telluris illuſtratæ & auctæ.

I. Claſſis de Terris pinguibus & macris: de Lacte Lunæ. II. de Lapidibus. 1. qui mole majore reperiuntur in ſtrata diſpoſiti, compoſitionis laxioris & Craſſioris, quo pertinent Saxa &c. Reliqua videri poſſunt in citato tractatu.

Tomum Hiſtoriæ Naturalis Helveticæ *VII.* conſtituet *Hiſtoria Plantarum in Helvetia ſponte naſcentium.* Latino Idiomate conſcripta, perplurimis obſervationibus Criticis & Practicis referta. Plantas numero ultra 1900. quas inter multæ ſunt nondum deſcriptæ, aliarum deſcriptiones correctæ, multi botanicorum errores emendati, multa Experimenta Chymica & Practica inſtituta comparebunt, ſi lucem aliquando aſpexerit, opus non ex minimis meis, icones circiter 300. plantas ad unam ferè omnes adſervo, in Herbario, plures de-

pinxi ipſe, vel depingi curavi vivis ſuis coloribus, eas cumprimis, quarum colores non remanent. Deſcriptiones quas adjeci ipſe florum, ſtaminum, vaſculorum ſeminalium in ipſis locis natalibus factæ. Incredibili enim voluptate, ſed & labore, Plantas in ſummitatibus ipſarum Alpium per tot itinera quæſivi.

Tomum VIII. componet *Hiſtoria Animalium Helvetiæ*, Quadrupedum nempe, Avium, Piſcium, & Inſectorum, ubi methodo incedo Rajanâ & Willoughbeanâ

Tomum IX. exhibebit ipſos *Helvetios, eorum genium, ſtatum naturalem & morboſum*, jungetque *Praxin Medicam*, principiis modernis Phyſico-Mechanicis fultam, *ex remediis inquilinis* imprimis deducendam, ut non ad exotica refugere habeamus neceſſe.

Deſcripſi *Itinera Alpina*, quæ confeci ſingula. Id quod ſuſcepi A°. 1702. tranſiit per Cantonem Suitenſem, ejuſque Montes editiores, Aubrig, & Hacken, Eremum Helvetiorum, Suitiam, Uraniam, hinc per Alpes editiſſimas Surenenſes ad Angelimontanam Abbatiam, jugis altiſſimis clauſam. Adjeci huic deſcriptionem Lactis & operum Lactariorum præter obſervationes varia Naturæ interſperſas. Vidit hoc iter lucem Tiguri & Londini.

Iter Alpinum 1703. ſpectat inprimis Rhætiam, publicatum Londini in opere mox recenſendo.

Iter Alpinum 1704. habet Obſervationes in Thermis Fabariis & περιχώρῳ factas. Excurſionem item autumnalem ad lapicidinam Öningenſem.

Iter Alpinum 1705. tranſiit Alpes Glaronenſes, & Uranienſes, imprimis Gothardi juga, hinc ſummas Valeſiorum, dimidiam Valeſiam & Gemmium montem. Eodem anno facta & deſcripta excurſio in Montem Regium.

Iter Alpinum 1706. exhibet Obſervationes factas in Monte Pilati, Subſylvania, Jugo altiſſimo, Joch, quod diſterminat Angelimontanos à Bernenſibus, deſcenſu per Haſelam Vallem, hinc Bernam uſque & Neocomum.

Iter Alpinum 1707. tranſiit per Comitatum Sarunetum ad Thermas Fabarias, in Montes Spelugam, Bernhardinum ſeu

Avi-

Aviculæ juga, Fontes Rheni poſterioris, Furculam jugum altiſſimum, quod me deduxit Clavennam, unde iter proſecutus ſum per Vallem Prægallienſem ad Acidulas S. Mauritii, & hinc per Albulam ad Curiam Rhætorum.

Iter Alpinum 1709. ſuſcepi per Cantonem Tugienſem, Lucernenſem, Subſylvaniæ, Montem Brunig, Thunum, hinc ad Grindeliam Vallem & montes ibi celebres Glaciales, porrò per Gemmium ad Valeſiam, quam emenſus ſum uſque ad Agaunum: hinc intravi Ditionem Bernenſem, vidi Salinas Bactiacas, & porrò per Lauſannam veni Neocomum &c.

Iter Alpinum 1710. ſpectat Cantonem Glaronenſem, Caſtra Rhætica, Sarunetes, Comitatum Werdenbergenſem & Gamſenſem, Vallis Rhenanæ partem, Cantonem Abbatiſcellanum, Comitatum Toggicum integrum.

Iter Alpinum 1711. pertranſiit Cantonem Bernenſem, Solodorenſem & Lucernenſem.

Horum itinerum tria, nempe de Annis 1702. 1703. 1704. Londini Imp. Henrici Clements, juſſu Societatis Regiæ A°. 1708. in 4°. Sunt impreſſa, præfixo hoc titulo generali, quem ego in anguſtius contraxiſſem ſpatium, ſeſquipedalium titulorum oſor.

οὐρεσιφοίτης *Helveticus, ſive Itinera Alpina tria, in quibus Incolæ, Animalia, Plantæ, Montium altitudines Barometricæ, Cæli & Soli temperies, Aquæ medicatæ, Mineralia, Metalla, Lapides figurati, aliaque Foſſilia, & quicquid inſuper in Natura artibus & antiquitate per Alpes Helveticas & Rhæticas rarum ſit, & notatu dignum, exponitur & iconibus illuſtratur.* Doleo propter meam a prelo abſentiam, Librum multis aliàs Iconibus affabrè æri inciſis ornatum, multis ſcatere mendis.

Tabulis ſubſcripſerunt ſuis quique titulis honoratiſſimi. D. *Franciſcus Aſton*, Armiger. Soc. Reg. D. *Joh. Bridges*, Armiger. D. *Hans Sloane*, Baronettus. M. D. Coll. Med. Lond. & Soc. Reg. D. *Tancredus Robinſon*, M. D. Coll. Med. Lond. & Soc. Reg. Socius Secretarius. D. *Jacobus Petiver*, Soc. Reg. D. *Guil. Cowper*, Soc. Reg. D. *Richard Waller*, Armiger. Soc. Reg. Secret. D. *Joh. Woodward*, Med. D. Coll. Med.

Lond.

Lond. & Soc. Reg. Socius. Med. Greshamenſis Profeſſor. D. *Samuel Morland*, Soc. Reg. D. *Joh. Gore*, Armiger. D. *Iſaacus Newton*, Eques auratus, Soc. Reg. Præſes. D. *Henricus Aldrich*, S. T. P. Ædis Chriſti Oxoniæ Decanus. D. *Martinus Liſter*, Med. Regius, Coll. Med. & Soc. Reg. Soc. D. *Arthurus Charlett*, S. T. P. Collegii Univerſitatis Oxoniæ Magiſter. D. *Joh. Hudſon*, S. T. P. Biblioth. Bodlejanæ Oxon. Cuſtos. D. *Johann Danvers*, Armiger. D. *Edmundus Halley*, Geometriæ Prof. Savilianus Oxoniæ Soc. Reg. Soc. D. *Humfredus Wanley*, Soc. Reg. D. *Thomas Bromfield*, A. M. è Coll. Univ. Oxon. D. *Joh. Harris*, S. T. D. Soc. Reg. D. *Georgius Howe*, M. D. Coll. Med. Lond. D. *Joh. Chamberlayne*, Armiger. Soc. Reg. D. *Edward Tyſon*, M. D. Coll. Med. & Soc. Reg. Soc. D. *Henricus Levett*, M. D. è Coll. Med. Lond. D. *Eduardus Southwell*, Armiger. Soc. Reg. D. *Guil. Muſgrave*, Med. D. Coll. Oxon. Med. Lond. & Soc. Reg. D. *Guilelmus Williams*, A. M. Coll. Exon. Oxon. Soc. D. *Petrus Hotton*, Med. & Bot. in Acad. Lugd. Prof. Soc. Reg. D. *Jacobus Bobart*, Horti Botanici Oxoniæ Præf. D. *Eduardus Lhuyd*, A. M. Cimeliarcha Ashmoleanus Oxon. D. *Samuel Dale*, Pharmacopeus Brantrienſis. D. *Godefridus Copley*, Baronettus, Soc. Reg. D. *Joh. Percivale*, Baronettus, Soc. R. D. *Jonathan Blackwell*, Armiger. Soc. Reg. D. *Salway Winnington*, Armiger. *J. Robertus Balle*, Armiger. D. *Thomas Iſted*, Armiger. Soc. Reg. D. *Thomas Walley*, A. M. Coll. Oriel. Oxon. Soc. D. *Dixon Colby*, A. M. è Coll. Merton. Oxon. D. *Georgius Stubbes*, A. M. Coll. Exonienſis Oxon. Soc. D. *Joh. Tharpe*, M. B. Oxon. Soc. Reg. Tabulæ in Univerſum ſunt 42. Relationem hujus mei χρεσπφοίτȣ amplam ſatis inſertam vide ab Eduardo Luidio tranſactionibus Philoſophicis. n. 316.

Eodem anno 1708. in 4. Typis Geſſnerianis lucem viderunt *Piſcium Querelæ & Vindiciæ*. In Theatro comparent multi piſces, ſuam à Diluvio originem demonſtrantes. Labor mole exiguus, Theatri cujuſdam Diluviani prodromus, benignè à Rep. Literaria exceptus, quod vel patet ex elegantiſſima *Ill. Henrici Newtoni* (de Nova Villâ) Ser^mæ^ Magnæ

gnæ Brittanniæ Reginæ ad Ser^{mum} Magnum Ducem Florentiæ Ablegati Extraordinarii Epiſtolâ, inter ejus *Epiſtolas, Carmina, & Orationes* Lucæ 1710. in 4. vulgatas p. 163. reperiunda, quam heic inſerere tum propter Ill^{is} Viri erga me affectum, tum propter Plinianum ſtyli nitorem, opere pretium duco. *Tuo certè lætus ex munere, at toto demùm perlecto volumine, admodùm lætior: quum & doctum inſuper & lepidiſſimum (quæ non ſemper una conveniunt) mecum omnes libenter agnoſcent. Quàm nova, quàm mirabilia, in ſcenam introducis! Qui mutis quoque piſcibus, vocem ſermonemque das, & quaſi loqui parùm fuiſſet, philoſophantur quoque. Queruntur, in foro poſtulant, vincunt: deque incredulis, deque Philoſòphorum ſectis placitiſque ipſorum Magiſtrorum ſententiis, quàm bellè Ludos faciunt, quamque veros non minùs, neque id ſemel, Triumphos agunt! At, quid mirum, ſi mirabilia edant Piſces, in Montium jugis, & intra ima Telluris viſcera reperti? ſi denique Alpes nunc demùm eis vice Oceani fluviorumque ſint: pro fluctibus & undis Terræ Strata, & metallorum ſedes: quodque longè cætera excedit, par novo, atque inaudito hactenus argumento, Scriptor? Marmore Homines, & coloribus rerum figuras expreſſimus: manuumque noſtrarum monumenta per quam plurima ſecula durarunt; ſed quantum Artem Natura ſuperat! quid enim quæſo ad Lucium tuum, primi atque antediluviani orbis incolam, vel ipſæ pyramidum moles? & non jam ille ſolummodò in menſa, atque Ferculis placet, confabulatus etiam nobiſcum ſimul cum ſociis; quique adeo non tam inter dapes amplius, quàm inter convivas, recenſendi annumerandique; ſolumque diſplicet, quod tantus Orator tam cito deſinat. Vale.* Flor. Maji VII. 1709. Prodiit hoc idem opuſculum, ſed concentratius Idiomate Germanico, eodem anno, Typis iiſdem, hoc titulo: *Bildniſſen verſchidener Fiſchen, welche in der Sündflut zu grund gegangen.*

Circa idem tempus ad Ill^{mum} Mathematicorum Philoſophorum facilè Principem Iſaacum Newtonum, Soc. Angl. Præſidem, ſcripſi: *Diſſertationem Epiſtolicam de Montium altitudine ac dimenſione.*

Actis Societatis Regiæ Gallicæ, A°. 1707. p. 555. Memoir. inſerta eſt *Obſervatio Eclipſeos Lunaris Anni* 1706. de qua monere juvat, defuiſſe mihi Horologium Aſtronomicum, adeoque illationes inde factas pro Longitudine Tiguri ſuo carere fundamento.

Obſervationes variæ *Barometricæ* memorantur in Hiſt. de l'Acad. Roy. 1708. p. 26. ut &

Schediaſma de Generatione & Speciebus Cryſtalli p. 33. A°. 1709. Literis Geſſnerianis prodiit in Fol.

Herbarium Diluvianum, Illuſtri Gisberto Cupero Daventrienſi Conſuli, viro de Re Literariâ meritiſſimo, dicatum; ſiſtuntur in hoc Opere Plantæ Diluvianæ, aliique lapides his affines, quas inter eminent Dendritæ; explanatur illarum horumque diſcrimen: deſcribuntur varia Experimenta: definitur tempus Anni, in quod Diluvium incidit, per Obſervationes ex natura petitas. Quam ſcitè hæc omnia, videre eſt ex Teſtimonio, quod inſeruit D^n^. de Fontenelle Hiſt. de l'Acad. Roy. 1710. *Voila de nouvelles eſpeces de Medailles, dont les dates ſont & ſans comparaiſon plus anciennes, & plus ſures, que celles de toutes les Medailles Grecques & Romaines.* Tabulæ adſunt nitidiſſimæ æneæ cum titulo. Subſcripſerunt nomina ſua Rev. in Chriſto Pater *Thomas*, Archiepiſcopus Cantuarienſis. *Ill. Iſaacus Newton*, Eques Auratus, Soc. Reg. Angl. Præſes. *Ill. Joh. Paulus Bignonius*, Abbas S. Quintini, & Conſiliarius ſtatus ordinarius. *Ill. Peter Valkenier*, Potent. Reip. Belgicæ ad S. Cæſ. Maj. Ser. Reg. Rom. S. R. I. Comitia, & Reſpp. Helvet. ac Rhæt. Ablegat. Extraord. *Ill. Mauritius Emmet*, Eques Anglus. Cel. *Joh. Woodwardus*, Med. D. Phyſic. in Colleg. Gresham. Prof. *Ill. Guil. Sherardus*, J. U. D. Nationis Anglicæ tunc temporis Conſul Smirnenſis. *Ill. Ant. Valliſnerius*, de Nobilibus de Valliſneria, Med. Prof. Patavinus. Nob. *Caſparus Eſcherus*, Reip. Tig. Ducentumvir, Ven. Collegii Examinatorum Aſſeſſor, poſt Kyburgici Comitatus Præfectus. Nob. *Solomon Hirzelius* Reip. Tig. Ducentumvir, Ven. Collegii Examinatorum Aſſeſſor. Diſtractis operis hujus Exemplaribus, prodiit, anno præſenti, 1723. Lugduni Batavorum, ſumptibus *Petri*

Vander

Vander Aa, altera editio, cui acceſſit Appendicis loco, *Plantarum Diluvianarum Methodica in Claſſes Tournefortianas diſtributio*, ex qua quid ex ſingulis claſſibus à fatali illa inundatione relictum fuerit, brevi conſpectu exhibetur. Tabulæ æneæ cum Appendice acceſſerunt quatuor, inſcriptæ *Celeb^mo^ D^n^. Hermanno Boerhaave*, Med. & Botan. Chem. & Coll. Pract. in illuſtri Academia Lugduno-Batava Profeſſori; *Celeb^mo^ D^n^. Garidel*, Aquis extienſi Med. Doct. ac Prof. Regio, de Hiſtoria Naturali inprimis Provinciæ meritiſſimo; *Summ. Rev^do^ D^n^. Eberhardo Friderico Hiemero*, S. S. Theol. D. Ser^mo^ Wirtenbergenſi Duci à Concionibus & Conſiliis aulicis; *Ill. D^n^. Samueli Kôleſero de Kerees-eer*, Secretario Gubernali Cæſareo-Regio Principatus Tranſylvaniæ. Epitome hujus Appendicis ſiſtitur in *Meteorologia & Oryctographia Helvetica.*

Inſtitit in ſuis ad me literis ſæpius Ill. *Cuperus* pro ſua erga veteres ſcriptores affectu, ut de Commentario cogitem in *Plinii* libros Hiſtoriæ Naturalis, ſpeciatim Foſſilium. Parui, & ſpeciminis loco miſi *C. Plinii Secundi & Claudii Salmaſii Dialogum de Androdamante*, quem inſeruit D. *Le Clerc. Biblioth. Choiſie* Tom. XVII. p. 192. Eundem reimprimi curavi in *Meteorologia & Oryctographia Helvetica.* Alia, quæ Commentarii Pliniani loco ſervire poſſunt, reſervo pro *Lexico Foſſilium.*

Occaſionem dedêre res Toggicæ, quæ poſt multas lites tandem in apertum erupêre Bellum, ut pararem, id quod effectui dedi A°. 1710. *Mappam Comitatus Toggici, die Landſchafft Toggenburg*, in qua Thuræ flexus omnes à prima ferè ſcaturigine cum adjacentibus pagis ope Magneticæ acus delineavi.

Nunquam in vita mea mirari ſatis potui, dari poſſe Theologos Miſo Mathematicos. Novi, quod ſcripſit Magnus ille Daniæ Aſtronomus *Tycho Brahe* Epiſt. ad *Conradum Aſſachum* ap. *Melch. Adamum in Vitis Theolog.* p. 840. *Optarem, plures ejuſmodi Concionatores* (de Bartholomæo Pitiſco loquitur) *reperiri, qui Geometrica gnaviter callerent, fortè plus eſſet in iis circumſpecti & ſolidi judicii, rixarum inanium & Logomachiarum minus.* Ne quid dicam de eo, quod ipſe *Pitiſcus* habet *Epiſt. Trigonometriæ* præmiſſâ: *Quam optandum eſſet*

hoc ſeculo omnes Theologos eſſe Mathematicos, hoc eſt, homines tractabiles & manſuetos.

Thema igitur Inauguralis meæ *Orationis*, quam d. 28. Nov. 1710. dixi: ſelegi *de Matheſeos uſu in Theologia.* Impreſſa hæc prælectio poſt obſtacula quædam, Tiguri, Imp. Joh. Finsleri, Typis Hardmejerianis 1711. 4. additis in fine teſtimoniis *Euſebii* L. VI. c. 18. *Henr. Bullingeri*, Magni illius Eccleſiæ Tigurinæ Reformatoris & Antiſtitis, *de inſtit. Studior.* p. 41. *Joh. Jac. Breitingeri* Eccl. Tigur. Antiſtitis in *Hypomnemat. ſubitan.* in gratiam. *Joh. Jac. Wolphii* conſcriptis. *Sam. Werenfelſii* Baſilienſis S. Th. D. & P. *Diſſ. de Logomach. Erudit.* c. 10. §. 2. & carmine cygneo eruditiſſimi *Gothardi Heideggeri*, quibus addere potuiſſem *Hieronym.* ad. c. 1. Daniel. *Si quiſpiam adverſus Mathematicos velit ſcribere imperitus Mathematis, riſui pateat.* Altera vice prodiit hæc ipſa Prælectio. Amſtelod. ap. R. & G. Wetſtenios 1712. 8. De hac materia ſequentia ad me Smirna perſcripſit Ill. meus *Sherardus* d. 17. Dec. 1711. *Novi* Miniſtrorum ingenium, & vereor, ne te necromantiæ poſtulent: non inepta fuit olim Pariſienſium reſponſio Synodi delegatis, qui rogaverunt, ſi quid addi vellent Liturgiæ, dixerunt, adjungi ſe velle ſolummodò, *ab Odio Theologorum libera nos Domine.*

Eodem A°. 1711. prodiit in 4 Deſcriptio Balnei Infra Urnenſis in Cantone Glaronenſi hoc titulo: *Beſchreibung des Nider Vrnen Bads im Glarnerland:* inſerta poſt *Hydrographiæ Helveticæ.*

Obſervationes inter alias, quas reportavi ex Itineribus meis, fuere Geographicæ: integros ſæpe fluvios à primis ſuis ſcaturiginibus, ut Rhenum, Rhodanum, Ruſam Albulam, &c. delineavi ope Acus Magneticæ, & ſingulari induſtriâ, ubi potui cunque, adnotavi pagos, horumque diſtantias. Denique haſce Obſervationes, junctis quas fecere alii, collegi in magnam & *Novam Helvetiæ tabulam Geographicam*, quæ in 4. tabulis prodiit A°. 1714. una cum indice Alphabetico, *Regiſter aller in dieſer neuen Schweitzer Chart befindlichen wörter*, ex quo conſtat numerum locorum ſurgere ad 3863. duplo majorem Gigerianâ hactenus optimâ. Id inſuper in hac

mappa

mappa obſervare eſt, ornari eam circum circa ſchematibus variis ad Hiſtoriam Helvetiæ naturalem ſpectantibus & locorum ſimul Religionem ſeu Reformatam, ſeu Pontificiam, ſeu mixtam ſuis certis ſignis diſtingui. Adjeci poſt clades ſive pugnas hinc inde in Helvetia commiſſas, & annos, quibus hi conflictus fuere commiſſi. Notanter tamen, ne quis exiſtimet, exhibere me mappam Helvetiæ omnibus ſuis numeris abſolutam, adjeci ad marginem hoc Monitum: *Tabula hæc ex propriis Authoris Obſervationibus occaſione Itinerum Alpinorum innumeris locis correcta & aucta, non tamen ita perfecta exhibetur, quin permultis locis corrigi opus habeat.* Monitum, quo operis licet pretioſi imperfectionem ingenuè confiteri, & ſimul alios ad ſimiles labores excitare volui.

Profeſſionis meæ Mathematicæ memor, publicavi typis A°. 1714. in 8. *Enchiridion Mathematicum*, concinnatum juxta filum *Caſparis Buſſingii*, V.D. apud Hamburgenſes Min. & Math. Prof. *in Mathematibus univerſis in tabulas ſuccinctas redactis*; quæ prodierunt Hamburgi Sumt. Auth. Typis Zieglerianis. 1695. f.

Hiſtoriam ut conderem Helvetiæ naturalem, conſului non ſoli duntaxat montoſi noſtri Naturam, & Naturæ luxuriantis producta, ſed quoque inde à bene multis annis collegi Indicem Scriptorum, qui vel in aliis Regionibus Terræ, vel in Helvetia noſtra huic ſtudio ſe applicuerunt. Patet id ex *Bibliotheca Scriptorum Hiſtoriæ Naturali omnium Terræ Regionum inſervientium, tanquam Hiſtoriæ Naturalis Helveticæ prodromo. cui acceſſit Cel. Viri Jacobi Le Long, Bibliothecarii Oratoriani, de Scriptoribus Hiſtoriæ Naturalis Galliæ.* Tig. Typ. Bodmer. 1716. 8. Opus novis ſemper acceſſionibus augendum, iis interim, qui ſtudio huic naturæ ſe applicare ſtudent, perutile, non dicam, neceſſarium. Invenias hic, Lector, Ordine Geographico ſimul Regionum, & Authorum Alphabetico Scriptores Hiſtoriæ Naturalis *Hiſpaniæ*, *Portugalliæ*, *Galliæ*, *Sabaudiæ*, *Germaniæ*, *Belgii Fœderati*, *Helvetiæ*, *Italiæ*, *Pannoniæ*, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, *Hungariæ*, *Poloniæ*, *Daniæ*, *Suediæ*, *Brittanniæ*, *Siciliæ*, *Melitæ*, *Corſicæ*, *Sardiniæ*, *Aſiæ*, *Africæ*, *Americæ*, amplam tandem & ſpecialem Hiſtoriæ Naturalis Galliæ ſegetem, quam me-

mecum benevolè communicavit Cl. Le Long, ex opere ampliſſimo *Hiſtoriæ Scriptorum Galliæ* extractam. Diſponere potuiſſem ordine reali materierum, ſingulatim Botanicos, Mineralogos, Zoologos, Hydrologos, &c. ſed hic ordo alii eſt reſervatus operi.

Ex Lexico Diluviano ſpecimen *de Cornu Ammonis*, ad Societ. Leop. Carolinam & Regiam Scientiarum Societatem Pariſinam inſertum *Ephemeridum Germ. Cent.* V. App. p. 15.

Applicationis meæ qualiſcunque ad Hiſtoriam Numiſmatum ſpecimen eſt *Theſaurus Numiſmatum antiquorum Holländerianus*. Tig. Typ. Bodm. 1717. 8. qui tranſeat in Magni alicujus Principis, vel inclytæ Reipublicæ, vel privati Νȣμισματοφίλȣ manus digniſſimus. Chartaceus dicatus ipſius Collectoris *Tobiæ Holländeri*, Conſulis Reipubl. Schaphuſianæ Ampliſſ. Hæredibus.

Qualis & quanta ſit collectio mea Reliquiarum diluvii, patet ex *Muſeo Diluviano*, quod lucem vidit Tig. Typ. Bodm. 1716. 8. dicatum *Ill. Hans Sloane*, Baronetto Angliæ. In conſpectu comparent ordine Plantæ, Teſtacea, Cruſtacea, Quadrupeda, Piſces, Aves, Inſecta, Hominum partes, eo ordine, quem obſervavi in Oryctog. Helv. numerus omnium ſurgit ad 1513.

Foſſilia reliqua in Catalogum quidem redacta, ſed nondum publicata, lapides, nempe Metalla, Terræ, Salia, Sulphura non ſolum in Helvetia, ſed ex aliis Terræ provinciis magno ſtudio conquiſita ſurgunt ultra 2000. quæ inter Helvetica ſola ſunt 667. & Diluviana foſſilia ante recenſita Helvetica 523.

Teſtaceorum tum *Marinorum*, tum *Fluviatilium* collegi 471.

Herbarium Vivum conſtat Plantis & Fructibus in Catalogum redactis ultra 3000.

Numophylacium meum ornant Numiſmata Romana & Græca numero 1812. partim in Catalogum redacta, partim redigenda.

Annus 1713. Occaſionem dedit conſcribendæ *Hiſtoriæ Politicæ Reformationis circa Pacta Senatus & Populi Tigurini fundamentalia.*

Eadem

Eadem occaſione *Commentarium* paravi amplum *in Pacta Reip. Tigurinæ jurata, der Statt Zurich Geſchworne Brief-fe*, quo conſtitutionem Regiminis confero cum Rebuſpublicis aliis inprimis Græcis & Romana, oſtendens ideam hujus Regiminis Ariſtocratico-Democratici eſſe unam ex optimis quibuſque, & jura Senatus ac Populi tam pulchrè invicem combinata, ut nec illius authoritas, nec hujus libertas, pati unquam poſſint quicquam.

Commentarius, quem occaſione Collegiorum Politico-Hiſtoricorum Linguâ Latinâ paravi in Celeb. *Henr. Hottingeri Methodum conſcribendi Hiſtoriam Helveticam*, deduxit me ad *Bibliothecam integram Hiſtoricorum Helveticorum*, quam poſteà diſpeſcui ſuccinctius.

1. *Ordine Chronologico*, juxta temporum ſeriem, quo quiſque tempore vixerit, ſcripſerit vel floruerit.

2. *Ordine Alphabetico*, quo ſcriptorum quilibet illicò inveniri poſſit.

3. *Ordine Geographico*, juxta Cantones ſive Provincias, Confœderatos, Præfecturas ſubditas, ex quibus Scriptorum quiſque fuerit.

4. *Ordine reali materierum*, qui rurſus ſubdividitur.

I. In Helvetiam univerſam.

II. Provincias ſingulas.

III. Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Monaſteria, Templorum Inaugurationes.

IV. 1. Hiſtoriam Civilem. 2. Bella inteſtina, Tumultus, ſeditiones. 3. Bella cum Exteris. 4. Fœdera inter Provincias. 5. Fœdera cum Exteris. 6. Regiminis formam. 7. Legationes & Ceremoniale. 8. Privilegia, Jura, Leges. 9. Numiſmatica. 10. Virorum Illuſtrium, Sanctorum, Eruditorum Biographias, Icones, Panegyrica, Orationes funebres, Carmina gratulatoria. 11. Incendia, Naufragia, Calamitates alias.

V. Hiſtoriam Naturalem, cujus Scriptores extant in *Bibliotheca Scriptorum Hiſtoriæ Naturalis* ſupra recenſita.

VI. 1. Geographiam. 2. Antiquitates Romanas. 3. Heraldica, Genealogias &c. 4. Itinera.

Ano-

Anonymos tandem *Hiſtoricos* diſpoſui 1. Juxta Ordinem Provinciarum, ſeu Geographicum. 2. Ordine Chronologico.

Ut unda undam trudit, ita collegi juxta Provinciarum Helveticarum ordinem, *Scriptores ex omni facultate* quoſvis, cum Biographiis & Scriptis, tum impreſſis, tum ἀνεκδότοις. Laboris amplitudo vel ex recenſione conſtat. Ante aliquot jam annos Tigurinos habui 526. Bernenſes 175. Lucernenſes 19. Urios 2. Suitenſes 16. Subſylvanos 3. Tugienſes 5. Glaronenſes 17. Baſilienſes 287. Friburgenſes 7. Solodorenſes 10. Scaphuſianos 66. Abbatiſcellanos 8. Ex Cœnobio S. Gallenſi 43. S. Gallenſes 60. Rhætos 89. Valleſios 5. Mulhuſinos 41. Biennenſes 5. Neocaſtrenſes 19. Genevenſes 74. Ex Epiſcopatu Baſilienſi 2. Turgoios 12. Badenſes 8. Ex Sarunetibus 1. Ex liberis Provinciis 1. Ex Valle Rheguſca 1. Ex Luganenſi præfectura 1. Ex Urbigeno agro 1. Ex Grandiſoniana præfectura 1. Raperſuilenſes 6. Angelimontanos 2.

Index in MSC. Sancto Gallenſia Bibliothecæ Tigurinæ, in uſum ejuſdem paratus.

Index ſpecialis Authorum & materierum *in Acta Societatis Regiæ ſcientiarum Gallicæ* ab A°. 1699. ad 1712. incluſivè in uſum inprimis ſtudiorum meorum privatum.

Oratio de Miraculis Paſſionis Chriſti publicè dicta.

Collectanea pro Reformatione Scholæ Tigurinæ.

Muſei civici Tigurini deſcriptio aſſervatur in Bibliotheca publica.

Collectanea pro *Geographia Hiſpaniæ, Galliæ, & Germaniæ.*

Toggici Comitatus Deſcriptio. Germ.

Hodegus Studioſi Politici.

Index Nummorum Græcorum ex Imperatoriis, & Conſularibus ordine alphabetico digeſtus.

Index Nummorum Græcorum pro Regibus & urbibus eodem ordine.

Index ſpecialis in *Collectaneorum Wickianorum* Tomos, quæ aſſervantur in Bibliotheca Carolina.

Hiſtoria Lapidum Figuratorum ſeu Reliquiarum Diluvianarum ex Comitatu Neocaſtrenſi. Potentiſſimo Regi Pruſſiæ tranſmiſſa, quum potiretur hoc Principatu. *Colle-*

Collectanea Inſcriptionum antiquarum Romanarum in Helvetia reperiundarum.

Ludoviciana Pharmacia in Compendium redacta.

In *Bauſchium de Aetite Notæ* & Additamenta.

Meditationes de Morte. Translatio eſt ex Italico in Germanicum *dell' Huomo al punto civé, l'huomo in punto di Morte conſiderato del Padre Danielo Bartoli*, in Venet. 1677. 12

Præceptoris mei fideliſſimi *Joh. Chriſtophori Sturmii*, Prof. Altorffini, *Theoſophiæ ſive cognitionis de DEO naturalis ſpecimen*, Annexum *Phyſicæ* ſuæ *Eclecticæ* ſive *Hypotheticæ*, Norimb. ap. Endteros 1697. 4. Translatio è Latino in vernaculum. Tit. *GOTT zeigende Naturwiſſenſchaft.*

Architecturæ civilis Compendium.

Menſurarum cavarum Tigurinarum & Tugienſium pro liquidis & aridis dimenſio.

Nomenclatura Lapidum figuratorum, Aliquando conſcripta in gratiam Ill. *Valkenerii.*

Todes gedanken Geſprächsweiſe vorgetragen. Verſio eſt è Gallico *in* Germanicum, *des Entretiens ſur la Mort du P. Malebranche.*

Joſephi Pitton Tournefortii Methodus Plantarum ex Gallico in *Latinum translata*, ante editionem *Inſtitutionum Rei Herbariæ*, & cum Rajana methodo in paralleliſmum poſita.

Jobertus de Numiſmatum notitia ex Gallico in Latinum verſus.

Williſius de Anatome Cerebri ex Latino in Germanicum.

Notæ in Becmanni Politicam.

Excerpta ex Leibnitii Theodiceo, & Crozæ Logica.

Von der Seelen Unſterblichkeit und dem ewigen Leben. Translatio *Guil. Scherlock de l'Immortalité de l'Ame, & de la vie eternelle.* ex Gall. in Germ. nondum finita.

Richardi Bentley VIII. Predigten wider die Gotteslaugner. Verſio Germanica ex Anglico Concionum VIII. contra Atheos habitarum.

Paſcal Penſées ex Gall. in Germ. translatæ. Diſcurſus varii linguâ vernaculâ in Collegio τ̃ ἐμμονούντων habiti. De Matheſeos

theſeos partibus. *De uſu Matheſeos in Theologia, Politica. De Mathematicis Scythis. De Mathematicis Hiſpanis. De Problemate Medicorum Monſpelienſi, Vade & occide Cain. De Conchitis.*

Acta Collegii τῶν ἐυνοέντων conſignata ab A°. 1695. ad 1709. incluſivè.

In Loca Scripturæ Sacræ Phyſico Mathematica Commentarius, ſatis amplus, ad uſum Auditorii publici, cui prælegitur, in primis ad Theologiam Naturalem accommodatus, perveni hactenus σὺν θεῷ ϗ πόνῳ à Geneſi ad Jobum.

Non mittendus eſt labor licet inchoatus, omnium quos hactenus ſuſcepi, & maximus, & difficillimus, *Lexicon Pantoglotton* duplex, unum Mineralium ſeu Foſſilium, alterum Reliquiarum Diluvianarum, ſuis ubique iconibus illuſtrandum; quo comparebunt Alphabetico ordine omnium linguarum nomina, genera, ſpecies, notæ & generum & ſpecierum characteriſticæ, cum Authorum Synonymis.

Vitæ & Scripta Authorum Botanicorum, Mineralogorum & *Zoologorum* comparebunt in *Bibliotheca Botanica, Mineralogica & Zoologica;* quâ congeſſi hactenus Scriptores ultra 1400. ex omni natione & ævo.

Explication d'une Medaille d'un Prince Anonyme, Fils de Domitien adreſſée à Monsr. Formond de la Tour.

Vita Conradi Geſſneri Medici & Philoſophi Tigurini, periit hic Labor, quod ægerrimè me fert in Itinere Norimbergenſi.

Laurentii Pataroli Series Auguſtorum, Auguſtarum, Cæſarum, & Tyrannorum omnium tam in Oriente, quam in Occidente &c. Venet. 1702. Translatio ex Lat. in Germ.

Obſervatio de Gangræna, aliiſque pravis ſymptomatibus, ab eſu panis, clavorum ſecalinorum farinâ inquinati, excitatis. In Miſc. Lipſ. Tom. V. p. 131.

Experimenta Barometrica pro varia diverſi Aëris elaſticitate exploranda in variis Helvetiæ locis; occaſione excurſionis Alpinæ menſe Sept. Anni 1714. ſuſceptæ. Ope Tubi 32. digitos Pariſinos longi 2. linn. diametro. In transact. Philoſ. n. 344.

Tables of the Barometrical Altitudes of Zurich in Switzerland in the Year 1708. *obſerved by D^r.* Joh. Jac. Scheuchzer

zer *F. R. S. and at Upminſter in England, obſerved at the ſame thime by Mr. W.* Derham *F. R. S. as alſo the Rain at Piſa in Italy in* 1707. *and* 1708. *obſerved there by Dr.* Michael Angelo Tilli *F.R.S. and at Zurich in* 1708. *and at Upminſter in all that thime. With Remarks on the ſame Tables, as alſo on the Winds, Heads and Colds, and divers other Matters occurring in thoſe tree differents parts of Europe. by Mr. W.* Derham, *Rector of Upminſter.* In Transact. Philoſ. n. 321.

Specimen Phyſicæ ſacræ, ſ. Commentarii in S. S. Loca Phyſico Mathematica in Job. II. 7. 8. XXVI. 7,

Acarnania ſ. Relatio Eorum, quæ hactenus elaboravit Acarnan, J. J. S. Extat in Miſc. Lipſ. T. VIII. p. 117.

Medicinæ & Morborum ſtatus una cum Ætiologia Incrementi eorum in his temporibus, ſpeciatim vero de Variolis, cum Animadverſionibus quibuſdam in novam purgandi in hoc Morbo Methodum. Præmittitur Idea Naturæ & ſtructuræ humanæ, Morborum quibus eſt expoſita, Methodus iiſdem medendi. Authore *Joh. Woodwardo* in Colleg. Gresh. Profeſſore, abs me in Latinum Idioma converſa. Tiguri Typ. Bodmer. 1720. 8.

Λοιμογραφία Maſſilienſis. *Die in Marſeille und Provence eingeriſſene Peſtſeuche.* Ib. 1720. 8.

Von der Marſilianiſchen Peſtſeuche erſte Zugab, enthaltend 1. *Deroſelben vollſtandige Beſcreibung durch Herren* Chycoyneau, Verny *und* Soulier.

2. *Ein Schreiben an Herren* de Fornes *von Herren* Chycoyneau, Verny *und* Deidier.

3. *Ein Schreiben an Herren* de Bon *von Herren* Pons.

4. *Beſchreibung der Peſt zu Aix von anfang des Auguſti bis zu end des Jahrs* 1720.

Verteutſcht. Ibid. 1721. 8.

Hiſt. Phyſica ſacra, *oder Hiſt. Naturwiſſenſchaft verglichen mit der Heutigen.* Ib. 1721. 4

A. . . . . *Diſſertatio de Peſte Provinciali,* ex Gallico in Latinum & Germanicum Idioma translata, & Annotationibus illuſtrata. Tiguri 1721. Sumtibus Authoris.

F I N I S.

INDEX
NOMINUM ET RERUM,
IN
ITINERA ALPINA.

A.

A Monte Dei *promotorium.* 294
A Saxo, *Barones.* 296
Aa. *Fl.* 172
Aabach. Aatobel. 469
Aaren. 409
Abbatiſcellani. 551
—— *Eorum Diviſio.* Ibid.
—— *Dracones.* 391
Abdua. 275
Abies *rubra Glaronenſium levior aliis.* 160
Abſinthii *genus in Valleſia Herba alba dicta.* Geſſn. 328
Abſinthium *album è Valleſia.* Geſſn. 328
—— *alpinum candidum humile.* CB. 29. 328
—— —— *incanum.* CB. 29. 328
—— *Auſtriacum tenuifolium.* 508
—— *ſeriphium fœmin.* Geſſn. Hort. 328
—— —— *montanum candidum.* CB. 29. 508. 328
—— *Valeſianum tenuifolium candidum, ſive Herba alba.* JB. 29. 508. 328
Abzug. 57
Acarnania *ſive Authoris Scriptorum Relatio.* 609. ad fin.
Acetoſa *Cambro Brittannica montana.* Park. 128
—— *montana folio undulato flagellis non ramoſis.* Bocc. 328
—— —— *Malus Limoniæ foliis flagellis ramoſis.* Ejuſd. 328
—— —— *maxima.* CB. 129
—— *rotundifolia alpina.* CB. 128
—— —— *repens Eboracenſis folio in medio deliquium patiente.* Moriſ. Ib.
—— *ſylvatica maxima.* JB. 129
Achates. 534
Acidulus *Fons prope S. Bernhardini pagum.* 444
Aconitum *cœruleum hirſutum flore Conſolidæ Regalis.* CB. 35
—— *Lycoctonum cœruleum calcari magno.* JB. Ib.
Aculei *in Cryſtallis.* 248
—— *unde?* 256
Adamantes *pellucidi Riphæorum Montium.* Dionyſ. 235
Adamantis *Lapis.* 6
Adamas *Cornubienſis minor.* Boyle. 241
Addua. 275
Adiantum *album criſpum alpinum.* Schwenckfeld. 461
—— —— *floridum ſeu Filicula petræa criſpa.* Raji. Ib.

Adian-

Adiantum *album petræum Rutæ muraria accedens.* JB. 461
Adlenbach. *Pagus & Rivus.* 183
Adler. 275
S. Adrian. 355
Adualla. Αδȣάλλας. Aduella. Adula. Αδȣ́λας. Adya. Adyla. 275
Æbi. 442
Ædes *Tugii ſubmerſæ.* 355. 475
Ægagropilæ. 159
— *conſtant ex ſurculis Trichomanis.* 448
— *quando formentur?* Ib.
— *non in omnibus Montibus dantur.* 86
— *Indicia.* 180
Ælbeln. 450
Ænotherus. (*Einbeer.*) 363
Ænus. *vid.* Oenus.
Æoliæ *Cryptæ.* 78. 102
Ærgish. 305
Aëris *alpini puritas.* 82
— *dilatatio, circa eam Experimenta, & ex his deducta Conſectaria.* 584
— *Elaſticitas Barometricis Experimentis determinata.* 524. & ſeq.
Ærnen. 293
Æſch. 204
Æſchi. 484
Ætuatii. 267
Ætuatium. Ætuatius *Vicus.* Ibid.
Agaunum. 491
— *Inſcriptiones Romanæ.* Ibid.
Agerana *vallis.* Ageren *Thal.* 291
Ageratum *Pyrenaicum villoſum flore purpuraſcente.* CB. 29
— *ſerratum alpinum.* CB. 328
Ajatia. Ajaza *vallis.* Ajazer *Thal.* 303
Alabandicus. *Quid?* 237
— *Plinii, an inter Cryſtallos referendus?* Ib.
Alabaſtrita. 490. 495.
Alball. 450
Albeſius. Albis. Albiſus. Albius *Mons.* 67
Albrig. *Mons.* 6
Albrun. Albrün. Albrunio. 294
Albula. 450
— *Ejus Fontes.* 451
Albulæ. 481
Albulen. Albulenberg. 450
Alchimilla *alpina gramineo folio ad nodos frequentes copioſiori elegans Knawel ſimile.* 453
— — *maxima.* 329
— — *pentaphyllos.* Raji. 29
— — *Quinquefolii folio ſubtus argenteo.* Tour. 29. 328
Alcol. 55. 268
Alcyoniis *accedens Faſciculus. &c.* 470
Alectorolophi *alpini ſecundum genus.* Cluſ. Pann. *floribus pallidis & purpureis.* 426
Alectorolophon *alpinum minus.* Cluſ. Pann. 426
Alectorolophos I. *vel alpina minor.* Cluſ. Pann. 426
Aletch. Aletch *Thal.* Aletchiani *Montes.* 295
Algethuſanum *Judicium.* *Algetshuser Gericht.* 557
Aliazia *Vallis.* 303
Alböck. 481
Allbrunn. 294
Allium *montanum bicorne anguſtifolium flore purpuraſcente.* CB. 129
— — *capite rotundo.* CB. 29
— — *Narciſſi folio minus.* CB. 129
— — *ſphærocephalon purpureum.* 29
— *petræum umbelliferum.* JB. 129
— *ſaxatile Acari radice flore purpureo.* Bocc. 129

Allium *ſphærocephalon purpuraſcens.* Raji. 29
—— —— *purpureum ſylveſtre.* JB. 29
—— *ſylveſtre bicorne purpureum proliferum.* JB. 129
Allmend. 412
Allweill. 402
Almangovia. *Vadiani.* 546
Almengall. Almengallum. 303
Alnus *alpina minor.* CB. 129
—— *montana pallido glabro ſinuato Ulmi folio.* Bocc. Ib.
Alopecurum *alpinum*, *quibuſdam Echium montanum Dalech.* JB. 332
Alp. zu Alp fahren. 53
Alp Fyrſten. 217
Alp Leider. 539
Alpes *ſummæ.* 215
—— — *ſunt Helveticæ.* 216. & ſeq.
Alpi *di Val Cornera.* 266
Alpia *Vallis.* Alpien. 297
Alpicolarum *Calceamenta.* 53
Alpinarum *Regionum facies horrida, ſed fœcunditas amœna, ejuſque Cauſæ.* 189. 190
Alpium *Anguſtæ Clauſuræ.* 89
—— *Etymologia.* 280
—— *Proſpectus amœnus.* 468
—— *Culmina.* 217
Alpnach. Alpnacum. 476
—— *Altitudo.* 400
Alſchinſch. 445
Alſine *alpina minima glabra.* CB. 129
—— —— *Serpilli folio multicaulis & multiflora.* 129. 329
—— —— *ſubhirſuta Linariæ folio.* Tour. 130
—— *altiſſima Nemorum.* CB. Ib.
—— *aquatica major.* CB. Ib.
—— *major repens perennis.* JB. Ib.
—— *montana capillaceo folio.* CB. 130. 508
Alſine *montana latifolia flore laciniato.* CB. 130
—— *muſcoſa quibuſdam.* JB. 129. 508
—— *nemoroſa maxima montana.* Raji. 130
—— *paluſtris ſerpillifolia.* CB. 129. 329
—— *ſaxatilis multiflora capillaceo folio.* Tour. 130
—— *ſaxifraga anguſtifolia montana minima.* Col. 130
Alſine *ſecunda. ſ. pratenſis glabra.* CB. 138
—— *tenuifolia muſcoſa.* CB. 129. 508
Altare *ligneum.* 474
Altbach. 409
Altendorff. 171. 530. 532
Altenohren. 186. 188
Altorff. Altorfium. 205
—— *altitudo.* 209
Altoſaxenſis *Baronatus.* 551
Altſtetten. 545
Alvaneller *Bad.* Alvanienſe *Balneum.* Alvanio. Alvanovanum *Balneum.* Alveneü. 451
Aluminoſa *Aqua.* 184
Alvum *novum.* 451
Alyſſon *alpinum hirſutum.* Tour. 130
—— —— —— *luteum.* 508
—— *petræum foliis glabris atrovirentibus floſculis albis.* Ib.
Amades. 438
Amadeus *Sabaudiæ Comes ad Veſpiam cæſus.* 304
Amethyſti *quintum genus.* Plinii. 240
Amides. 438
Ammerberg. 552
Ammon *Mons & Pagus.* 80. 541
Ἀμολγὴς. 55
Ampt (*Obere*) 553
—— (*Undere*) 556
Am-

Amſeltinga. 412
Anacampſeros *radice Roſam ſpirante major.* Tour. 329
Anblatum *Cordi. ſ. Aphyllon.* JB. 45
Anchuſa *parva foliis piloſis incanis floribus Buglossæ parvis.* Mentz. 34
Ander. 441
Andera. 99
Anderum. 441
Andersla. 444
Androdamas. 323. 542
Androſace alpina *perennis anguſtifolia villoſa & multiflora.* Tour. 30. 329
Angelimontanum *cœnobium.* v. Engelberg.
Angelorum *Mons.* 21
Anglardus. *ſ. Engelhard Conrad.* 362
Anken. 60
Ankenkübel. 60. 269
Ankenmilch. 60
S. Anna *Pagus.* 267. 276
Anni *Tempora indies frigidiora.* 69
Annonis *ſpinis carens lutea major.* CB. 329
—— —— —— —— *non ſpinoſa Dalechampio Natrix.* JB. Ib.
Anonymos *fruticoſa foliis Ericæ bacciferæ.* JB. 34. 424
Antigoria *Vallis.* 293. 294
Antimonii *Fila & Striæ in Cryſtallis.* 255
Antiquitates *Bibliothecæ Bernenſis.* 323
—— *Sedunenſes.* 481. & ſeq.
—— *Tugii obſervatæ.* 472
Antonier. Antonii *Mons.* 295
Antre *non eſt* Aventicum. 501
Antrun. Antrunius *Mons.* 303
Antuates. 267
Anviade. Anziade. 493
Anzon. 444
Anzonſchweil. 561
Aphyllanti *affinis Scabioſa quinta Cluſii Bellidis affinis.* JB. 37
Apis *Ægyptiorum.* 546
Apium *montanum. Dalech.* JB. 138
—— —— *folio ampliore.* CB. Ib.
—— —— *nigrum.* CB. Ib.
Appellations *Rath.* 562
Appenzell. 551
Aqua *Cryſtallorum, quid?* 235
—— *Deing.* 450
—— *Martialis in Valle Sexamnina.* 99
—— *di Pila.* 110. 450
—— *Piſis coquendis inepta.* 490
—— *falſa.* 495
—— *ſulphureo bituminoſa.* 77
v. & Aluminoſa. Sulphurea. Martialis. &c.
Aquæ *in Vallibus alpinis profundius ſemper ſcaturiunt.* 96
Aquarum *ſcaturigines copioſæ.* 117
—— *Helveticarum beneficium.* 71
Aquil'Occidens *in Lacu Lucernenſi violentus.* 359
Aragno *inferiore.* 291
Aragnum. 293
Arbiſs. 359
Arburgum. 424
Ardeſia *nigra Glaronenſis.* 120
Argenti *Venæ.* 24. 98. 177
Argoviæ *Mappa.* 412
Ariolo. 263
Arna. Arnen. 293
Arola. *Ejus ortus.* 409
—— *Damna.* 322
Aroleit. Aroleita. 303
Arovia. 424. 592
—— *Curiæ Inſcriptio.* 592
Art. Arta. 355
Artemiſiæ *Nummus.* 547
Arveolum. 263

Arwan-

Arwanga. 424
Aſcens *Pagus.* 498
Aſp. *Alpis.* 308
Aſperimontanum *Caſtrum.* 437
Aſpermont. 437
Aſter alpinus *cœruleo magno flore.* Park. 30. 130
—— —— *flore purpuraſcente.* Raj. 30. 230. 329
—— *Atticus alpinus alter.* CB. 30. 130. 329
—— —— *cœruleus minor.* Tour. 30 130
—— *montanus cœruleus magno flore foliis oblongis.* CB. 30. 130. 329
—— *purpureus montanus.* JB. Ib.
Aſteri *montano purpureo ſimilis vel Globulariæ.* JB. 30. 130. 329
—— —— —— —— —— *Globulariæ.* JB. *capite villoſo.* 349
Aſtragali *alpini cognitu difficiles.* 330
Aſtragalus *alpinus foliis Viciæ anguſtioribus flore Ochroleuco.* Tour. 31
—— —— —— —— *ramoſus & procumbens flore glomerato oblongo cœruleo.* Tour. 45. 509
—— —— *Helveticus.* CB. 330
—— *alpinus ramoſus hirſutus flore Ochroleuco.* 509
—— —— *Tragacanthæ folio ramoſus flore cœruleo glomerato.* Tour. 330
—— *luteus perennis ſiliquâ gemellâ veſicam referente.* Tour. 331
—— *perennis foliis hirſutis caule recto aphyllo flore ochroleuco odoratiſſimo.* Moriſ. 31
—— —— *ſpicatus floribus pallidis nigris radiis notatis.* Mor. 509
—— *Pyrenaicus Barbæ Jovis folio non ramoſus flore ochroleuco.* Tour. 330
Aſtragalus *quidam montanus vel onobrychis aliis.* JB. 45
—— *recticaulis hirſuta.* JB. 330
Aſtrantia *alpina minima.* 453
—— —— —— *nigra.* Raji. Ib.
—— *minor.* Moriſ. 331
Attighauſen. Attinghauſen. 274
Attlihutte. 533
Avanche. 507
Avange. 420
Avanſon. *Torrens alpinus.* 493
Aubrig. *Mons.* 6. 7. 161
Avellanæ. *Diluv.* 526
Avenche. Avenge. 420
Aventiæ *Deæ Monumentum.* 501. 505
Aventicum. 419. 420. 507
—— *Ejus Antiquitas, Ruinæ, & Inſcriptiones.* 420. 421
Aventicus. 422
Avenza. 420
Augſt Thal. 303
Avicula. 443
Auricula *Leporis umbellâ luteâ.* J.B. 510
Auricula *Muris alpina glabra. ſ. Lychnis glabra minima, aut Caryophylli minima ſpecies flore albo.* JB. 137
—— —— *pulchro flore albo.* JB. 130
Auricula *Urſi carnei coloris foliis minimè ſervatis.* J.B. 31. 130
Auriculæ *Leporis affinis Odontitis lutea Valerandi & Dalechampii.* JB. 32
Auri *Venæ.* 24
Aufferbirg. 178
Auſtelberg. 103
Auſter *Uraniis violentus, ſed calidior, quam Tigurinis.* 206
—— & Auſtr'Occidens *in Tugino Lacu frequens.* 358
Auſtr'Oriens *Ventus ſtatus.* 210
Ayrolum. 263

B.

B.

BAar. *Vicus.* 471
Bächi. 179. 183
Bactiacum. 491. 493
—— *altitudo.* 492. 495
Bad. 99. 451
Baldenſtein. 439
Baligen. 411
Bälinen. 4 2
Balm. 203
Balmberg (*Ober*) (*Under*) 203
Balnea *circa Thunum.* 321
—— *eorum abuſus.* 324
Balnearum *Vallis.* 306
Balneum. 451
—— *antifebrile.* 441
—— *Inferiorum Urnenſium.* 172
—— *Infraſchächenſe, ejus Deſcriptio & Uſus.* 204
Bandaren. 289
Bantenbruck. *Pons.* 157
Bärenboden. 185
—— *altitudo.* 188. 199
Bärenburg. 441
Bärenfels. 555
S. Barnabæ *Mons.* S. Barnabas *Berg.* 265
Barometricæ *Obſervationes in Thermis Fabarienſibus factæ.* 433
—— —— *pro Aëris Elaſticitate, earum ſeries & ratio.* 524. 533. 534. 541. 543
Barometricorum *Experimentorum Modus & ratio.* 73
Batzenheid (*Ober & Under.*) 552. 556
Batzenheidenſe *Judicium.* Batzenheider *Gericht* 556
Baumgarten. *Mons.* 408
Baumgartenwand. 179
S. Beatus. *Eremita.* 383
—— *Eremitorium.* 410
Beedner *Thal.* 307
Beitenberg. 289
Belfris. 544
Bellis *alpina minor.* CB. 31. 337
—— —— —— *Alba.* CB. 31. 336
—— —— —— *Sylveſtri minori ſimilis.* 424. 453
—— *cærulea caule nudo.* CB. 513
—— —— *montana fruteſcens* CB. 37. 335
—— *minima erecta foliolis laciniatis ad caulem adnatis.* Bocc. 42. 136. 337
—— *Sylveſtris minor.* CB. 424
Benedutium. 438
Bergbollen. 8
Bergbrüche. 171
Bergeller Thal. 447
Bergfälle. 171
Berg Fyrſten. 217
Bergſchlipfe. 171
Bergünium. 451
Berna. 323. 414. 593
—— *altitudo.* 323
Bernenſis *Bibliotheca.* 323. 598
Bernenſis *Pagi Dracones.* 383
Bernenſis *Reipublicæ facies, Senatus, Tribunalia, Judicia, familiæ nobiles, Præfecturæ, Oppida Municipalia &c.* 599. *ad.* 603
Bernfels. 155
S. Bernhardi *Mons.* S^t. Bernhards *Berg.* S^t. Bernhardin. 443. 444
—— *ejus Labinæ.* 333
S. Bernhardini *Pagus.* 444
Berſchis. 541
Betonica *coronaria ſive Caryophyllea flore tenuiſſimè laciniato majore albo & dilutius rubente.* JB. 453
—— —— —— *repens rubra* JB. 511

Betonica *coronaria ſive Caryophyllus gramineus puſillus.* 132
Bettſchwanden. 173.183.535
Beverum. Bevers. 430
Bevio. 117
Bevieux. 593
Bichweilanum *Judicium.* Bichweiler *Gericht.* 558
Bicornus. 277
Biel. Biella. 293.424
Bienna. Bienne. 424
Biſou. 507
Billikon. 550
Bilten. 512.531.532.535
Binn. Binna. *Fl.* 294
Bindulum *interius.* 294
Bipennis. Bipennium. 424
Birgiſch. Birgiscum. 296
Birthen. 305
La Biſe. 422
Biſtorta *Alpina pumila varia.* Park. 130
—— *pumila foliis variis rotundis & longis.* Moriſ. Ib.
Bitta. Bitten. 295
Bittſchweil. 556
Blandræ *Comites.* Graffen van Blandra. 304
Blancken. 431
Blattana. 296
Blatten. 296.306
Blattenberg. 120
Blattenſtock. 533.534.535
Bleken. 298
Blumenſteinenſe *Balneum.* Blumenſteiner *Bad.* 321
Bock. 493
Bodmen. Under Bodmen. 203
Bodmerus (*Samuel*) *citat. Ejuſve Opera.* 412.413
Boli. 9.423
Bonadutz. Bonædulcium. 438
Böne. Böni. 40
Bonneville. 417.424
Bonſtettenſis *Draco.* 380
Borgonovo. 409
Böſchenrott. 355
Boterſtande. 60
Boves *viis complanandis utiles.* 96
Bovis *Ungula lapidi impreſſa.* 13
Brachsmann. 356
Brändlin. 45
Braune *Cryſtallen.* 237
